
LVDOVICI
NONNI
MEDICI ANTVERPIEN
DIÆTETICON
SIVE
DE RE CIBARIA
LIBRI IV.
SECVNDA EDITI
Et Auctior.
ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PETRI BELLERI. M.DC.XLV.

PERILLVSTRI VIRO
D. THOMÆ
LOPES DE VLLOA.
BARONI DE LIMALE.
TOPARCHÆ DE BIERGES, PHANI
S. LAMBERTI, CHAMPLES, DEL VALLES.

ORDINIS ALCANTARÆ EQVITI.

REGIÆ MAIESTATI A CONSILIIS BELLICIS.
EIVSQVE APVD BELGAS,
MILITARIS ÆRARII SVMMO PRÆFECTO.

L. M. D. C. Q.

LVDOVICVS NONNIVS.

INTER innumera beneficia, à Deo in nos collata, nullum esse ſanitate præſtantius, aut optabilius, teſtatur, vetus ille, Apollinis Delij foribus inſcriptus verſus,

Κάλλιστον δικαιότατον, λώστον δ' ὑγιαίνειν.
Pulchrũ eſt iuſtũ eſſe, optimũ verò ſanitatẽ habere.

Illa enim omnibus horis, omnibusque locis nobis optanda, quâ si exciderimus, nulla vitæ iucunditas, vel fœlicitas æstimanda, siquidem

NON EST VIVERE, SED VALERE, VITA.

Qua de caussa Pyrrhus Epirotarum Rex, post Magnum Alexandrum, clarissimus Ducum; licet alternantis fortunæ ludos, sæpius expertus: cùm Deos precibus, sacrificijsque assiduò coleret: nunquam tamen vel victorias, aut opes, vel Regni incrementa, sed firmam sanitatem postulauit: cuncta sibi facilia, & expedita fore ratus, si constanter illâ frueretur. ingens hoc & incomparabile bonum, Medicinæ ope, cuiuis adipisci est integrum. Vnde nō immeritò, Hygeiam Æsculapij filiam finxit vetustas, quod Medicus, collapsam valetudinem restituat, præsentem verò conseruet; ideóq; nobilissimæ hæc Medicinæ pars, ὑγίαινη, siue sanitatis custos & conseruatrix nuncupatur: quæ potissimùm in proba victus ratione, & salubri Diæta consistit. qua de caussa, Commentarios hosce, de

Re Cibaria ex ſcriptorum optimis collegi,

Floriferis vt Apes, in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

Eo quidem Conſilio, vt Recentiorum quorũdam Medicorum impudentiam refellerem; qui Paradoxam doctrinã, populo conantur obtrudere, omnes cibos ſalubres eſſe; nec ad morborum curationem, opus eſſe accurata hac victus ratione, reclamante tota antiquitate. Oſtẽdam enim, Hippocratem cæteroſque Medicinæ proceres, exactiſſimè de ciborum facultate ſcripſiſſe, vt vnicuique procliue ſit, propriæ ſaluti conſulere. Hos, inquam, Commentarios, ſub nominis veſtri auſpicijs, V. Perillvstris, in lucem emittere volui; tanquam obſeruantiæ in Te meæ monumentum: mouerunt enim me tuus in Bonæ Mentis Studia, non vulgaris affectus; & non tralaticia beneuolentia, quâ me hactenus complexus fuiſti, nõ modò enim priuatus, ſed etiam in hoc dignitatis faſtigio conſtitutus, nunquam deſtitiſti me humaniſſimis officijs prouocare. Nec aliud in te fortunæ ampli-

tudo mutauit, nisi vt tantundem prodesse possses, vt velles. Plurimi enim cùm se Fortunæ permiserunt, etiam humanitatem dediscunt: præbent difficiles aditus, & cliẽtum vota, inani spe frustrantur. Tibi verò quanta comitas, quanta lenitas? nullus animi tumor, nullus fastus. Sed imitaris frugiferas arbores, quæ vt magis onustæ pomis, eò magis ramos inclinant, & adeuntes quasi ad carpendum fructus inuitant; ita tu innata benignitate, difficillimis Reipub. temporibus, omnium desiderijs occurris, & quantum in Te est, neminem à sermone tuo tristem dimittis. Regis verò negotia, tanta diligentia & integritate administras, vt dignum te iudicauerit (nequicquam indignantibus æmulis) cui iterum, Militaris Ærarij curam committeret. munus hoc splendidum & impeditum, vt Reipub. bono fœliciter procures, Deum conceptis votis veneror, vt Tibi V. PERILLVSTRIS, in multos annos, inculpatam sanitatem largiatur. Antuerpiæ Pridie Id. Maij. M.DC.XLV.

IN
CLARISSIMI VIRI
LVDOVICI NONNI
MEDICI ANTVERPIANI
DIÆTETICON,
SIVE,
DE RE CIBARIA LIBROS IV.

EPIGRAMMA.
AD LECTOREM

QVos Tellus, Pelaguſq; cibos, quos ſuggerit Aër,
NONNIVS his tibi dat, Lector amice, libris.
Non tamen hic guſtus Elementa, per omnia quærit,
Delicias auidæ nec parat ipſe Gulæ;
Fercula ſed Graio, condit Latioq; ſapore,
Perſarum cedant queis, Siculæq; dapes.
Hoc agit; vt conſtet Mens ſana in Corpore ſano,
Et colat vſque tuos, mitis Hygeia lares.

C. GEVARTIVS POS.

AD

AD LECTOREM.

EPIGRAMMA.

VT sanus viuas, Medicè docet iste Libellus
Viuere; nec miserum est, viuere sic Medicè.
Non Stomacho mouet hic Medicamen tædia: pandit
Quâ capitur tutè, quilibet Arte Cibus.
Doctior hæc (Lector) Schola, quam fuit ista Salerni,
Sana monendo iuuat, rara ferendo placet;
Dices: qui bene sic Vetera & Noua, & Vtile Dulci
Miscuit hîc, punctum NONNIVS *omne tulit.*

IO. VAN BVYTEN M. L.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum Indiarumque Rex Catholicus, & Potentissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis præter voluntatem PETRI BELLERI Typographi Antuerpiani Librum, cui titulus: LVDOVICI NONNII *Diæteticon, siue de Re Cibaria Libri IV.* imprimat, aut alibi impressum in hasce inferioris Germaniæ Prouincias importet, venalémve habeat, qui secus faxit confiscatione Librorum, alijsque pœnis mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 26. Octobris. Anno 1644.

Signat

STEENHVYSEN.

ARGV-

ARGVMENTA CAPITVM, LIBRI PRIMI.

CAP.I. ALIMENTI *necessitas. tripliciter Hippocrati dicitur. Alimentum medicamentosum varia eius materia.*

CAP.II. *An cibus simplex vel varius sit salubrior.*

CAP.III. *De ordine in cibis seruando. qualia Alimenta præsumi debent; facilioris an difficilioris concoctionis.*

CAP.IV. *Salubrius esse sæpius, quàm semel de die comedere. Antiqui frequentius Cibum sumebant. Ientaculum, Prandicula, Silatum, Prandium, Merenda, Cœna, Vesperna, Comessatio.*

CAP.V. *Veteres Victitarunt Pulte. discrimen inter Pultem & Polentam. Pultiphagus, & Pultiphagonides, significabat Italum. Pistores quando primum Romæ fuere.*

CAP.VI. *Panis à Pane Deo dictus. Variæ eius species. Secale differt à Siligine: Centenum Isidoro dictum. Spuma Ceruisiæ, loco fermenti olim in vsu. Panis recens, Pridiano salubrior. Buccellatum. Panis Nauticus.*

CAP.VII. *Hordeum apud Athenienses in pretio. Gladiatores Hordearij. Polenta. Maza. Panis ex Milio. aliquando ex Oryza. Parum illam alere, Medici statuunt.*

CAP.VIII. *Bellaria. Placenta vnde dicta. Crustula. testamento olim P.R. legata. Torta. Obelias panis.*

CAP.IX. *Faba Flamini Diali interdicta. Lemuralibus adhibetur. Pythagoræ decreto damnata. Valdè flatuosa. Faba fresa. Conchis. cur Fabarum flores dicantur perturbare mentem. Phaseoli.*

CAP.X. *Cicerum varia genera. Arietinum vnde dictum, obstructionibus egregiè medetur. Pisorum decoctum post purgationem datum. Eruilia. Cicercula. Lenticula, atram bilem auget; funebris cibus. Lupinis madidis Protogenes pictor vsus.*

CAP.XI. *Hortus pauperum macellum. Malua hortensis, & agrestis. Lactucæ esu vulgus credit sanguinem augeri: Somnum inducit: Ventrem emollit, cur Enuchion, & ἄςυτις dicta. νεκύων βρῶμα. Cruda tuto ægris datur.*

CAP.XII. *Intybi & Seridis varia genera. Troxima. Cichorij & Endiuiæ discrimen. olim praui succi cibis adscripta.*

CAP.XIII. *Beta cur fabris familiaris. Atriplex. Blitum. Spinachia, Laphatum. Oxalis.*

CAP.XIV. *Brassica cur Coramble dicta. Raphanus vocata. Sæpius visum lædit, aliquando illi confert: Crapulam discutit. Cur viti inimica. Varia eius genera. Protοtomi.*

CAP.XV. *Portulaca dentium stupori medetur. diuersa à Peplio. Borrago nostra, eadem cum Buglosso antiquorum. Cur Euphrosinum dictum; vulgare Buglossum, idem cum Cirsio, vel Lycopsi.*

CAP.XVI. *Asparagi varia significatio.* ὄρμενον. *Corruda. Altiles asparagi. Montani, Palustres, Petræi, Regij. Stomachum roborant. Vrinam suo odore inficiunt. Lupulus, & Lupus Salictarius. Syluestris & satiuus. Eius floribus Ceruisiæ condiuntur.*

CAP.XVII. & XVIII. *Cinara Theophrasto ignota, à Siculis Cactos dicta. Eusthatius diuersas facit: Stomacho amica. Carduus olim in magna æstimatione. ingens ex illis quæstus. Scolymus diuersus à Cinara & Carduo.*

CAP.XIX. *Apium Hortense, vulgare est Petroselinum. Apio indigere. Victores Nemæorum certaminum Apio coronabantur. Eruca Lactucæ coniungenda. Nasturtium Scorbuto medetur. Ocymum cum probris serendum. Inter Cardiaca refertur. Sinapi à Pythagora laudatur.*

CAP.XX. *Mentha prius Mintha vocata.* ἡδυοσμός. *Vulneratis incommoda; belli tempore non esse serendam. de facultate eius dissentiunt scriptores. Chærephyllum, fæniculum.*

CAP.XXI. *Cucumis prauum succum generat. Cucurbitæ salubres sunt: in alienos menses seruatæ.*

CAP.XXII. *Pepones veterum, diuersi à vulgari nostro Pepone. Melopepones non sunt diuersi à Melonibus nostris, contra Scaligerum & Casaubonum. Cucumis Plinij, & Columellæ, idem cum nostro Melone. Plinius obiter emendatus.*

CAP.XXIII. *Rapum aliud masculinum, aliud fœmininum. hyeme sunt optima, visum acuunt, pectori & Quartanis conueniunt semen Alexipharmacis annumeratur, vrinæ difficultatem inducunt. Napi Amiterni. Raphanus cur cibus illiberalis censetur. Armoracia.*

CAP.XXIV. *Pastinaca, Columellæ Staphylinus. Carotos Athenæo, Pastinacæ species. Philtron cur à nonnullis vocetur. Tiberius Cæsar Sisere delectabatur. ex Germania petitum.*

CAP.XXV. *Allium ab Ægyptijs instar numinis cultum. Græci detestabantur. in criminum expiationem illo vescebantur. Rusticorum Theriaca vocatum.*

Allium

CAP.XXXVIII. *Citria olim tantum in Perside nascebantur. Mala Medica Persica. Apulei & Macrobij lapsus. Citri nomen vnde inditum. non esse Mala Aurea. Serò in Italiam traducta. Venenis resistunt. in varias species propagata. Iani Cornarij error.*

CAP.XXXIX. *Palmarum genera vnde quinquaginta. recentes noxiæ, capitis dolorem inducunt, & viscera obstruunt. Caryotæ. Nicolai, in honorem Nicolai Damasceni dictæ. Statius explicatur. Elatæ. Spatha. Palmæ Cerebrum.*

CAP.XL. *Athletæ olim ficubus victitarunt. Plato* φιλόσυκος. ἡγητηρία. *Ficus Callistruthiæ, Passariæ dictæ. Pediculos generant, voci obsunt, quidnam post ficus bibendum. Caricæ & boni & mali succi sunt. Cum nucibus & Amygdalis sumptæ, saluberrimæ. Mithridatis Antidotum.*

CAP.XLI. *Dulces vuæ cur sitim magis inducunt. egregiè nutriunt. Vua* εὐγενεῖς *Platonis, diuersa à Galeni* εὐγενεῖ. *Ollares. Botryones, Paleares. Pensiles vuæ saluberrimæ. vua fabrilis & fabricia. Seruata in aqua pluuia. vuæ passæ, Hepatis obstructionibus commodæ. Corinthiacæ.*

CAP.XLII. *Oliuæ Druppæ.* κολύμβαδες. *Natantes Aureliano dictæ,* ἁλμάδες, νηκτρίδες. *aluum subducunt ante alios cibos comestæ. Olei facultates. Capparis lieni conducit.*

CAP.XLIII. *Nuces Persicæ & Basilicæ. Nuptijs spargebantur nuces, eius caussa ex Plinio & Seruio. Tripudium Soniuium. Nuces cum Caricis sumptæ salubres, Alexipharmacis, annumerantur. Auellanæ, Ponticæ,* στρόβιλοι, κωνάρια, κόκκαλος.

CAP.XLIV. *Amygdala nux. Nucida aliquibus dicta, Græca & Thasia nux. Amaræ ebrietati resistunt. Vulpi sunt venenum. Pistacia ex Syria in Italiam translata. Theophrastus Terebintho similem arborem tradit.*

CAP.XLV. *Castaneæ, Nuces Sardianæ & Euboicæ, Leucenæ, Heracleoticæ. Coctiuæ quales. Alimentum copiosum, sed crassum præbent. An praui succi?*

CAP.XLVI. *Mellis triplex generatio. eius laudatio. nimis odoratum damnatur, biliosis no[illegible] tuitosis conuenit. Crudi & cocti discrimen. Mel aërium & roscidum, [illegible] cum Manna, varia eius genera.*

CAP.XLVII. *Saccharum veteribus, Mel arundineum dictum, non generatur in arundinum folijs. Salis modo in cannæ internodijs concretum. Sal Indicus.*

CAP.XLVIII. *Sal sacrificijs adhibitus. mensa prophana absque salino. Cur Neptunus & Ceres eodem phano colerentur. pulmentarij vices supplet. Graciles impinguat. Fœcunditatem auget. Ægyptij sale abstinebant.*

LIBRI

CAPITVM.

LIBRI SECVNDI.

CAP. XII. Ακροκώλια. *Trunculi. Suilli pedes febricitantibus concessi. rostrum putredinosum quid exhalat. Cerebrum veteribus interdictum, tanquam res sacra. spinalis Medulla nihil cum cæteris commune habet.*

CAP. XIII. *Bubula lingua cæteris præfertur. Glandulæ variæ. Vitulorum maximè laudabiles. Glandia. Testes Gallinaceorum. Suillum hepar* συκωτόν.

CAP. XIV. *Homerus Caprarum sanguinem laudat. Isicia difficilis concoctionis. Tomacula. Tuceta diuersa ab Isicijs. Botulus. Lucanica diuersa à Botulis. Phalisci. Silicernium. Hillæ. Apexabo. Longano.*

CAP. XV. Γαλακτόποται. *Lac temperatum est, ita tamen vt ad frigidum magis quàm caldum inclinet. Plinij & Varronis iudicium de lactis natura reiectum. cur Caprinum Lac minus Bubulo vẽtrem moueat: Lac Asininum Podagricis prodesse. Celsus emaculatus.*

CAP. XVI. *Oxygala. Melca, & eius præparatio. Aphrogala. Colostrum vel Colostra.* πρωτόγαλα, πυαρίτης, πυριέφθεις. *Colostratio. Schiston.*

CAP. XVII. *Caseus à coagulo acrimoniam contrahit. vetusti casei damnantur. Vulgare iudicium de casei præstantia reiectum. Hippace. Athletæ olim caseo ex calathis victitabant.*

CAP. XVIII. *Butyri nomen Aristoteli ignotum.* πικέριον. ἐλαίον ἀπὸ γάλακτος. *Burgundiones capillos Butyro lauabant. Plinius obiter emaculatus.*

CAP. XIX. *Canes sero impinguantur. de Seri temperamento controuersia. frigidum est & humidum, bibendum in magna quantitate.*

CAP. XX. *Auium cura magni olim quæstus. Auiaria maxima. Turdorum fimo agri stercorati.* ὀρνιθῶνες. *familijs ex auibus nomen inditum. Vitellij patina. Clodij Æsopi luxus. non oportere vllam auem, præter Ficedulam totam comesse.*

CAP. XXI. *Aues non ita firmum alimentum, ac quadrupedes præbent. differentia illarum ab ætate, anni tempore, loco & victu; cur post Sextilem mensem erat vetitum Auspicari.*

CAP. XXII. Ὄρνιθες *propriè Gallinæ dictæ. Gallinaceorum certamen, vnde id ortum. Lacte saginati. Capi optimè alunt. Gallinarum ius non sistit aluum. Altiles olim cœnis interdictæ, Castratæ etiam, vt pinguiores essent.*

CAP. XXIII. *Columbæ apud Syros sacrosanctæ. Columbæ sunt salubres, contra Arabum opinionem. Error illorum qui felle carere asserunt. Palumbes Veneri aduersantur. Turturum caro Columbis durior.*

CAP. XXIV. *In Samo primum Pauones educati. Iunoni consecrati. ex Pauonibus ingens quæstus. Carne sunt dura. non putrescere illos Diuus Augustinus refert.*

CAP. XXV. *Gallinæ Numidicæ guttatæ. Meleagrides ab illis diuersæ. Varro explicatus.*

LIBRI

ARGVMENTA

LIBRI TERTII.

CAP. XIX.

sitas.

sitas. Squillæ in maximo pretio. Suidæ error. Squillarum species Cammarus. *Locustæ Græcis familiares. Astaci qui.* Cancrorum *genera aliqua.*

CAP. XXXVII. *Ostrea delicatorum cibus, Maris Tubera dicta. Viuaria illorum exstructa; quænam optima. Plinius emendatus. In gustu apponebantur. Dotes illorum, quo tempore optima.*

CAP. XXXVIII. *Echinorum varia genera. Pollux emendatus. Laconis de illis dictum. quibus vtiles. Spondyli; Veneriæ conchæ.* Seneca *explicatus. Pelorides, Glycymerides, Balani; Vrticæ, Purpuræ. Trachali, Mituli.*

CAP. XXIX. *Testudinum diuersa genera. magnitudo mira. illorum laminis Lecti & repositoria tecta.* Chersina, *& Mascula.* Cæsarum *filij in Testudineis alueis lauabantur.*

CAP. XL. *Pomponius Mela & Iulius Scaliger, negant reperiri Pisces fossiles. Aristoteles, Theophrastus, Strabo, & Polybius asserunt, & recentiores aliqui. inueniuntur etiam in magnis Saxis.*

CAP. XLI. *Isicia ex piscibus; vnde dicta. Isidori opinio reiecta. Heliogobalus primus illorum inuentor. varia illorum genera. Trallianus emendatur.*

CAP. XLII. *Salsamenta olim in pretio. Sacrificijs adhibita. Horæa quæ. Oribasius emendatur. Cybia. Melandrya. Pollux & Apicius emendati. Saperda.*

CAP. XLIII. *Salsamentorum vsus salubris, in principio mensæ sumebantur. Macerabantur variè.* Dioscorides *de Drymiphagia explicatus. Noxa ex illis post venæ sectionem.*

CAP. XLIV. *Quid Garum. Cælij Aureliani Lapsus. Sociorum Garum. Plinij lectio firmata, & Ausonij. Idem* αἱμάτειον *&* μέλαν *dictum. Variæ Gari species. Hysichius & Aetius obiter emendati.*

CAP. XLV. *Muria multiplex, vbi præstantior. Quid Dura Muria. pœnæ loco qui Gryphum in mensa propositum, non soluebat. Alec varijs ex rebus parata.*

LIBRI QVARTI.

CAP. I. *Triplex corporis substantia, triplici alimento recreatur. Potus vtilitas. Aquæ necessitas. eius bonitas, varijs indicijs exploratur. Fallacissimum quod per solam stateram. Hippocratis infallibile indicium.*

CAP. II. *Aqua pluuia opima. Plinius refellitur. alia temporaria, alia procellosa, quæ mala, pessima quæ per plumbeos tubos deriuatur.*

CAP. III. *Fõtes qui optimi. hyeme incalescere & frigere æstate, bonitatis indicium. Puteana aqua inter saluberrimas. Nili aqua optima. Tyberina nostro*

æuo

eno laudatur. Ægypti paludes solæ laudabiles.

NOMEN-

NOMENCLATOR

PROPRIORVM NOMINVM

QVORVM HIC FIT MENTIO.

AGnus, Ἀμνὸς. Italicè, *Agnello*. Hiſpanicè, *Cordero*. Gallicè, *Agneau*. Brabanticè, *Lammeken*.

Alauda. κορυδαλὶς. It. *Lodala*. H. *Coguiada*. G. *Alouette*. B. *Leeuvverck*.

Allium. Σκορόδον. It. *Allio*. H. *Ayos*. G. *Aulx*. B. *Loock*.

Anas. Νῆττα. It. *Aniſtre*. H. *Anade*. G. *Anette*. B. *Endt-voghel*.

Anguilla. ἐγχέλυς. It. *Anguilla*. B. *Ael*, *Paelinck*.

Amygdala. Ἀμύγδαλα. It. *Mandole*. H. *Almendras*. G. *Amande*. B. *Amandel*.

Anſer. χὴν. It. *Occha*. H. *Ganſo*. G. *Oyſon*. B. *Gans*.

Aper. ὗς ἄγριος. It. *Cingiale*. H. *Iauali*. G. *Sanglier*. B. *VVilt-vercken*.

Apium. Σέλινον. It. *Petroſelino*. H. *Perexil*. G. *Perſil*. B. *Petroſelie*.

Ardea. ἐρωδιός. It. *Airone*. H. *Garza*. G. *Heron*. B. *Reyger*.

Ardea ſtellaris. Ἀστερίας. It. *Trombone*. G. *Buttor*. B. *Buttoir*.

Armeniacum. Βερικόκκιον. It. *Bricoche*. H. *Aluaricocques*. G. *Abricot*. B. *Auant Perſen*, *Abricocquen*.

Aſellus. ὀνίσκος. It. *Merluzzo*. G. *Merlu*. B. *Cabellau*.

Aſellus Minor. Καλλαρίας. B. *Schel-viſch*.

Aſparagus, corruda. Ἀσπάραγος. It. *Sparago*.

Aſtacus. Ἀστακὸς. It. *Gambaro di mare*. H. *Cangreio de mar*. G. *Eſcreuiſſe de mer*. B. *Zeecreft*.

Attagen. Ἀτταγᾶς. It. *Francolino*. G. *Gelinette du Bois*.

Aurata. χρυσόφρυς· It. *Aurata*. H. *Dorada*. G. *Brame de Mer*. B. *Zeebraſem*.

Beta. Σεῦτλον. It. *Bietola*. H. *Acelga*. G. *Bete*. B. *Biete*.

Braſſica. Crambe. Κράμβη. It. *Cauli*. H. *Verza*. G. *Choulx*. B. *Koole*.

Botulus. It. *Morzilla*. G. *Bodin*. B. *Beulinck*.

Buccellatum. Δίπυρος, δισέφθος. It. *Biſcotto*. H. *Viſcoccho*. G. *Biſcuyt*.

Buccinum. Κύρυξ. It. *Buccino*, *Cornetto*. H. *Buzio*. G. *Coquille*. B. *Kinckhoren*.

Bugloſſum, vulgaris Borrago. Βούγλωσσον. It. *Borragine*. B. *Bruynaie*.

Cancer. Καρκίνος. It. *Grancio*. H. *Cangreio*. G. *Cancres*. B. *Crabbe*.

Capra. Αἴξ. It. *Capra*. H. *Cabra*. G. *Cheure*. B. *Geyte*.

Caprea. Δορξ. It. *Capriolo*. H. *Cabra Montez*. G. *Cheureau*. B. *Ree*. *oft vuilde geyte*.

Carduus altilis. Κίναρα. It. *Cardo.* H. *Cardo de comer.* B. *Cardoen.*
Cæpa. Κρόμμυον. It. *Cepolla.* H. *Cebolla.* G. *Oignon.* B. *Ayun.*
Castanea. λοπιμόν, κάστανον. It. *Castagna.* H. *Marone.* G. *Chastagne.*
Ceruus. ἔλαφος. It. *Ceruo.* H. *Cieruo.* G. *Cerf.* B. *Hert.*
Cerasum. κεράσιον. It. *Ceregie.* H. *Cerezas.* G. *Cerise.* B. *Kersen*, *Criecken.*
Cicer. ἐρέβινθος. It. *Ceci.* H. *Grauancos.* G. *Cices.* B. *Ciceren*, *Spaensche erten.*
Ciconia. πελάργις. It. *Cicogna.* H. *Ciguena.* B. *Oyeuart.*
Cinara. Κάκτος. κίναρα. It. *Carcioffo.* H. *Artichocas.* G. *Artichaulx.* B. *Artichochen.*
Citrium. Malum Medicum. κίτριον. It. *Citrone*, *Cedro*, *Limone.* G. *Citron.* B. *Citroen oft, Limonen.*
Cochlea. κοχλίας. It. *Limaga.* H. *Caracol.* G. *Limaçon.* B. *Slecke.*
Columba. περιστερά. It. *Columbo.* H. *Paloma.* G. *Pigeon.* B. *Duyue.*
Congrus. κόγγρος. It. *Broncho.* H. *Congrio.* G. *Congre.* B. *Congerael.*
Conchis. Faba cum corticibus suis elixa. It. *Haua cozida con su corteza.* B. *Ongepelde Boonen.*
Cotoneum. κυδώνιον. It. *Pomo Cotogno.* H. *Membrillo.* G. *Pomme de Coing.* B. *Queappel.*
Coturnix. ὄρτυξ. It. *Quaglia.* H. *Codorniz.* G. *Caille.* B. *quackel.*
Cuculus piscis. κόκκυξ. It. *Pesce Cappon.* H. *Ruyuo.* G. *Rouget.* B. *Zeehaen.*
Cignus, olor. κύκνος. It. *Cigno.* H. *Cisne.* B. *Suuaene.*
Cyprinus. Cassiodoro Carpa. κυπρῖνος. It. *Carpa.* B. *Kerper.*
Dactylus. Palmula. Caryotis. φοῖνιξ, δάκτυλος. It. *Dattili.* H. *Tamaras.* G. *Dates.* B. *Daden, Dayen.*
Dama. Δορκάς. It. *Diano.* H. *Gaino*, *Cabra montez*, G. *Dain.* B. *Daneken.*
Encrasicholi ex Apuarum genere pisciculi. ἐγκρασίχολοι. It. *Anchoues.*
Eruca. εὔζωμον. It. *Rochetta.* H. *Oruga.* G. *Roquette.* B. *Rakette.*
Erythrotaon. G. *Phrisant bruiant.* B. *Berckhoen.*
Eruilia. Ὦχρος. It. *Pisarelli.* H. *Arueia.* G. *Pois.* B. *Ervvitten.*
Ficedula. Συκαλίς. I. *Beccafigo.*
Fraga. It. *Fraga.* G. *Freses.* B. *Eerdt besien.*
Fringilla. Σπίζα. It. *Frinquelle.* G. *Pinson.* B. *Vincken.*
Fungus. μύκης. It. *Fungo.* H. *Hongo.* G. *Champignon.* B. *Campernoelle.*
Ficus. Σῦκον. It. *Fico.* *Higo.* G. *Figue.* B. *Vyge.*
Ficus Passæ. Caricæ. ἰσχάδες. It. *Fichi de quaresima.* G. *Fiches seches.* B. *Dodesche Vyghen.*

Gallina

Gallina Numidica. H. *Gallina Morisca.* G. *Poulle de Guine.* B. *Doots-hoefdekens.*
Gallina Indica vel Meleagris. It. *Gallina d'India.* H. *Gallo pauo.* G. *Poulle d'Inde.* B. *Calchoensche hinne.*
Gallinago. Σκολώπαξ. It. *Gallinella*, *Becassa.* H. *Gallina Cieca.* G. *Becasse.* B. *Houdt-sneppe.*
Glis. μύοξος. It. *Gliero.* H. *Liron.* G. *Rat gleron.* B. *Velt-muys.*
Grus. γέρανος. It. *Grua.* H. *Grulla.* G. *Grue.* B. *Crane.*
Hœdus. ἔριφος. It. *Capretto.* H. *Cabritto.* G. *Cheureau.* B. *Ionghe gheyte.*
Intybus. Σέρις. It. *Enduuia.* H. *Scarola.* G. *Scariole.* B. *vvitte Endiuie.*
Iulis. ἴουλις. It. *Pesce Donzella.*
Isicia. ἰσίκια. It. H. *Salzise.* B. *Saucijs.*
Lampetra. Ausonij Mustella. Exormiston Cassiodori. ἔχενηις. Oppiani. It. H. *Lamprea.* B. *Lampreye.*
Locusta. κάραβος. It. H. *Langosta.* G. *Langouste.* B. *Stuercrabbe.*
Loligo. G. τευθὴ. It. *Pesce calamaro.* G. *Casseron Taute.* B. *Blackvvisch.*
Lupulus. It. *Bruscandola.* H. *Honbrezillos.* G. *Houblon.* B. *Hoppe.*
Lupus Piscis. λάβραξ. It. *Spigola, Varolo.* H. *Sollo.* G. *Lubin.* B. *Zeesnouck.*
Lucanica. It. *Luganiga.* H. *Longaniza.* B. *VVorst.*
Malum Punicum. Ῥοιὸν. It. *Pomo Granato.* H. *Granade.* B. *Granaet-Appel.*
Melopepon. μηλοπέπων. It. H. *Melon.* B. *Meloen.*
Mugil. Capito. κεσρεὺς. It. *Cieualo.* G. *Mullet.* B. *Harder.*
Mullus. τρίγλα. It. *Barbo, Trigla.* H. *Salmonette.* G. *Barbeau, Surmulet.* B. *Zee-Coninck.*
Nasturtium. Κάρδαμον. It. *Nasturtio.* H. *Nastuerco.* G. *Cresson.* B. *Kerse.*
Mulsa, ὑδρομέλι. It. *beuanda de Aqua & Melle.* B. *Meede, Honich-vvater.*
Oxalis. acetosa. ὄξαλις. It. *Herba brusca.* H. *Romaza. Azedera.* G. *Ozeille.* B. *Surchel.*
Otis. *Auis tarda.* Ὤτις. G. *Bistarde.* B. *Trap-gans.*
Palumbes. φάσσα. It. *Columbo fauaro.* H. *Paloma torcaz.* G. *Ramier. Mansara.*
Passer Piscis, Ausonio Platessa. ψῆττα. It. *Platuse.* G. *Pleye.* B. *Scolle, Pladijs.*
Perca. πέρκη. It. *Persega.* G. *Perche.* B. *Baers.*
Pastinaca. Σταφυλῖνος. It. *Pastinaca.* H. *çenoria blanca..* B. *Pastenacken.*
Perna, aliquibus etiam Petaso. Πέρνα. It. *Presciuto.* H. *El Pernil de tocine.* G. *Iambon.* B. *Hespe.*
+ Polypus. G. Πολύπους. It. *Polpo.* H. G. *Poulpe.*
Rhombus. ψῆττα, Ῥόμβος. H. *Rodouallo.* G. *Turbot.* B. *Tarbot.*

Sapa.

Sapa. σίραιον. It. *Vin cotto.* H. *Arrope.* G. *Vin cuict.*

Scombrus. Σκόμβρος. It. *Scombro.* H. *Caualla, Pesche Aleche.* G. *Maquereau.* B. *Macreel.*

Sepia. G. Σηπία. It. *Sepia, & Sopina.* H. *Seba.* G. *Seche.* B. *Spaensche Zeecatte.*

Siser. Σίσαρον. It. *Sisaro.* H. *Chirimas.* G. *Gyroles.* B. *Suytker-vvortelen.*

Solea, Lingualaca. βούγλωσσος, σανδάλιον. It. *Lenguata.* H. *Lenguado.* G. *vne Sole.* B. *Tonge.*

Sturnus. ψάρον. It. *Storno.* H. *Estornino.* G. *Estourneau.* B. *Spreeuvve.*

Testudo. χελώνη. It. *Galana, Tortuga.* H. *Galapago, Tartaruga.* G. *Tortue.* B. *Schilt-padde.*

Tructa, Salar. τρώκτης. It. *Trotta.* H. *Truccha.* G. *Truitte.* B. *Een Truyte.*

Turdus. κίχλα. It. H. *Tordo.* G. *Tourd.* B. *Lyster.*

Veruex. Κριὸς ἐκτετμημένος. It. *Castrato.* H. *Carnero, Castrado.* G. *Mouton.* B. *Hamel.*

APPROBATIO.

QVATVOR hi Libri, in quibus Clariss. & Expertiss. D. LVDOVICVS NONNIVS Antuerp. Medicus, *Rem Cibariam* præclara eruditione conditam, varijs Antiquorum monumentis exornat: nihil continent quod sano stomacho nauseam mouere, aut gustatum syncerum inficere queant: adeoque non solùm in gratiam Medicinæ candidatorum, sed & reliquorum mortalium, qui ex ijs discent, alimenta, non ad voluptatem, sed vt medicamenta cum gratiarum actione, ad sanitatem sumere, vtiliter euulgabuntur. Actum Antuerpiæ. 6. Iulij, 1627.

P. Coens S. T. Licent. Canonicus & Librorum Censor Antuerp.

LVDO-

LVDOVICI NONNI MEDICI DE RE CIBARIA LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Alimenti neceßitas. tripliciter Hippocrati dicitur. alimentum medicamentoſum. varia eius materia.

CVM corporis noſtri conſtitutio interitui obnoxia, perpetuò diſſoluatur, & per inſenſibilem tranſpirationem, innatus calor aſſiduò diſſipetur; natura ſagax, ne animal diuinum protinus ab ortu deficeret, Alimentum ceu pręſens quoddam inanitionis remedium dedit, vt quod continuo effluxu diſſolutum eſſet, ciborum beneficio id reſarciri & reſtaurari queat; Lucretius eleganter lib. IV.

Multaque per ſudorem ex alto preſſa feruntur,
Multa per os exhalantur, cum languida anhelant.
His igitur rebus, rareſcit corpus, & omnis
Subruitur natura: dolor quam conſequitur rem,
Propterea capitur cibus, vt ſuffulciat artus,
Et recreet vires interdatus, atque patentem
Per membra ac venas, vt amorem obturet edendi.

Si enim nihil nobis deperiret per occultam euacuationem,

ſed in eodem ſtatu animal permaneret, nulla eſſet alimentorum neceſſitas, immò nullum ſenij aut mortis periculum immineret. Sed cùm perpetuo ſubſtantiæ noſtræ fluore, imminui vires, & partium inde imbecillitatem conſequi ſentiamus, ideo reſtauratione occurrimus, quæ ciborum aſſumptione peragitur; quorum ope, neque in ſecunda, neque aduerſa valetudine carere poſſumus. Eſt autem Cibus, ſiue Alimentum, quod augere corporis noſtri ſubſtantiam, quodque nutrire poteſt; ex omni enim genere, ea quæ totis ipſorum alteratis ſubſtantijs, & à calore noſtro ſuperatis, in familiarem animantis qualitatem, atque ſubſtantiam demutari poſſunt, alimenta iure dicuntur; eo autem à Medicamentis diſtinguuntur, quòd Medicamentum id dicatur, quodcumque alterat corporis noſtri ſubſtantiam, neque ab illa, quatenus tale ſuperari poteſt; alimentum verò à calore noſtro ſuperatur & mutatur; quod triplex Hippocrates ſtatuit, libello de Alimento. τροφῆς δὲ τὸ τρέφον, τοῦτο τροφῆς; καὶ τὸ οἷον τροφὴ, καὶ τὸ μέλλον τροφή. *Alimentum autem quod alit, hoc eſt alimentum; & quod eſt velut alimentum, & quod eſt futurum alimentum.* itaque verè Alimentum eſt id, quod iam actu nutrit, ſiue quod iam affigitur ſimul & commutatur, loco eius quod effluxit; quod autem veluti nutrimentum dicitur, illud eſt, quod proximum eſt vt nutriat, vt eſt ſanguis. futurum verò nutrimentum, cibus omnis eſt, qui ingeritur, qui poſtquam concoctionem adeptus eſt, nutrire poteſt, & in ſubſtantiam aliti commutari. itaque cibaria omnia quibus veſcimur, nutrimenta dicuntur, non quidem quòd animal ijs alatur, neque quòd talia ſint, vt actu iam nutriant; ſed quòd ſi commodè à natura ſuperentur, nutrimentum præbebunt. Inter Alimenta etiam quædam ſunt, quæ alendi tantùm, non etiam alterandi facultatem habent, quæ propriè & ſimpliciter Alimenta dicuntur, vt panis, caro & ſimilia, quæ nulla manifeſta qualitate pollent: alia verò non ſolùm corpus alere, ſed & alendo immutare poſſunt, ſic Cæ-

pa, Ra-

pa, Raphanus, Allium, Eruca, alunt pariter & calefaciunt, refrigerant verò Lactuca, Portulaca, Intybi, atque olerum pleraque; atque hæc omnia Alimenta medicamentosa dicuntur; Alimenta quidem, quatenus in corporis nostri substantiam familiari suo succo commutantur; medicamentosa vero, quatenus instar medicamentorum alterant & immutant. Materia autem Alimenti varia est, nam desumitur partim ex inanimatis rebus, partim ex animatis. inanimata, vt sunt Aqua & Sal; animata sunt vegetabilia alia, aut animalia: inter vegetabilia, sunt semina, fructus, olera & radices. Animaliũ verò triplex est genus, Gressiliũ, Volatilium, & Natatiliũ. sub quibus etiam annumeranda, quæcumque partes animalium non sunt, ab illis tamen deriuãtur & prodeunt, vt sunt oua, sanguis, lac, & ex lacte butyrum, & casei genera infinita. adeò multiplex subsidium liberali manu nobis suppeditauit benigna natura, vt fluxam & momentaneam vitam, alimentorum varietate proferre possimus: quod si eius beneficio rectè vtamur, sani & à morbis immunes viuemus; sed qui citra dilectum ac pro libidine iis fruitur, aduersa valetudine multisque morbis proculdubio tentabitur. quamobrem operæopretium me facturum reor, si Alimentorum singulorum vires breuiter & dilucidè percurram, vt quisque sibi conuenientia eligat, noxia prætermittat. *Maximũ hinc opus ordimur*, (vt Plinij verbis vtar in Proœmio lib. XX.) *& cibos suos homini narrabimus, faterique cogemus, ignota esse per quæ viuit, neque id paruum aut modicum existimauerit, nominum vilitate deceptus.* neque tamen animus est, Medicorum more singula anxiè perquirere, & variis quæstionibus lectorem fatigare, hoc enim à plerisque factum, & Patrum memoria, Iulius Alexandrinus Medicus doctissimus, tãta diligentia & accurata eruditione, prouinciam hanc obiuit, vt solus curiosorum sitim posset extinguere. Sed consilium fuit, humanioris litteraturę scitamentis, Medicorum doctrinam condire, vt omnium palato noster hic labor placere possit.

CAPVT II.

An cibus ſimplex vel varius ſit ſalubrior.

SEd priuſquam ad ſingulorum alimentorum dotes deſcendam, lubet hîc, tanquam in Anticænio quærere; Num cibus ſimplex naturæ noſtræ magis conueniat, an multiplex & varius? varietatem enim quidam adeò damnant, tanquam naturæ prorſus contrariam: quòd animantium pleraque ſimplici cibo contenta degant, & firmiori quàm homines vtantur valetudine; talis faciliùs concoquitur, varius verò difficiliùs à ventriculi calore ſuperatur, cùm enim diuerſæ ſubſtantiæ & qualitatum ſit multiplex cibus, diuerſas etiam vires habet,quæ calor noſter eodem temporis ſpatio ſimul conficere nequit. quâ de cauſsâ videmus ſobrios plerumque ſalubriter viuere & morbis minùs obnoxios: ideo Plinius lib. XII. cap. LIII. *Homini cibus vtiliſſimus ſimplex; aceruatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſiora.*

Hippocrates lib. de flatibus,duplici de cauſsâ, malam eſſe hanc viuendi rationem ſcribit, tum quia plus quàm par eſt aſſumitur, tum etiam quia edulia varia, turbas excitant, nec pari tempore concoquuntur. τὰ γὰρ ἀνόμοια στασιάζει, καὶ τὰ μὲν θᾶσσον τὰ δὲ σχολαίτερον πέσσεται *diſſimilia enim ſeditionem concitant, atque hæc citiùs, hæc verò difficiliùs concoquuntur.* Hippocratis mentem eleganter Horatius expreſſit lib. II. Satyrarum. II.

———— Nam variæ res,
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit: at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul Conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Non immeritò itaque olim dixit Antiphanes Delius medicus

cus, apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Pædagogici cap. 1. *Ciborum varietatem vel vnicam esse morborum caussam.*

Accedit etiam varium cibum esse quasi lenocinium, quo non solùm plus alimenti appetimus, sed etiam ingerimus, vnde cruditates, & morborum agmina; hinc fit vt rurales homines, & laboribus exerciti, qui simplici victu vtuntur, robustiores sint, vrbanorum verò plurimi, qui lautiùs viuunt & ciborum varietate delectantur, magná ex parte imbecilles & morbis obnoxij degant.

Sed non desunt rationes validæ, quæ ciborum varietatem vt salubriorem persuadent. Nam vt corpus nostrum non simplex est, sed ex variis dissimilibusq́; partibus compositum, ita etiam alimentorum varietate indiget, aliud enim solidæ partes, aliud carnosæ requirunt, atque inter solidas, aliud ossa, aliud nerui, membranæ & viscera; nam sicut Apes ex dissimilibus & contrariæ qualitatis floribus, fragrantissima mella conficiunt, cur non persuadebimus nobis, naturam ex variis alimentis posse optimum succum elicere?

Nec vtuntur cætera animalia simplici victus ratione, quod aduersa pars asserit, ideoque saluberrimè viuere, siquidem variis cibis illa vescuntur; boues enim omnis generis herbas calidas & frigidas, dulces & amaras edunt, quod pratorum varietas testatur, capræ diuersissimas frutices depascuntur, vt testatur Eupolis veteris comœdiæ scriptor, apud Plutarchum lib. IV. Symp. & Macrobius lib. VII. Saturnalium cap. V.

Sed domesticum exemplum habemus in Gallinis, quæ non solùm cerealia & herbas, sed muscas, Araneas & insecta quęuis deuorant, quas tamen nemo insalubriter degere, vel prauum alimentum suppeditare nobis audebit dicere, ideo etiam Aristoteles animalia multa παμφάγα seu omniuora vocauit, quòd non simplici victu, sed vario delectentur.

Nec ſvarie tas ciborum turbas & cruditatem in stomacho mouet, ed nimia copia: certum enim est multos, quí variis ci-

 bariis,

bariis aſſueuêre, hęc mala effugere; & contrà plures, qui ſimpliciori victu vtuntur in illa incidere, quia modus vbique ſeruandus, peccabit enim qui ſimplici cibo cum copia vtetur, verbi gratiâ pane cum oleribus aut carne; econtra qui varium cibum moderatè ſumet, ſanitatis compos erit. Ipſa natura nos ad varietatem inuitat & allicit; tot olerum ſpecies & fructuũ genera, tot animantium diſcrimina nobis ad veſcendum oſtendens, vt appetitum excitaret, nulla enim re magis orexis quàm ciborum varietate mouetur: nam cibus qui cum voluptate ſumitur, cum deſiderio tractus in ventrem reconditur, quo dum fruitur, egregiè concoquit, quod non æquè illis euenit cibis quos nulla ſui iucunditas commendat: ſalus enim noſtri corporis in appetentia conſiſtit, qua deficiente, langueſcit & periculo proprior eſt homo.

Nemo etiam negabit cibi varietatem eſſe maximè ſecundum naturam, quoniam animalia ea vel vnicè gaudent, vt docuit Ariſtoteles lib. VIII. Hiſt. Animalium cap. XXI. *Cibus deniq; non ſimplex ſed varius, ſagina optima eſt, gaudent enim ſues pabuli mutatione, quemadmodum & cætera animalia.*

Sed ne promiſcua ciborum varietas nos in errorem ducat; obſeruandum, duplicem eſſe edulij varietatem, vel enim ſunt eiuſdem ferè ſubſtantiæ, tenuis nimirum & craſſæ, facilis vel difficilis digeſtionis (licet ſint diuerſæ ſpeciei) ad quorum concoctionem idem penè tẽpus calorque requiruntur. Cauſſa autem cur varietas ciborum, accerſit enumerata mala, prouenit ex ciborum inæquali ſubſtantia, & eorumdem facili vel difficili concoctione, vt ſi quis eadem menſa bubulâ vel porcinâ veſcatur, cum pullis Gallinaceis, perdicibus aut capis; ſequentur hæc incommoda, quia perdices & capi faciliùs & breuiori tempore concoquuntur, quàm bubula & porcina; ſed ſi eadem menſa capos, perdices vel veruecinam aſſumpſerit, cum eodem penè tempore à calore noſtro ſuperantur, nihil inde incommodi ſequetur, nam licet diuerſa ſint, vnius tamen penè ſunt naturæ.

Itaque

Itaque probamus varietatem in alimentis, si vnius sint substantiæ, aut parum inter se dissideant, quòd si diuersæ sint substantiæ, simplicitas alimenti præferenda, quod noxis illis & cruditatum periculis careat. quare non possum negare, cautiùs agere qui simplicibus eduliis contenti viuunt, quàm variis, quia varietatis lenocinio plures cibos non solùm appetimus, sed ingerimus, vnde cruditates & infinita morborum genera, ideoque à Platone bene dictum, Non aliam ob caussam periculum esse in varietate, nisi quòd facillimè succumbimus voluptati. Cornelius Celsus egregiè distinguit quando ægris varietas eduliorum sit vtilis, lib. III. ca. IV. *Ponendi verò ægro varÿ cibi, sicut Asclepiades præcipit, tum demum sunt: vbi fastidio vrgetur, neque satis vires sufficiunt, vt paulum ex singulis degustando famem vitet, at si neque vis, neque cupiditas deest, nulla varietate sollicitandus æger, ne plus assumat quàm concoquat. neque verum est quod ab eo dicitur, faciliùs concoqui cibos varios; eduntur autem faciliùs; ad concoctionem autem materiæ genus & modus pertinent.*

CAPVT III.

De ordine in cibis seruando. qualia Alimenta præsumi debent, facilioris an difficilioris concoctionis.

NOn inutile fore existimo assumenti varios cibos, vt nunc moris passim est, inquirere num expediat ordinem aliquem in illis seruare, vel promiscuè illis vesci, nempe an conuenit cibos facilioris concoctionis præmittere, an illos qui tardiùs concoquuntur,

Negant hoc Medicorum quidam, inter quos Hieronymus Mercurialis, non obscuri nominis Medicus, qui libro III. Medicinæ practicę cap. XII. *cùm enim in confesso sit cibum tamdiu in ventriculo retineri donec totus in chylum permutetur, ideoq; inferiùs orifi-*

orificium quod Pylorum vocamus, ita claudi, vt non aperiatur nisi vniuerso cibo confecto; frustra ergo ordinem aliquem in cibis seruandum dicemus, cùm & cibus facilioris concoctionis non priùs ex ventriculo exeat, quàm qui difficilioris sit concoctionis, quia vterque in chyli speciem debet commutari.

Accedit, quòd si alimentorum ordo aliquis seruandus esset, duriora priùs essent assumenda, nam quod difficilius concoquitur, diutiùs etiam ventriculo immorari debere, itaque duriores cibi præmittendi essent & non leuiores.

Denique calor concoctionis auctor totus pæne est in fundo stomachi, non secus ac appetentia in superiori eius parte viget: itaque rationi consonum est illa quæ caloris huius opera magis indigēt, qualia sunt crassiora & magis dura alimenta, debere ante alios cibos præsumi, quæ cùm diutiùs in fundo stomachi permanerent meliùs concoquerentur.

Pro corollario addunt Hippo. in legitimis operibus nusquam meminisse ordinis alicuius in assumendis cibis. Huius opinionis primus auctor fuit Petrus de Apono vulgo Conciliator differentiarum dictus, Diff. CXIX.

Sed contrariam opinionem maior pars Medicorum tuetur; alimenta nempe quæ facilioris sunt concoctionis præmitti debere, vt reliquis cibis quasi viam sternant; nam si illa postremo loco assumerentur, vbi semel essent concocta, atque interclusa via ab alimentis difficilioris concoctionis, inutili mora corrumperentur, & reliqua inficerent totamque vitiarent concoctionem.

Sed animaduertendum, alimenta quædam esse facilis descensus per se, quoniam medicamentosę qualitatis vim participant, quâ lubricas vias reddunt, vt pruna, malua, lactucæ; quædam irritando facultatem expultricem, vt salsamenta, oliuæ: nonnulla per accidens per aluum facillimè descendunt, quòd facilioris sunt concoctionis, vt sunt horarij fructus cerasa, mora, fraga quæ in mensæ principio sumenda sunt, atque

que craſſioris alimenti edulijs præmittenda.

Quod olim docuit Hippocrates lib. III. de victus ratione, in Acutis textu XXII. *Mulſa tamen poſt ptiſanæ ſorbitionē epota, valde replet, inflat, Hippochondrijs eſt inutilis. Sed ſi ante ſorbitiones bibatur, non vt ſuperpota lædet, ſed iuuat.*

Galenus in Commentario vniuerſam hanc litem videtur diſſoluere, his verbis, *Verùm vno Mulſæ Ptiſanæque edoctus exemplo, hunc accipe ſermonem. Nam perpetuò prius ingerenda ſunt, quæ & faciliùs corrumpuntur & quæ ſubducuntur, poſteriùs verò contraria, Ptiſana autem quàm Mulſa difficiliùs corrumpitur, & deſcendet tardiùs.*

Sed multò luculentiùs idem auctor lib. II. de Alim. Facult. cap. XI. *Satius enim fuerit ſcire, ex cibis qui ſubducuntur, poſteriores quidem ſumendos, qui tardè permeant, omnium autem primos, qui celeriter quidem peruadunt, corrumpuntur autem ſi in ventriculo morantur diutiùs.*

Libro verò III. de Symptomatum cauſſis cap. I. docet inter cauſſas deprauatæ concoctionis, ventriculo non affecto, eſſe intempeſtiuum ordinem in aſſumendis alimentis. *Ordinem præpoſterum appello, ſiquis exempli cauſſâ, Cotonea mala aut pyra in primis ingeſſerit, mox olera ſumat ex oleo & garo.*

II. verò de Alim. Facult. cap. XIX vbi de Perſicis agit, *Sed in omnibus quæ praui quidem ſunt ſucci, verùm humida ſunt & lubrica, & quæ facilè ſubduci queant, id communiter tenendum ea ob id ante alios cibos ſumenda; ita enim fiet, vt citiùs ſubducentur, & alijs cibis viam muniant; quæ ſi ſumpta poſtrema fuerint, vnà ſecum alia quoque corrumpent.*

Cornelius verò Celſus Galeno antiquior lib. I. cap. II. *Cibos, inquit, à ſi'ſamentis, oleribus, ſimilibuſque rebus melius incipiet, nam illa faciliùs ſubducuntur, & aluum mouent, reliquiſque alimentis viam ſternunt.*

Vulgus etiam naturæ quaſi inſtinctu, iurulenta, olera & elixos cibos præmittit, mox ſolidiores, vt aſſos & durioris con-

coctionis subiungit, quod & Poëtæ Martiali non ignotum lib. XI. Epigr. LIII.

Prima tibi dabitur ventri Lactuca mouendo
Vtilis, & Porris fila resecta suis.
Mox vetus, & tenui maior Cordyla lacerto,
Sed quam cum Rutæ frondibus, oua tegunt.

Quibus verbis annuit, olera & salsamenta, in prima mensa siue in Anticænio, moris fuisse apponi, subiungit enim:

Hæc satis in gustu; cætera nosse cupis?
Mentiar, vt venias, Pisces, Conchylia, Sumen
Et Cortis saturas, atque paludis aues.

Hinc etiam veteres assueuerant in conuiuijs primo illa assumere, quæ facilioris erant digestionis, vt monet Horatius lib. II. Satyra IV.

Aufidius forti miscebat mella Falerno
Mendosè, quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet, leni præcordia Mulso
Prolucris melius?

Lene enim Mulsum in principio cœnæ conuiuis apponebatur; vnde cœnæ initium, Promulsidem dictam viri docti suspicantur. Macrobius etiam in laterculo cœnæ Pontificiæ Metelli Pij, narrat in Anticœna fuisse appositos, Echinos, Spondiles, Pelorides, Ostreas crudas, quæ omnia aluum mouent, & facilis sunt concoctionis. Sed non satis est opinionem hanc firmis argumentis adstruxisse, nisi & aduersariorum rationes dissoluantur.

Ad primam dicendum; non ex eo inferri necessarium fore, imum Ventriculi orificium, eò vsque clausum manere donec vniuersa Chylosis fuerit peracta, sed Pylorum nihil elabi sinere crudum vel incoctum; itaque potest cibi portio iam concocti elabi, dum reliquum concoquitur; erit autem is cibus facilioris concoctionis, non secùs ac in lebete eodem, vitulina caro citiùs bubulâ, vel porcinâ coquitur, quamuis omnia ab eodem

eodem igne concoquantur: ita etiam in Vẽtriculo aliud priùs, aliud verò posteriùs in chylum mutari, quod priùs permutatum, priùs egredi, interim reliquum immutari. Sed demus semiconfectum alimentum Ventriculo emitti, nihil tamen absurdi inde sequeretur: siquidem illud in intestinis perfectam adipiscetur concoctionem, auctor est Galenus lib. IV. de vsu partium & alibi, intestina esse non solùm instrumẽta deiectionis sed & concoctionis, vt non aliter ac Ventriculus chylum possent elaborare. Nam si necesse esset stomachum eò vsque clausum permanere, donec omne alimentum esset confectum, credo quòd pueris, qui assiduò edunt, nimia distentione venter disrumperetur: siquidem, illum recenti cibo continuò replent. sed cùm pars cibi confecti descendat, alteri locum facit, & reliquum interim concoquitur.

Nec firmius est aliud argumentum, quo probare nituntur difficilioris concoctionis cibos esse præmittendos, vt meliùs concoquantur, vtpote qui diutiùs in Ventriculo hærere debent, quòd in illa parte calor coctionis auctor positus est; non enim in solo Ventriculi fundo celebratur concoctio, vt sibi persuasit Auicenna, sed in tota eius substantia. docet enim Galenus lib. v. de locis affectis, cap. v. concoctionem fieri Ventriculi, ab ore eius infernam vsque partem. Non ergo in solo fundo; quo supposito tota corruit aduersariorum argumentatio.

Addunt alij Ventriculi fundum magis esse carnosum, ideoque præmittenda difficilioris concoctionis alimenta, sed hoc etiam falsum esse docet experientia: totus enim Ventriculus duabus membranis constat, interna & externa, hæc carnosa est & circumiecta, vt faciliùs excipiat & retineat instar fomenti, calorem adiacentium viscerum iecoris & lienis, quod non solùm ventriculi fundo, sed vniuerso eius corpori accidit, vt Anatomia docet.

Quod vltimo loco obijciunt Hippocratem in legitima ope-

rum parte nusquam meminisse ordinis alicuius seruandi in cibis, ex lib. III. de ratione victus in morbis acutis Textu XXII. contrarium suprà ostendimus, & Galeni auctoritate, mentem eius clariùs interpretati sumus: sub exemplo enim Ptisanæ & Mulsæ, vniuersalem doctrinam elicimus, cibos leuiores & facilioris digestionis esse præmittendos.

CAPVT IV.

Salubrius esse sæpiùs quàm semel de die comedere. Antiqui frequentius cibum sumebant. Ientaculum, Prandicula, Silatum. Prandium. Merenda. Cœna, Vesperna; Comessatio.

OPeræpretium erit, deinceps inquirere an sanitati magis conducat, frequentiùs quàm semel tantùm cibum sumere: ab antiquissimis enim temporibus hac in parte variatum. Nam & Hipp. refert lib. II. de Victus ratione in Morbis acutis Text. XXII. & XXIII. aliquos semel, aliquos bis solitos comedere; Prandere nẽpe & cœnare. Vtiliùs autem & sanitati magis conducere, bis de die quàm semel tantùm cibum capere; quem morem vsus passim obtinuit. Nam semel tantùm de die vesci, paucis conuenit; Vrbanis negocijs & laboribus deditis prorsus inutile: siquidem inedia, laborum intolerantes redderet; sed homines aptiores studijs, mentisq́; meditationibus reddit. Hipp. lib. II. de Diæt. refert Μονοσιτίην, attenuare & exsiccare corpora, aluum *sistere.* Ad hunc locum videtur respexisse Plinius lib. XXVIII. cap. V. *Hippocrates tradit, non prandentium exta celeriùs senescere;* Sed non dicit Hippocrates: *Senescere* sed Ξηραίνειν seu siccari; sed more suo Plinius eleganter Hipp. mentem explicat, siquidem ad consumptionem humiditatum viscerum, & carnium, necessarium est marcorem & senium præcox consequi; ideoque Cornelius Celsus bene suadet lib. I. cap. I.

1.cap.1. *Bis die potiùs, quàm semel cibum capere, & semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat;* itaque relicta Μονοσιτίη, siue vnica refectione, expendamus quoties veteres de die cibum capiebant; Græci illum quadrifariam diuidebant, vt & Romani, in Ἀκρατισμὸν, Ἄριστον, ἑσπέρισμα & δεῖπνον, Ientaculum, Prandium, Merendam & Cœnam; intemperantes, & quintum adiecerunt, Comessationem scilicet.

Ἀκρατισμὸς autem dicitur, teste Plutarcho VIII. Symp. qu. VII. ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, à mero, quod buccellam panis mero intinctam sumerent, alij ἀπὸ τῆς ἀκρασίας, siue ab incontinentia dictum volunt, nam incontinentes habebantur, qui ientaculo vtebantur. Latini ientaculum dictum volunt, quod is cibus sit, qui ieiunium soluit: Isidorus lib. xx. Originum. *Ientaculum est primus cibus, quo ieiunium soluitur.* Nigidius, *nos ipsi, ieiunia ientaculis lenibus polluimus.*

Olim etiam Prandicula dicta. Festus, *Prandicula veteres dicebant, quæ nunc ientacula.* Idem Festus, Silatum vocatum, fuisse Ientaculum auctor est. *Silatum antiqui pro eo, quod nunc Ientaculum dicimus appellabant, quia ieiuni, vinum Sili conditum, ante meridiem absorbebant.*

Quænam autem hæc vini conditura erat, hactenus non liquet. nisi dicamus, vinum fuisse Seseli vel Seli conditum. nam vt auctor est Ioannes Gorreus lib. Definitionum Medicarum. Σὶλ, ἢ Σίλι, *idem est quod* Σέσελι: *Hippocrates etiam* Σέλι *dixit.*

Auctor est Philemon apud Athenæum lib. 1. ientaculum etiam διανηστισμὸν dictum, quod ieiunis dabatur: Galli simili voce fæliciter hoc exprimunt, *Deiusner.*

Dabatur autem cibus hic, potissimùm pueris. Martialis libro XIV.

Surgite, iam pueris vendit ientacula Pistor,
Cristatæque sonant vndique lucis aues.

Similiter etiam opificibus, qui laborioso opere vitam tolerant, ne natura laboribus deficiat, ientaculo vires sunt firmandæ.

Venio nunc ad Prandium, ita dictum teste Isidoro, *ab apparatu edendi: propriè autem veteres vocabant omnium militum cibum ante pugnam; Vnde est illud Ducis (*Leonidæ*) alloquium, prandeamus, tanquam apud inferos cœnaturi.* Frigida Etymologia, quæ videtur à Trebellio Pollione, in vita Galieni Salonini desumpta, *Militare Prandium (quod dictum Prandium ab eo quòd milites ad bellum paret) à cunctis militibus initum.* Quo loco legendum, *quod dictum est, quasi Parandium, ab eo quod Milites ad bellum paret;* vt monuit iam pridem V. Doctissimus Cl. Salmasius. Plutarchus verò lib. VIII. Symposiacon, quæstione VI. videtur Prandij vocem deriuare, ab horâ quâ cibus sumitur, παρ' ἔνδιον, quod tempus meridianum significat; Ἄριστον, ἀπὸ τῆ ῥᾷστε, quod facilè ex quaque materia pararetur. Communis opinio est, Romanos leuem tantùm cibum in prandio sumpsisse, sed copiosiùs cœnasse. Horatius lib. I. Satyra VI.

Pransus non auidè, quantum interpellet inani
Ventre, diem durare.

Seneca Epist. LXXIX. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lauandæ manus.*

Certum tamen est, plerosque consueuisse olim etiam liberaliùs prandere, vt nunc moris est; opifices & vrbanæ operæ, non possunt absque copiosiore cibo subsistere. Dissipatur enim natiuus calor, assiduo labore, qui cibo frequentiori restaurandus, quamobrem pauci erant, qui vnica refectione contenti viuebant, quales erant, forensibus aulicisque negocijs districti, aut litterarum studijs impensè dediti; qui cibo pressi, sentiebant se minimè idoneos ad obeunda sua munia: quod antiquissimis temporibus factitatum, auctor est Plautus in Menechmis.

Bene obsonaui, atque ex mea sententia,
Bonum anteponam prandium Pransoribus.

Suetonius in Claudio. *Cibi & vini quocumque tempore appetentissimus. Cognoscens quondam in Augusti foro, ictusque nidore Prandij,*

quod in proxima Martis æde Salijs apponebatur, deserto tribunali adscendit ad Sacerdotes, vnaque discubuit.

Itaque non consueuerunt veteres μονοσίτειν, sed bis plerumque cibum sumere, vt hodierno die: sed illi parciùs prandebãt, copiosiùs verò cœnabant; nostro æuo prandemus lautiùs, cœnamus parciùs.

Post prandium Gulæ dediti, quibus molestum erat cœnæ tempus exspectare, Merendam sumebant. Philemon apud Athenæum ἑσπερίσμα vocat, idem etiam Atheneus lib. I. ex Homero δειλινὸν cibum vocat interpositum prandio & cœnæ. Nonius Marcellus, *Merenda dicitur cibus qui post meridiem datur.* Festus refert antiquos Merendam pro prandio dixisse, quòd scilicet medio die caperetur. Isidorus lib. xx. originum cap. II. *Merenda cibus est, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, & proxima cœnæ, vnde & Antecœna à quibusdam vocatur. item Merendare, quasi Meridie edere.* Idem verò cap. 3. *Merum dicimus quidquid purum atque sincerum est, sicut & aquam meram, nulli vtique rei mixtam. Hinc & Merenda quod antiquitus pueris, & operarijs, quibus panis merus dabatur, aut quod Meridient eo tempore, id est, soli ac separatim, non vtique vt in prandio aut in cœna ad vnam mensam.*

Dabatur autem opificibus, Agricolis alijsque qui laboribus vitam exercitam habebant, præsertim æstiuo tempore; pueris etiam exhibetur, quoniam illorum calor innatus facilè omnes cibos concoquit.

Cœna dicitur à communione vescentium, κοινὸν quippe Græci commune vocant, *est autem cœna vespertinus cibus quem Vespertinam antiqui vocabant*, vt Isidorus ait, sed obiter est emendandus, non enim *Vespertinam*, sed *Vespernam* vocabant: Festus, *Vesperna apud Plautum cœna intelligitur.* Idem tamen Festus, *Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc Prandium, Vesperna quam nunc cœnam appellamus.* Sed mirum est Prandium vocatum fuisse cœnam, quod tamen idem confirmat in voce Scensas. *Scensas*

Sabini

Sabini cœnas dicebant, quæ autem nunc prandia sunt, cœnas habeban & pro cœnis Vespernas habent. Sed mitto hæc obscura quæ Deli natatore opus habent. Græcis δειπνὸν dicitur, Athenæus ver ex Homero suspicatur, δειπνὸν & Α'ριστον eadē esse. Suidas etiar δόρπον cœnam vocatam, tanquam δόρυ παύειν, quòd post illar oporteret hastam sedare, & à prælijs abstinere, quæ vox Ho mero frequens, vt iam pridem viri docti obseruarunt; Hysi dius etiam δόρπον, δειπνὸν vocat.

Post cœnam comessatio sequitur, quâ nunquam nisi gu læ luxuique dediti vtebantur. Suetonius in Vitellio. *Epula trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in Ientacul Prandia & cœnas, comessationesque: facilè omnibus sufficiens vomitan di consuetudine.* Erat autem Comessatio intempestiuus pos cœnam cibus, quod clarè idem auctor in Domitiano docet *Conuiuabatur frequenter ac largè, sed penè raptim, certè non vltr Solis occasum, neque vt postea Comessaretur.*

CAPVT V.

Veteres victitarunt Pulte. discrimen inter Pultem & Polen tam. Pultiphagus & Pultiphagonides significabat Ita lum Pistores quando primùm Romæ fuere.

MOrtalibus alimenta primum suppeditarunt herbæ, & teneriores radices, deinde arborum fructus, adeò vt glandibus promiscuè pecorum instar vescerētur, priusquam panis vsus inuentus esset, quod eleganter expressit Ouidius Festorum IV.

Panis erant primis virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo sollicitante dabat:
Et modò carpebant viuax è cespite gramen,
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erat.
Post modò glans nata est: bene erat, glande reperta,
Duraque magnificas quercus habebat opes.

Prim

Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.

Succeſſerunt enim Cerealia diuino munere, ex quibus ſalubrior lautiorque cibus paratur, qua de cauſſa vetuſtas non immeritò Cereri diuinos honores decreuit, quòd frumenta inuenerit, eademque molere, & panificium opus ex ijs conficere docuerit, quo nihil vtilius hominum vitæ præſtari potuit: illa enim ſaluberrimum firmiſſimumque nobis alimentum præſtant, neque vnquam illorum ſatietas vel in maxima copia ſubit, cùm ceteri vel ſuauiſſimi cibi, ſtatim faſtidium pariant. Priuſquam verò panis conficiendi ratio innotuerat, Pulte veſcebantur Romani. Plinius lib. XVIII. cap. VIII. *Pulte autem non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum, quoniam inde pulmentaria hodieque dicuntur, & Ennius antiquiſſimus vates, obſidionis famem exprimens, offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat.* Galenus lib. I. de Alimentorum facultatibus cap. XVIII. refert veteres militibus Polentam præbuiſſe, donec Romani ipſius imbecillitatẽ damnantes, non amplius eâ vſi ſunt. Quamquam in nomine lapſum Galenum crediderim & pultem per Polentæ nomen intellexiſſe, nam vt auctor eſt Plinius lib. XVII. cap. VII. *æquè Puls ignota Græciæ, quàm Italiæ polenta.* Parabatur enim Puls ex farre, Polenta ex hordeo mediocriter frixo. Itaque antiquiſſimus Romanorum cibus erat Puls. Varro lib. IV. de linguâ Latinâ. *De vitâ antiquiſsimè Puls appellatur, vel quod ita Græci, vel ab eo (vt ſcribit Appollodorus) quod ita ſonat cum aquæ feruenti inſipitur,* vel inſpergitur.

Græcè certè πολτὸς eſt vt ex Alcmane refert Athenæus, lib. XIV. quæ tamen longè à Romanorum pulte differt, vt obſeruauit Caſaubonus notis ad Athenæum: poſterioribus etiam ſæculis in caſtris pulte vſos fuiſſe Romanos auctor Ammianus Marcellinus, *& Imperatori, (Iuliano) cui non cupediæ ciborum, Regio more, ſed ſub columellis tabernaculi parciùs cænaturo, Pul-*

ro, Pultis portio parabatur exigua, etiam Munifici fastidienda Gregorio. Erant autem Munifices milites, qui militiæ munera obire coguntur. Fl. Vegetius lib. II. cap. VII. *Hi sunt milites principales, qui priuilegijs muniuntur; reliqui Munifices appellantur, quia munia facere coguntur.* Itaque propriè Puls erat cibus quo Itali olim vtebantur, vnde & Pultiphagi & Pultiphagonidæ dicti. Plautus in Mostellaria:

Non enim hæc Pultiphagus opera fecit Barbarus.

Id est Italus vel Romanus: idem in Pœnulo.

Latinè Plautus Patruus Pultiphagonides.

Vt iampridem obseruarunt Hadrianus Turnebus, & Dionysius Lambinus. Mox panis vsus successit qui ex omni quidem frumento conficitur, sed ex tritico longè præstantissimus, vt enim illud ceteris omnibus frugibus præstat, ita etiam ex tritico panis cetera omnia panificia longè antecellit.

Cura autem conficiendi panis olim spectabat ad matres familiæ, multis enim annis Romani caruerunt Pistoribus. Plinius lib. XVIII. cap. x. *Pistores non fuerunt Romæ, ad Persicum bellum vsque, annis ab V. C. D. LXXX. ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium.*

A pinsendo autem Pistores dicti, olim enim pilo grana tundebant, vt obseruauit Seruius I. Æneidos. *Et quia apud maiores nostros molarum vsus non erat, frumenta enim torrebant, & ea in pilas missa pinsebant, & hoc erat genus molendi, vnde & Pinsores dicti qui nunc Pistores vocantur.*

Isidorus lib. xv. cap. VI. Pistrinum quasi *Pilostrinum, quia pilo antea tundebant granum. Vnde apud veteres non molitores, sed Pistores dicti sunt, quasi pinsores à pinsendis granis frumenti, mola enim nondum vsus erat, sed granum pilo tundebant.* Et quamuis Molarum vsus posteà successit, quarum opera farina tenuior,

panisque

panisque delicatior conficeretur, Pistrini & Pistorum vocabula non fuere mutata, vt apud Apuleium Metamorph. lib. IX. videre est.

CAPVT VI.

Panis à Pane Deo dictus. Variæ eius species. Secale à Siligine differt, centenum Isidoro dictum: Spuma cereuisiæ loco fermenti olim in vsu. Panis recens pridiano salubrior: Buccellatum. Panis Nauticus.

SEd in viam redeo, & Panis species pergam exponere, si priùs dixero nomen illi inditum à Deo Pane, Cassiodorus Variarum lib. VI. formula Præfecti Annonæ. *Sic Ceres frumenta dicitur inuenisse, Pan autem primus consparsas fruges coxisse perhibetur, vnde & nomine eius Panis est appellatus. ita & illa prædicata est quæ repperit, & iste laudatus, qui decenter edenda humanis vsibus applicauit.* Quatuor illæ erant præcipuæ, Siligineus, Similagineus, Confusaneus, & Furfuraceus. Siligineus erat qui ex flore quasi farinæ, & ex candidiore & præstantiore tritico erat paratus qui lautis tantùm apponebatur. Iuuenalis Satyra V.

Sed tener & niueus, mollique Siligine factus,
Seruatur Domino.

Vocat autem Plinius Siliginem tritici delicias lib XVIII. cap. VIII. *Siliginem propè dixerim tritici delicias, candor est sine virtute, & sine pondere, conueniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt & Galliæ Comatæ.*

Columella verò lib. II. de re Rustica cap. VI. Siliginis speciem in pane præcipuam concedit. Cap. verò IX tritici esse vitium censet. *Quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum, leue ac vanum intelligi debet; nec nos tanquam optabilis*

agricolis, fallat Siligo, nam hoc tritici vitium eſt, & quamuis candore præſtet, pondere tamen vincitur.

Medici tamen plurimum alimenti ex hoc tritico ſuppeditari aiunt. Cornelius Celſus libro II. capite XVIII. *Ex tritico firmiſſima Siligo, deinde Simila.* Paulus Ægineta libro I. capite LXXVIII. *Ex panibus magis alit Siligineus, deinde Similaceus.* Græcis verò Siligo ignota, immò ne nomen quidem inter illos ad Galeni vſque tempora inuenit, adeò vt Romana voce coactus fuerit vti; libro enim I. de Alim. facultatibus cap. IX. Σιλιγνις, inquit, *neque Græcum nomen eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere.* Qui fortaſſis cum albiſſimo, & maximè à furfuribus depurato noſtri ſæculi pane comparari poteſt.

Huic ſuccedit Similaceus vel Similagineus Græcis Σεμιδαλίτης, qui ex Simila vel Similagine conficitur, quæ farina eſt delicatior, ſiue flos farinæ triticeæ, de qua Martialis in Xenijs.

Nec poteris Similæ dotes, numerare nec vſus,
Piſtori toties cùm ſit & apta coquo.

Confuſaneus verò panis qui & συγκομιςὸς vel Αὐτόπυρος, dicitur, ex tritico integro ſiue ex farina, cui nihil vel floris vel furfuris deceſſit, paratus eſt; talis quidem minùs alit quàm priores, ob furfures commixtos, ſed aluum magis mouet.

Furfuraceus ſiue πιτυρίας, is eſt qui furfuris plurimum, farinæ verò exiguum habet, talis Plauto Sordidus, Nonnio Marcello Aceroſus, quod acere paleiſque plenus ſit, Græcis etiam ῥύπαρος ſeu ſordidus dictus.

Paratur etiam panis ex Secale, Græcis id ignotum, nec Romanis in vſu, Septentrioni familiariſſimum, de quo Plinius libro XVIII. capite XVI. *Secale, Taurini ſub Alpibus Aſiam vocant, deterrimum, & tantum ad arcendam famem vtile, fæcunda ſed gracili ſtipula, nigritia triſte, ſed pondere præcipuum, admiſce-*

admiſcetur huic far, vt mitiget amaritudinem eius, & tamen ſic quoque ingratiſsimum ventri eſt. recentiores quidam nimis imperitè Siliginem vocant, quæ δὺς διαπασῶν, à Secale differt, ex illa enim, delicatiſſimus & niueus panis, ex hac verò ater panis tenuiorum menſis paratur, difficulter concoquitur ac ventriculo grauis eſt; proximum tamen à Tritico inter frumenta locum, hoc tempore occupat in Germania, Gallia Belgica, alijſque regionibus Septentrioni ſubiectis; nam aſſiduitate culturæ mitius euaſit. Iſidoro videtur olim Centenum vocatum. *Centenum appellatum, eò quòd in plerïſque locis iactus ſeminis eius, in incrementum frugis centeſimum renaſcantur.* hoc enim Plinius de Secale citato loco; *Naſcitur qualicumque ſolo cum centeſimo grano, ipſumque pro letamine eſt.* manetque adhuc hodierna die in Hiſpania vox hæc in vſu, *Centeno* enim Secale vocant. amaritudinem illam exuit, de qua Plinius conquerebatur. Panificio verò omni multum bonitatis aut vitij ex coctura accedit; alij enim cum ſale aut fermento, aut abſque illis præparant; alij etiam in clibano aut furno, alij in craticula vel ſub cineribus, aut alio modo coquunt: qui verò panis cum fermento & ſale ſubigitur, ζυμίτης, & fermentatus dicitur, à quibus leuitatem accipit; Belgæ & Germani fermenti loco, Cereuiſiæ ſpumam admiſcent, quod priſcis ſæculis, Gallos & Hiſpanos factitaſſe Plinius ſcribit lib. XVII. cap. VII. *Galliæ & Hiſpaniæ frumento in potum reſoluto, quibus diximus generibus, Spumà ita concreta pro fermento vtuntur, qua de cauſſa leuior illis quàm ceteris panis eſt.* qui verò abſque fermento factus, ἄζυμος non fermentatus, & à Nicandro Colophonio, vt auctor eſt Athenæus δάρατος appellatur. Concoctu autem ſunt faciliores inter panes, qui probè ſubacti & fermentati ſunt, cæteri difficilioris concoctionis. Quemadmodum & illi qui in clibano & furno moderato igne excocti ſunt, ſalubriores illis qui in craticula, aut cineribus calidis, vel foci pauimento aſſantur, tales enim praui omnes ſunt. vt qui inæqua-

liter se habeant, nam partes externæ supra modum sunt coctæ, interiores verò crudæ.

Quisnam verò panis salubrior sit, an à recenti coctura calens, an verò pridianus, video inter scriptores controuerti. Athen. medicus apud Oribas. lib. 1. Collect. cap. IX. calidos recentes valentiùs nutrire, quàm frigidos & veteres asserit, quoniam caliditas quoque concoctionem promoueat. Hipp. lib. 1. de ratione victus in acutis, panem calidum comestum, repentinam repletionem, & sitim inducere, tum tardè ex ventre descendere, & corpus flatibus distendere auctor est: quare prudenter monuit Auenzoar, panem esse edendum à recenti coctura, modò calor deferbuit, nam qui vltra vnum diem adseruatur, temperamentum suum perdit; itaque pridiani, quos multi vulgarium laudant, alijs sunt postponendi; nam vt auctor est Simeon Sethi, postquam frigefacti fuerint, neque probè concoquuntur, neque boni sunt; quod tamen non ita rigidè accipiendum puto, siquidem pridiani non omninò damnandi sunt, sed si diutius adseruentur; hoc interim concludo, quò recentiores sunt, eò præstantiores esse.

In quotidiana verò victus ratione, qui assiduo Similagineo pane vescuntur, nec corpus laboribus, validoque opere aliquo exercent, parum sibi consulunt; nam cum palato morem gerunt, in varios morbos incurrunt. confestim enim illis iecur aut lien obstruitur, Nephriticis, Arthriticisque doloribus corripiuntur, propter Similæ lentorem & dulcedinem; quibus Confusaneus Panis magis conducit, ob furfuris enim miscellam minus obstruit, & faciliùs per aluum secedit; vt bene obseruauit Simeon Sethi; atque hæc est vna ex præcipuis caussis, cur ditiores & Magnates, assiduò calculi & Podagræ doloribus viuant obnoxij.

Monent etiam eruditiores Medici ne panis lacte, loco aquæ subigatur, quod pistorum fraudibus passim fieri videmus, vt enim

enim pani candorem concilient, & impensis parcant, lac miscent; aliàs cogerentur prȩstantissimo tritico vti, magno populi damno. nam triticum optimum communiter candidissimam farinam habet, quem candorem in viliori tritico lac egregiè mentitur: interim damna vescentibus non spernenda eueniunt, magis enim obstruit viscera, quàm si cum aqua subactus esset, ob lactis miscellam.

Erat etiam Panis genus militibus peculiare, quod posterioris æui scriptores Buccellatum vocant, quoniam in Buccellas paratum erat, nostra ætate, ni fallor, Nauticus panis dictus. Plinius lib.XXII.cap.XXV. *Vetus, aut Nauticus panis, tusus, atque iterum coctus, sistit aluum.* Bis autem coquebatur, vt minus situm sentiret, diutiusque perdurare posset, de quo Ammianus Marcellinus lib.XVII. *Firmatoque consilio, viginti dierum frumentum, ex eo quòd erat in sedibus consumendum, ad vsus diuturnitatem excoctum, Buccellatum, vt vulgo appellant, humeris imposuit libentium militum.* Ælius Spart. in Pescennio Nigro. *Pistores sequi expeditionem vetuit, Buccellato iubens milites, & omnes contentos esse.* Græci δίπυρον vocant. Hysichius Δίπυροι ἄρτοι, οἱ ἐκ δευτέρου ὀπτώμενοι.

Dipyri panes qui secundò coquuntur. Athenæus hosce panes inter delicatos enumerat, quos tamen aliter paratos crediderim quàm Buccellatum, quemadmodum hodierno die biscoctum panem, saccharo alijsque scitamentis parari scimus magnatum mensis, qui inter lautitias iure commemoratur.

CAPVT

CAPVT VII.

Hordeum apud Athenienses in pretio, Gladiatores Hordearij. Polenta. Maza. Panis ex Milio; aliquando ex Oryza factus. Parum alere illam Medici statuunt.

VEteres etiam ex alijs cerealibus panem assueuerant parare, vtpote ex Olyra, Typha, Zeia, Alica & Chondro. quæ cùm tritici diuersa sint genera, nostroque æuo pene ignota: (de illorum enim natura & forma immane quantum scriptores varient) de illis nihil dicam, sed ad Galen. Theophrast. & Dioscoridem lectorem relegabo. Ad Hordeum itaque & Milium veniendum; quoniam ex illis etiam Panificium conficitur. Hordei olim magna nobilitas, nunc euiluit, nec nisi in maxima annonæ difficultate panis ex illo paratur, apud Athenienses in pretio erat. Plin.lib.XVIII.cap.VII. *antiquissimum in cibis hordeum: sicut Atheniensium ritu, Menandro auctore apparet, & Gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur.* apud Romanos verò ignominiæ caussa, hordeum pro tritico dabatur. Polybius inter pœnas & ignominias militares, κριθοφαγία recenset, quod militibus hordeum, pro tritico dabatur. T.Liuius refert M. Marcellum cohortibus, quæ signa amiserant hordeum dedisse. Suetonius in Augusto cap.XIV. *Cohortes si quæ loco cessissent decumatas Hordeo pauit.* Fl.etiam Vegetius lib. I. cap.XIII. obseruat, *Tyrones si parum in prolusione armorum & exercitatione profecissent, pro frumento coactos Hordeum recipere.* Quòd tales scilicet, indigni viderentur communi militum cibo, sed reijcerentur potiùs iungerenturque cum iumentis. Panem veteres multis in locis ex Hordeo conficiebant. Plin. *Panem ex Hordeo antiquis vsitatum, vita damnauit: quadrupedumque tradidit refectibus.* nunc apud Europæos nullo in honore, in Africa alijsque calidioribus plagis, ferunt adhuc in vsu esse;

parum

parum nutriūt, nisi ex generoso hordeo parentur, corpus frigefaciūt, facillimè tamē per aluum subducuntur, nec succum crassum aut viscosum corpori suppeditant. hinc Arist. sect. 21. Probl. 23. quærit, cur Pistores cæterique qui hordeum attrectant, imbecilles atque destillationibus obnoxios videmus, qui verò triticum, corpore esse bene habito. Quoniam, inquit, triticum concoquitur faciliùs, quàm hordeum, ideoque delibamenta inde manantia esse faciliora necesse est. meliùs respondebimus, triticum magis alere & corpus calefacere, vnde corpora bene colorata euadunt. Hordeum verò cum minùs alit & corpora potiùs frigefacit, contrarium etiam effectum inducet; nec enim verum est faciliùs concoqui triticum hordeo, sed plus alimenti ex illo suppeditari. Sed vt in panificio necesse est hordeum superari à tritico, ita etiam sorbitiones ex illo paratæ, frumentaceas omnes facilè vincunt, vna Ptissana sufficit, quæ laudatissimum alimentum non ægris modò, sed & sanis præbet, de qua suo loco memorabo.

Ex Hordeo etiam fiebat Polenta, Græcis Α'λφιτον dicta, quâ populi nonnulli loco panis vescebantur, id quod factitasse in Cypro rusticos, vel in frumenti copia conspicatus est Galenus. Fit autem ex recenti hordeo modicè frixo laudatissima: in penuria autem recentis ex aliis conficitur, quam mox aliqui sapa & vino dulci, mustoque commixtis diluebant; nonnunquam sola etiam aqua conspersam, ęstate duabus tribusue horis ante balneum bibebant, vt sitim extinguerent, vt auctor est Gal. lib. 1. de facul. Alim. Polenta itaque nihil erat aliud, præter farinam è tosto hordeo, quæ variis modis poterat decoqui. Plinius plures parandi modos Polentæ docet lib. XVIII. Exiguum autem corpori alimentum præbet, ociosis & sedentariam vitam agentibus satis copiosum, qui verò validis exercitiis laboribusque dediti, illa abstinebunt. Ex Polenta verò fiebat Maza, cùm enim, vt docet Galenus, Polenta liquore aliquo conspergitur atque subigitur, Mazæ appellationem as-

ſumit, Aëtius dicit, Mazam eſſe confectionem ex Polen[ta] hordeacea, cum melle aut conſimili aliquo liquore paratam. Suidas verò, Μάζα κυρίως ἡ τροφὴ ἡ ἀπὸ γάλακτος καὶ σίτου. *Maza e[st] propriè cibus ex lacte & frumenti farina.* Illa autem difficiliu[s] quàm panis hordeaceus concoquitur, magiſque ventrem fla[ti]bus implet, in quo etiam ſi diutiùs hęſerit, turbas mouebi[t]. Hippocrates vetuſtiſſimus auctor, eius noxas fusè lib. II. de Vi[ctus] ratione proſequitur.

Ex Milio etiam panis aliquando conficitur, idque melio[rum] tantùm frugum inopiâ, quem priuſquam refrigeſcat po[s]ſes citra faſtidium edere. Pultem etiam rurales ex illo paran[t] non aſpernendam, maximè ſi cum lacte præparetur. Plinius *Milio Campania maximè gaudet, pultemq; candidam ex eo facit, [et] & panis prædulcis*; ſed Galeno teſte, panis qui ex eo conficitur exigui eſt alimenti ac frigidi, peraridus etiam ac friabilis, præ ſertim cùm nihil in ſe lentoris, neque pinguedinis habeat, qua re & aluum humentem deſiccat.

Nec prætereunda quidem Oryza, quæ à Plinio & Corneli[o] Celſo, inter frumenti genera adnumeratur, à Galeno verò in ter legumina adſcribitur; ex qua Indi & plerique Orientis po puli panes cogunt, illiſque penè ſolis lautè victitant. apu[d] Græcos vel Romanos, rariſſimè hoc factum credo: apud Athe næũ meminit Sophocles in Triptolemo, Ornidę panis, qui ve[l] ex Oryza vel ſemine ſeſami paratus erat. Falsò ſibi vulgus per ſuaſit, obeſiores fieri ex frequentiori Oryzæ vſu, præſertim ſi lacte & ſaccharo condiatur, quod ferculum tanquam Διὸς ἐγκέφαλον, plebei in Gallia & Belgica exiſtimant; nullumq[ue] apud illos lautum conuiuium, quod illo non exornetur. Me dici tamen vno ore inter ὀλιγότροφα, i. quæ leuiter alunt con numerant; aluum fluentem cohibere fatentur omnes.

CAPVT VIII.

Bellaria. Placenta vnde dicta. Crustula. testamento olim P. R. legata. Torta. Obelias Panis.

QVæ Græcis πέμματα vel ἴτρια, Latinis Bellaria & Liba vocantur, quorum differentias & nomina conscribere infiniti esset operis; nam pro gentium, vrbiumque moribus & palato, varia semper fuerunt; quæ licet inter ἡδεσμάτων potiùs numerum, quàm ἐδεσμάτων referri debent, corruptissimi tamen mores obtinuerunt, vt gulæ hæc irritamenta passim mensas occupent; & cùm vnusquisque cibis illis vesci deberet, quibus attritas corporis vires posset reficere, potiùs has cupedias quærit, quę appetitum excitare possunt, nulla sanitatis habita ratione, magna enim ex parte insalubres sunt. Vnde nō minus festiuè quàm verè à Varone dictum, in Satyra, Nescis quid serus vehat Hesperus: *Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt, πέμμασι enim cum πέψει societas infida.* hæc enim cùm auidè vorantur, difficilisque sunt concoctionis, turbas in ventriculo excitant, & concoctionem turbant. Veteres autem appellabant Bellaria, res bellas, vt auctor est Festus Pompeius, neque solùm esculenta, sed & poculentorum delicias ita vocabant, nam & Liberi Bellaria dicebant, ita etiam Græcis πέμματα erant dicta ἀπὸ τοῦ πέμπω, quòd amicis dono mitterentur, alio etiam nomine τραγήματα vocata, laxo nomine, quæcunque secundis mensis inferuntur; pleraque autem confecta erant ex farina subacta aqua, & oleo incocta, quoad perfectè vndique cocta fuerint. elegantiores verò in clibano priùs assant, mox in mel calidum immergunt. Huius generis erant Placentæ, ita dictæ quod placeant. Isidorus *Placentæ sunt quæ fiunt ex farre, quas alij Liba dicunt, eò quòd libeant & placeant.* Sed absurda est Etymologia, cum Græcam habeat originem, πλακοῦς enim dicitur

citur. Diogenes cum magna auiditate Placentam voraret, interrogatus quid comederet, panem, inquit, probè confectum; inter præcipuas autem delicias recensebantur Placentę, vbique enim notæ, sed apud Atticos nobilissimæ, ob mellis fortè præstantiam: simplicissima compositio erat ex farina in oleo fricta cum caseo, salubritatis caussa mox adiectum mel, sed increscente luxu multò præstantiores paratæ, ex variis herbis fructibusque, addito saccharo, ouis & butyro.

Ad Placentas reducuntur & Crustula, Acron enim ad Horat. *Crustula, Placentas* interpretatur, erant autem parata ex farina melle & lacte, similibusq;, opere pistorio, quæ cùm dulcia essent, pueris gratissima fuisse ostendit Horat. Satyr. 1.

——— Vt pueris olim dant Crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Isidorus, Tortas nostras ita videtur indigetare, Etymologici lib. XX. *Crustulum diminutiuum est à crusta: Panis oleo conspersus in medio concauus & tortus, hæc & Torta panis*; Erat autem adeò in priscorum deliciis vt aliqui testamentis populo iusserint dari. Inscriptio vetus.

VT. EX. EO. VECTIGALE. QVOTANNIS. COLONIS. MVLSVM. ET. CRVSTVL. NATALI. CÆSARIS. AVGVSTI. DARETVR.

Placentis autem maximè olim dediti fuere, homines, vt dictum hoc Bionis hinc expressum, μὴ δυνατὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γενόμενον, ἢ θάσιον, *non posse aliquem vulgo omnibus placere, nisi placenta fieret, aut vinum Thasium.* Placentarum varia nomina refert Athenæus lib. XIV. Obelias etiam panis vocabatur, ideo dictus, vel quod obolo veneat, vel quod in veruculis torreatur, hi sunt fortè qui hodie *Oublies*, vel *Gaufres* vulgo vocantur, tabulis enim ferreis parantur, veruculorum virgulis lineatim sculptis. solebant veteres sub conuiuij finem, mensis adhuc calentes inferre, atque ex passo, non secus ac obelias nostras vino intinctas edere.

Plera-

Pleraque hæc Bellaria, crassi sunt succi, hepar & lienem obstruunt, calculos in renibus generant, si tamen à valido ventriculi calore superentur, non exiguum corpori nutrimentum præbent, quòd Cornelius Celsus innuere videtur, lib. II. qui Placentas videtur operi pistorio contribuere. *Quo minùs mirũ est, opus pistorium valentissimum esse, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat.* Multum tamen de succi bonitate vel malitia accipit, ex miscella rerum quibus tales cupediæ parantur.

CAPVT IX.

Faba Flamini Diali interdicta. Lemuralibus adhibetur. cur Pythagoræ decreto damnata. admodum Flatuosa. Faba Fresa, Conchis. cur Fabarum Flores dicantur mentem perturbare. Phaseoli.

CErealibus succedant legumina, Græci ὄσπρια vocant, ex quibus Panificia non fiunt, nisi fortè in maxima annonæ inopia, quæ & legumenta dicuntur: nomen illis à legendo, quod manu scilicet legerentur, nec vt frumenta meterentur: pręcipua sunt, faba, pisa, phaseoli, cicer, lens, & lupini. maximus honos Fabis, vel quòd ex illis, teste Plinio, tentarunt panẽ conficere, vel quòd homines primùm hoc legumine vsi sunt. Isidorus originum lib. XVII. *Faba, Græca Etymologia, à vescendò vocabulum sumsit, quasi faga.* Φαγειν *enim Græcè comedere dicitur, primùm enim homines hoc legumine vsi sunt.* Pythagoræ tamẽ decreto dãnata, quòd sensus hebetare, & insomnia facere crediderit, vel quoniam mortuorum animæ sint in ea: qua de caussa parẽtando vtique assumitur. *vnde Flamini Diali, fabam nec tangere, nec nominare licet*, vt auctor est Festus Pompeius, *quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & lemuralibus iacitur laruis, & parentalibus adhibetur sacrificiis, & in flore eius luctus litteræ apparere videntur.* ritum hunc Ouidius graphicè depingit Fastorum lib. v.

Cumque manus, purè fontana perluit vnda,

Vertitur, & nigras accipit ore fabas:
Auersusq; iacit, sed dum iacit, hæc ego mitto:
His, inquit, redimo meque, meosque lares.
Hæc nouies dicit, nec respicit, vmbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente sequi.

Ab Ægyptiis id videntur hausisse Romani, nam vt auctor est Herodotus lib. II. *Aegyptij à fabis abstinent, Sacerdotes verò illas ne adspicere sustinent, arbitrantes haud mundum id edulium.*

Alij à Pythagora fabas damnatas tradunt, quòd omnes animas affinitatem habere credebat, quocumque tandem transmigrarent, ideo ab Horatio Pythagoræ cognata dicitur lib. II. satyra VI.

O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo.

Quo loco Acron scholiastes. *Pythagoras philosophus ab omnibus animalibus abstinens, etiam à fabis abstinuit: quod viridis in pyxide ærea seruata vertitur in sanguinem. vnde fertur maluisse eum latrones incurrere, quàm per fabæ segetem transire, cùm aliunde refugium non haberet. Fabam quoque animal esse dicebant, quod cocta sanguinis humorem ex se emitteret.* Aliàs; *Pythagoras legumen omne negauerat comedendum, præcipuè fabam veluti parentem coluerat, nam colorem eius dicebat veluti humano sanguine infectum.*

Aristoxenus verò Musicus, Aristotelis auditor, apud Agellium lib. IV. cap. XI. nullo sæpiùs legumento Pythagoram dicit vsum fuisse, quàm fabis, quoniam is cibus, & sensim subduceret aluum, & leuigaret. Sed creditur symbolum eius κυαμῶν ἀπέχεσθαι, non de fabis intelligendum, sed de rebus Venereis, nam in æquiuoco tota vis est, κύαμος enim & fabam & testiculos significat. tamen ante Pythagoram, Amphiaraus primus à fabis abstinuit, vaticinationis quæ per somnia fit gratia, vt auctor est Didymus apud Constantinum Cæsarem l. II. de Agricultura, is enim cibus teste Cicerone lib. I. de Diuinatione,

tran-

tranquillitatem mentis quærentibus eſt contrarius. Orphei etiam verſus à Didymo citatur,qui Pythagorâ vetuſtior.

ἴσον τὺν κύαμον, φαγέ εἰν κεφάλαςε τοκείον.

Eſſe fabas, ſimile ac caput abſumpſiſſe parentum.

Clemens Alexandrinus lib. III. Stromatum dicit, Pythagoram fabarum eſum interdixiſſe,quòd mulieres ſteriles redderet; Theophraſtum, verò prodere lib. de cauſſis Plantarum Fabarum ſiliquas,ſi ponantur ad radices arborum, quæ nuper ſunt plantatæ,ipſas exiccare; quin & gallinæ domeſticæ,quæ illas aſſiduò edunt,ſteriles redduntur.

In cibis autem, inter omnia legumina gratiam peculiarem obtinent,& menſis expetitæ,præſertim virides,nec admodum adultæ. Flatuoſæ autem valdè ſunt, adeò vt Galenus dicat lib. I. de victus ratione in Acutis, non decedere fabis inflationis vim, etiamſi triduo decoquantur. Auenzoar etiam grauiſſimus medicus,non amittere illas coctione vlla,vim nocendi tefert. quare conſulit Galenus lib. I. de Alim. facultatibus, Fabas edendas eſſe frixas, ne immodico flatu corpus diſtendant, licet difficilioris concoctionis euadant; vel coquendas eſſe cum cæpis, quæ flatus egregiè diſſoluant, quidquid enim in cibarijs eſt flatulentum, id per calefacientia & extenuantia corrigitur. quare noſtro æuo, cum Thymo, Serpyllo, vel Satureia,alij ſue odoratis herbis coquuntur,gratiori guſtu: mollem, & laxam carnem generant; vnde Aſiatici Gladiatores,Galeni tempore, aſſiduò illis veſcebantur: non enim illis adeò magnis viribus, ac Athletis opus erat, qui ideò ſuilla carne vtebantur. vim etiam detergendi habent, adeò vt lomentum eius,ſeu farina,ſordes è cute & lentes faciei,egregiè detergat, aluum etiam mouent, præſertim virides, quod humidius alimentum præbeant: vnde Martialis dicit,fabarum eſum fabris ferrarijs familiarem eſſe, quibus ob ignis vim aſſiduam,aluus induratur, lib. X. Epigr. XLVIII.

Et faba Fabrorum, Prototomique rudes.

Veteri-

Veteribus in vſu erat Faba freſa, vel ut alij freſſa, & Conchis.

Freſa vocatur faba confracta, & quæ non integra comman ducatur, Græcis ἐρέγμον; Conchis verò, faba cùm corticibu ſuis elixata, quæ vilioribus & plebeis tantùm apponebatur, de qua Iuuenalis Satyra XIV.

——— Conchem æſtiuam, cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique Siluro.

Sunt enim viliores hi cibi: licet Scholiaſtes Iuuenalis, Conchem, fabam tantùm interpretatur. Martialis etiam lib. XIV. Lemmate, Conchis faba.

Si ſpumat rubra Conchis tibi pallida testa;
Lautorum cœnis ſæpè negare potes.

Refert Simeon Sethi, illos qui diutiùs in locis verſantur, vbi copioſæ fabæ proueniunt, mentis perturbationem & ingenij hebetudinem percipere: quoniam mali vapores, & ferè peſtilentes ex his reddantur, qui quaquaverſum aërem inficiunt, qui continenter attractus, cerebri temperaturã ſubuertit. Vnde non omnino explodenda videtur vulgata opinio; auram ex fabarum floribus expirantem, mente commotis pernicioſam eſſe; quanquam etiam commode dicemus; non ideò mentem perturbari, quòd fabæ flores noxij ſint, ſed quòd verno tempore, quando ſcilicet fabæ florent, iuxta Hippocratem. III. Aph. xx. Furores, & morbi melancholici potiſſimùm regnent.

Fabis ſubiungam Phaſeolos, quia Belgæ ſuo idiotiſmo, *Romanas fabas*, illas indigetant. Hippocrates, & vetuſtiores medici δόλιχυς, nonnulli à ſiliquarum magnitudine λόβυς & λόβια, Latini ſiliquam; aliqui verò φάσηλον ac φασέολον confundunt, imperitè ſatis. Cùm Galenus, & Paulus Ægineta, de vtroque diuerſis locis agat. Creſcit autem fæliciter longis perticis applicatus, quibus ſubnixus, ſe circumuoluit inſtar Smilacis aſperæ, quare à Dioſcoride σμίλαξ κηπαία, ſeu hortenſis dicitur, quòd olim ob raritatem, tantum in hortis naſceretur: varij ſunt coloris, quidam enim illorum ſunt rubri, alij pallidi, nigri

gri vel albi. Simeon Sethi refert, albos ſucci eſſe craſſioris, & difficilioris concoctionis, & proprietate quadam peculiari, turbulenta ſomnia ciere. Hipp. de victus ratione, Dolichos ſeu Phaſeolos, faciliùs quàm Piſa per aluum deiici aſſerit, ac minus inflare. Veſcimur autem illis virentibus vnà cum teneris ſiliquis coctis, vel ſiccatis hyberno tempore, frixis, vel elixis, & copioſum alimentum nec prauum corpori ſuppeditant.

CAPVT X.

Cicerum varia genera, Arietinum vnde dictum. obſtructionibus egregiè medetur. Piſorum decoctum poſt purgationem datur. Eruilia. Cicercula. Lenticula Atram-bilem anget. Funebris cibus. Lupinis madidis Protegenis vſus.

CIcer Græci ἐρέβινθον vocant, gratiam paſſim in menſis obtinuit: non vnum illi genus, aliud enim nigrum, ruſum, vel album eſt. Nigrum exiguum eſt & κρίον ſiue Arietinum dictum, quod Arietino capiti ſimile ſit. Euſtachius ad Iliada. v. dicit κρεῖον vocari, propter magnitudinem, de nomine Crij Cæli filij, vt eſt in fabulis, eius opinioni fauet Sophili verſus,

Ὁ Πατὴρ, ὁ ταύτης πολὺ μέγιστός ἐστι κρεῖος ἐρέβινθος.

Huius pater longè ampliſſimum Arietinum cicer.

Galenus tamen Arietinum minus exiſtimat, lib. 1. de Alim. facult. cap. XXIX. *Nigra autem ea ſunt atque exigua, in Bithynia maximè prouenientia, Arietinaque ipſa, nuncupantur, aliud etiam genus quod Columbinum & Venerium dicitur.* Plinius lib. XVIII. cap. XII. *Eſt & Columbinum, quod alij Venerium vocant, candidum, rotundum, leue, Arietino minus, quod religio peruigilijs adhibet.* eſt etiam cicer ὀροβιαῖον ſeu eruinum, à Paulo Ægineta dictum, quod cæteris calidius & ſubamarius eſt, à quo Plinius diſſentit, qui dulciſſimum id, quod eruo ſimillimum aſſerit.

Genera-

Generaliter autem Cicer omne non secus ac fabæ, flatulentum est, sed magis nutrit, semen generat, ad Venerem incitat: vnde quidam equis admissarijs exhibent, vt auctor est Galenus; abstergendi verò facultatem habet insignem, adeo vt scriptorum plurimi, ferant renum calculos, illorum vsu imminui, inter quæ maximam vim Arietinum habet, quare medicis in frequenti vsu est: ius decoctionis Cicerum illis porrigere, quibus viscera obstructionibus laborant, quod illas mirifice tollat. Consueuere aliqui ex aqua cum sale & tantillo olei cocta, alij ex iure veruecis & gallinæ edere. plures frictum cicer edebant, quod ita paratum flatus magis deponeret, sed concoctu difficilius redditur. veteres inter Bellaria frictum cicer recensent, vt obseruat Athenæus. Est autem illi sapor quidem salsuginosus, vnde fortè fabulati sunt, Ciceris inuentorem fuisse Neptunum. Pisa verò cum Fabis tota substantia similitudinem habere dicit Galenus, sed in duabus potissimùm rebus discrepare, tum quòd non æquè ac fabæ flatulenta, tum etiam quòd detergendi facultate carent, ideoque segnius per aluum secedunt. in Gallia tamen apud quosdam moris est, sumpto medicamento purgante, ius Pisorum ægris propinare quod indicium est, vim aliquam abstergendi habere. Dioscorides, quod equidem mirari subit, nullam Pisorum mentionem facit, quod ideo fortè ab illo factum, quoniam materiam medicam augere non existimauerit. Viridia cocta cum siliquis grati saporis sunt, atque auctoritatem apud elegantiores inuenerunt, præsertim illa quibus teneriores siliquæ. quin etiam thecis suis exuta, Thymo vel Hyssopo adiecto à multis parari solent. Hipp. auctor est lib. de victus ratione. Pisa minus fabis implere, ac per aluum magis secedere. Huius species est Eruilia, recentioribus Pisum minus dictum, à luteo verò colore ὤχρον Græcis, quem interior eius medulla refert, à Pisis non multum facultatibus differt. Ciceri etiam affines sunt Cicercula, & Cicera, illa Græcis λάθυρος, hæc Λαθυρίς dicitur, quæ i[...]

Belgic[...]

Belgica nostra raro visuntur, nec nisi à curiosis in hortis seruntur. Galenus dicit Cicerculam, Ochris & Phaseolis similẽ substantiam habere, crassiorem tamen, quam ob caussam plus aliquanto quàm alia nutriunt. Cicera verò durior est Cicercula, minusq; facilè elixatur, quare & difficilioris est concoctionis.

Lenticula Græcis admodum familiaris fuit, multisque adeo in cibo placuit, vt nomen inde sumpserint, vt Sopater Poeta Parodus, φάκιος Lenticularis dictus, quod impensè illo legumine delectaretur. Stoicorum etiam scitum est. *Sapientem omnia rectè facere, atque adeo Lenticulam rectè condire.* plurimis persuasum erat eius esu æquanimitatem conciliari; Plinius, *Inuenio apud auctores, æquanimitatem fieri vescentibus ea.* Sed illorum opinioni tota Medicorum schola refragatur, quæ atrambilem, succosque crassos & improbos, Lentium frequentiori vsu, & pertinaces morbos, Cancrum & Elephantiasim generari existimat. Cortex eius vim adstringendi habet, caro verò crassi est succi ac terrei, quare si quis in aqua illã coxerit, atque iusculum illud sale aut garo condierit, ipsumq; hauserit, aluum mouebit; quod si bis cocta fuerit, aluum sistet & stomachum totumque ventrem roborabit. Decorticata adstringendi vim amittit, sed magis nutrit. vtilissima ijs qui Cachexia vel Leucophlegmatia laborant, vt Galenus docet. Visum inculpatum hebetat, ipsum immoderatè exsiccando, ei verò qui nimia humiditate diffluit, egregiè medetur. Vt eius siccitatem obtunderent, edulij genus inuenerunt ex beta & lenticula confectum quod τευτλοφακῆν nuncupabant, quod Heraclidi Tarentino adeo probatum, vt non solùm sanis, sed etiam ægris exhiberet, beta enim Lenticulæ siccitatem, hæc verò betæ humiditatem temperabat.

Ægyptijs frequentissimus Lenticulæ vsus, adeò vt pueros, à teneris annis Lenticula statim nutriant, vt auctor est Athenæus lib. IV. vnde non est mirum, si maximè Elephantiasi incolæ corripiantur, quod edulio hoc melancholicum humorem

cumulante, assiduo nutriantur, vnde fortè Martialis Lentem Niliacam vocat lib.XIII.epigr.IX.

Accipe Niliacam Pelusia munera Lentem,
Vilior est Alica, carior illa faba.

Mirum est quod Florentinus apud Constantinum Cæsarem lib. II. referat Ægyptiam lentem in cibo acceptam lætitiam conciliare. Apud Romanos verò, lentem fuisse annumeratam inter funebres cibos, auctor est Appianus lib.de bello Parthico, vbi refert Crassi exercitum, pernitiem sibi imminentem indicasse, quod lentes in annonæ defectu fuerint exhibitæ. Idem Plutarchus in vita Crassi obseruauit.

Lupinis propter insignem amaritiem pauci vescuntur, nec nisi aqua macerati, cum ingratum saporem exuerunt in vsus veniũt,tunc sale asperso,cum garo eduntur. Madidis Lupinis Protogenem illustrem pictorē vixisse,refert Plinius lib. XXXV. cap.X.dum Ialysum nobilem tabulam pingeret, *quoniam simul famem sustineret & sitim,ne sensus nimia dulcedine obstrueret*.Galenus πολύχρηστον esse dixit, siue ad varios vsus accommodum, est verò illi dura terrestrisq; natura & substantia; quare difficilis est concoctionis & crassum succum corpori suppeditat.

Diphilus Siphnius apud Athenæum lib. II. refert Lupinos abstergere,multum alere,præsertim, si aqua diutiùs macerati dulces euaserint.

CAPVT XI.

Hortus pauperum Macellum.Malua,hortensis & agrestis. Lactucæ esu vulgus credit sanguinem augeri. Somnum inducit, ventrem emollit. cur enuchion & ἄστυτις dicta. νεκύων βρῶμα. cruda Lactuca tutò ægris conceditur.

AD hortenses cibos, qui olera vulgo dicuntur, nunc descendo,in maximo quondam honore, & hodierna die in pretio

pretio sunt: ideoq; hortorum cultus omni æuo fuit celebratus. Hinc primùm agricolæ æstimabantur priscis, vt inquit Plin. lib.xix.c.iv. *& sic statim faciebant iudiciū, nequam esse in domo Matremfamilias (etenim hæc cura fœminæ dicebatur) vbi indiligens esset hortus.* Romæ etiam olim, hortus erat pauperis ager, atque ex horto plebi Macellum petebatur, mensamq; onerabant epulis inemptis, nec multùm ventriculum onerantibus. Olera autem omnia parum alunt. Vnde Cornelius Celsus, lib.ii.c.xviii. dicit, *Imbecillißimam verò materiam esse omne olus, & quidquid cauliculo oritur.* Hinc coquus ille apud Plautum in Captiuis, damnat olerum vsum,

Hoc hic quidem homines tam breuem vitam colunt,
Cum hasce herbas, huiusmodi in aluum congerunt
Formidolosas dictu, non esu modo:
Quas herbas pecudes non edant, homines edunt.

Itaque parcè illis vtendum, quia parum alunt, & pleraque succum non valdè laudabilem generant. inter illa agmen ducat Malua. de qua Ælianus variæ Historiæ libro iv. capite xvii. ἔλεγε Πυθάγορας ἱερότατον εἶναι τῆς μαλάχης φύλλον. *Pythagoras dicit maluæ folium sanctißimum*, quæ vetustissimis sæculis primum penè locum in mensis obtinuit, quam Hesiodus antiquissimus Poëta, magnis laudibus extulit; nec Romani neglexere, nostro æuo euiluit. quædam est agrestis, alia hortensis, hanc Galenus & Dioscorides in cibo præferunt. Diphilus verò Siphnius apud Athenæum, siluestrem commendat; & iure, nam hęc esui suauior est & minus dura, si per hortensem intelligatur illa, quæ ad binos aut ternos cubitos assurgit floresque multos rosæ adinstar profert, quas Belgæ Rosas hybernas vocant. in quotidiano penè vsu veteribus erat, vt ventrem mollirent, quâ de causâ & Græcis μαλάχη dicta; vnde apposite Martialis lib.x.

Exoneraturas ventrem, mihi villica Maluas
Attulit, & varias quas habet hortus opes.

Sed quia lentorem in se non omnino gratum habet, facilè fastidium sui parit, & mensis exulat: Cymas tamen eius, vel Asparagos oleo & aceto perfusos, quidam butyro intinctos ad Renum & Vesicæ vitia edunt. Maluam alibi in arboris magnitudinem excrescere auctor est Plinius lib. XIX. cap. IV. *Namque tradunt auctores, in Arabia Maluas septimo mense arborescere, baculorũ vsum præbere extemplo. Sed & arbor est Malua in Mauretania Lixi oppidi æstuario, vbi Hesperidum horti fuisse produntur. CC. passibus ab Oceano, iuxta delubrum Herculis, antiquius Gaditano, vt ferunt, ipsa altitudinis pedum XX. crassitudinis, quam nemo circumplecti possit.*

Vt antiquitatem inter olera Malua, ita nobilitatem Lactuca apud omnes obtinet, est enim non solùm iucundissimi saporis, sed succi etiam laudabilis refert Plinius lib. XIX. cap XIV. in *familia Valeria, Lactucinos quosdam vocatos à cura Lactucarum*. Græcis Θριδακίνη, & Θρίδαξ dicitur, Simeon Sethi Μάρουλλιον vocauit, vel vt alij Μαιοῦλιον, voce posterioribus Græcis vsitata. ita enim Suidas. Θριδακίνη ἡ παρ' ἡμῖν Μαιοῦλιον. *Lactuca quæ à nobis, recentioribus scilicet, Maiulium dicitur.* hæc cum succi bonitate olerũ reliqua superat. Refert Suidas, Aristoxenum Cyrenæum, consueuisse Lactucas in horto suo natas, vespere Mulso, siue Oinomelite rigare, dictitans virides Placentas sibi remitti. non mirum est apud omnes gentes in pretio semper fuisse; adeoque in laudes eius vulgus semper propensum fuit, vt iam à Plinij temporibus, sanguinem nimis augere crederetur. quod noster Galenus disertè refellit lib. II. de Alim. facult. cap. XL. *Quod autem nonnulli in eo reprehendunt, id maximè est laudandum, quod si reuera in esset, nulli non olerum modò, sed ne optimi quidem ac nutrientissimi succi eduliorum esset secundum. Sanguinem enim aiunt Lactucam generare.* subiungit mox, *scire autem conuenit, cùm olera omnia sanguinem gignant paucissimum ac praui succi, Lactucam non multum quidem generare, neque mali succi, non tamen omnino laudabilis.* Vulgares tamen credunt, esu Lactucæ ideo sanguinem crescere quia ex frequenti eius vsu pruritum quendam sentiant, quod illi

illi ſanguinis incrementum exiſtimant, cùm hoc potiùs accidat, quod aquoſus ſanguis ex illa generetur, qui in venis ebulliens, pruritum excitet, non ſecùs ac Muſtum & vinum nouum, quæ tamen annoſis vinis ſunt frigidiora.

Inter omnes conuenit, ventriculo bile oppleto, lactucas tam crudas ac coctas mirificè ſalutares eſſe, ſitim egregiè reſtinguere: quare æſtiuis feruoribus paſſim in frequentiſſimo vſu habentur; veteres conciliandi ſomni cauſſa, vltima menſa illis veſcebantur, poſteà verò mutato ordine, Domitiani tempore, ab illis promulſidem auſpicabantur, vel orexis ciendæ cauſſa, ideò quærit Poëta Martialis.

Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes.

Somnum mouere Lactucas, Iunius Columella etiam docet.

Iamque ſalutari properat Lactuca ſopore,
Triſtia quæ releuat longi faſtidia morbi.

Hinc Tacitus Imperator apud Flauiũ Vopiſcum, *Lactucis impatienter indulſit, ac ſomnum mercari ſe illa ſumptus profuſione dicebat.*

Sic Virgil. in Moreto, ſiue quiſquis eius Poëmatij eſt auctor,

Grataque nobilium requies Lactuca ciborum.

quo loco malim *Virorum* legere, nã quorſum Lactuca dicetur requies ciborum, non enim cibi quieſcunt ſumptione Lactucæ, ſed viri quieſcunt, quod eius eſu concilietur ſomnus; quid ſibi vult, *Grata requies ciborum*, an quòd Lactuca claudat cœnas, vt Martialis dixit, ideóne dicentur cibi quieſcere; qui nunquam quieſcunt, facultas enim concoctrix ventriculi ſtatim agit in cibos, vt illos in chylum conuertat. Sed quid ſibi Epithethon, illud *Nobilium ciborum*, quaſi Lactuca eſſet grata requies nobilium ciborum, commodior ſenſus erit, ſi legatur:

Grataque nobilium requies Lactuca virorum.

Prudentiores verò prima menſa lactucam ſumebant, vt aluus eius beneficio citaretur. Martialis lib. XI. epigr. LIII.

Prima tibi dabitur ventri Lactuca mouendo
Vtilis.

Dioſco-

Dioſcorides etiam κοιλίας μαλακτικήν. i.aluum mollire dicit
facultate verò refrigerandi egregiè pollet, hinc ſemen minue-
re, venerisq́ue impetus fertur cohibere; qua de cauſſa, Pytha
goram quoddam Lactucæ genus, Enuchion vocaſſe tradunt
quod rotundæ Lactucæ Plinius adſcribit lib. xix. cap. viii
Rotunda verò Lactuca cum minima radice latis folijs, quam quida
Aſtilida, quidamq́ue Enuchion vocant; quoniam hæc maximè refr
getur Veneri. quo loco legendum Aſtytida, iam pridem mo
nuerunt viri docti, ἄστυτις enim ſterile & infœcundum ſignifi
cat. Geoponici verò ſcriptores lib. xii. cap. xiii. ferunt Py
thagoricos, ipſam Enuchion appellare, quia viros enuchorum
inſtar reddit, mulieres verò Aſtytida. hinc Callimachus Poe
ta, fingit ſumma cum ratione, Adonim à Venere ἐν καλαῖς θριδα
κίναις ſepultum fuiſſe. Eubulus verò Comicus, ideo lactuc
νεκύων βρῶμα, mortuorum cibum vocat. quæ ſuperſtitio multo
rum animis adeò inhæſit, vt ad Auguſti vſque ætatem, reli
gio eſſet lactucis veſci. quod Plinius obſeruauit lib. xi
cap. viii.

Diuus certè Auguſtus, lactuca conſeruatus in ægritudine fertu
prudentia Muſæ Medici, cùm priores cauerent, religione nunc om
caret. in tantum recepta commendatione, vt ſeruari etiam in alien
menſes eas Oxymelite repertum ſit. Aſſiduus verò eius vſus viſum
debilitare, cum Dioſcoride refert Simeon Sethi, qui etiam
monet eſum eius vitandũ ijs, qui ſanguinem expuunt. ſed il
in antiquo illorum dogmate hæſiſſe videtur, qui multum ſan
guinis lactucã generare ſibi ſtultè nimis perſuaſerant. In Ace
tarijs, moris eſt lactucam cum eruca miſcere, antiquiſſimo in
ſtituto: de quo Plinius. *Eruca præcipua frigorum contemptrix, di*
uerſa eſt quàm lactuca naturæ. concitatrix Veneris, idcirco iungitur i
fere in cibis, vt nimio frigori, par feruor immixtus temperamentu
æquet. Cruda iuxta ac cocta lactuca ſalubris eſt, Dioſcoride
coctam magis alere, illotam verò ſtomachicis prodeſſe aucto
eſt. quo magis miror pleroſque medentiũ, vix audere febrici
tantibu

tantibus crudas permittere, ſed coctis ſemper iubere vti, vel in media æſtate. cum tutiſſimè tamen crudis veſci poſſunt, niſi fortè ſtomacho ſint frigidiori, vel dentium vitio laborauerint: vnde Galenus lib. II. de Alim. facultatibus cap. XL. refert ſe lactuca cocta incepiſſe veſci, ex quo dentes malè haberent propter ætatem, aliàs cruda ſemper vſus fuerat. immò cùm lactuca ſit olerum innocentiſſimum, à coctura nimiam humiditatem contrahit, quæ ſtomachum exoluere poteſt & laxiorem reddere. qua de cauſſa Hipp. lib. VII. epid. inter cauſſas Choleræ morbi, refert eſum lactucarum coctarum, quia humiditate ſua nimia, ſtomachum ſubuertunt, vt Doctiſſimus Franciſcus Valeſius in com. obſeruauit.

CAPVT XII.

Intybi & Seridis varia genera. Troxima, Cichorij & Endiuiæ diſcrimen. olim mali ſucci cibis adſcripta.

LActucæ ſuccedant Intybi, nam teſte Plinio, nec eodem genere dici poſſunt, neque ex alio. Græcis Σέρις dicitur, licet Galenus dubitet, num veteres Athenienſes tantummodo Intybum vocent Seridem, an & alia quædam agreſtia olera hoc nomine indigitent. Facultate quidem lactucis ſimiles ſunt, ſuauitate verò longè illis inferiores eſſe aſſerit. Vocatur etiam paſſim Cichorium, licet Plinius nomina hæc diſtinguat, lib. XX. cap. VIII. *Erraticum* (Intybum) *apud nos quidam Ambugiam appellauere, in Aegypto Cichorium vocant, quod Sylueſtre ſit. Satiuum autem Serim.* Dioſcorides lib. II. Serim in Sylueſtrem ſeu Erraticum, & ſatiuum diſtinguit. Sylueſtris dicitur ab amarore πικρὶς, ſeu Cichorium; ſatiui etiam duplex genus, alterum lactucæ ſimilius, & foliis latioribus, alterum anguſtifolium & quodamtenus amarum. Hortenſis verò Seris ſiue Intybus, latiore folio, Endiuia eſt vulgaris, quam officinæ Scariolam,

lam, & Hispani Scarolam, tanquam Seriolam diminutiuè vocant. hanc olitores æstiuis mensibus terra vel arena obruunt, quo artificio, summum candorē folia contrahunt, & eximiam teneritudinem acquirunt: adeò vt non minorem gratiam hyberno tempore inter mensas, quàm Lactucę æstate inueniant. Didymus apud Geoponicos scriptores lib. XII. cap. XXVIII. Intybum etiam vocatum dicit Troximam; *Seris siue Intybus, hoc est Troxima Græcis appellata, in aceto tincta & comesta stomacho conuenit*, Aëtius etiam hac voce vsus est, lib. IX. cap. XLVIII. ἀναλάμβανε χυλῷ τρωξίμων, *succo intybi excipe*.

Sed miror Seridis nomen, apud posteriores Græcos non fuisse in vsu, sed eius in locum successisse Intybi: Simeon enim Sethi ἴντυβον describit, relicto Seridis vel Cichorij nomine. recepta est opinio, Endiuiam nostram esse Intybū vel Seridem domesticam, quæ insigni dulcedine prædita est, omnibusque ideò gratissima: mirorque Plinium, qui hanc Cichoria postponit, ita enim ille lib. XX. cap. VIII. *Seris & ipsa Lactucæ simillima, duorum generum est: Syluestris melior; nigra ista & æstiua deterior hyberna & candidior*. vltimis verbis clarissimè designat Endiuiam, quæ hyberna est, & candidior; quemadmodum prioribus Cichorium, quod Syluestre nigrum & æstiuum, altera scilicet Intybi species, quæ passim ab officinis Cichorea nuncupatur, quod etiam nomen priscis non ignotum. Horatius oda XXXI. lib. I.

——— me pascunt Oliuæ
Me Cichorea, leuesque Maluæ.

Insigni hæc amarore prædita, vnde veteribus πικρὶς dicta: quod & Virgilius commodè expressit:

——— Et amaris Intyba fibris.

Cuius non solùm folia cruda & cocta, sed etiam radices decoctæ in acetariis sumuntur, magno ægrotantium emolumento. sanis etiam vtilis, præsertim quibus Hepar aut stoma-
chus

chus calida intemperie laborat, nam vt monet Dioſcorides, Syluestris ſtomacho melior, quandoquidem æſtuantem ipsũ, & quem imbecillitas vexat, cibo lenit. Gal. lib. VIII. de comp. Medicamentorum ſecundùm locos, dicit, facultatem habere ſubfrigidam & ſubamaram, ac modicè adſtringentem, ideoque optimum Pharmacum calidis intemperaturis ipſius Hepatis, præterquam enim quòd moderatè refrigerat, etiam robur viſceri addit adſtringenti ſua qualitate. idem tamen auctor, libro de cibis boni & mali ſucci, cap. XIV. damnat Cichorium aliaq; omnia ex oleribus agreſtibus, tanquam vitioſi ſint ſucci; idem aſſerit lib. II. de Alim. facultatibus cap. XXIX. vbi cichorium inter alias ſylueſtres plantas enumerat, quæ praui ſucci ſunt. Sed non pugnant cum ſupradictis, ſiquidẽ raro quis Sylueſtri cichorio veſcitur, ſed domeſtico, quod diligenti cultura & crebra repaſtinatione inter laudandos cibos locum inuenit; nec etiam vtimur illo vt ſimplici alimento, ſed vt medicamentoſo, ob dotes eius egregias enumeratas, qua de cauſſa refert Plinius, propter ſingularem ſalubritatem aliquibus Chreſton, aliis Pancration dictum. Simeon Sethi ſcribit auctores eſſe, qui tradunt, ſi quis Intybo, poſt ſanguinis miſſionem vel cucurbitulas, cùm aceto vtatur, ipſius iecinoris ſanitatem conſeruare, fides ſit penes auctorem.

CAPVT XIII.

Beta cur fabris familiaris. Atriplex. Blitum. Spinachia, Lapathum. Oxalis.

BEta notior eſt quàm vt multis de illa agamus, Græcis nunc σεῦτλον, nunc τεῦτλον nuncupatur, duplex eſt, nigra & alba, hæc melioris eſt ſucci, aluum etiam emollit, vocatur etiã à Theophraſto Sicelica, à Plinio Sicula vnde fortè ſeplaſiorum vulgus Siclam dixit. nigra minùs laudatur, atque aluũ

fertur compescere, præsertim si cum lente coquitur. Succu autem Betæ modicè purgat, ventremque ad excernendum proritat, sed stomachum quoque lancinat, præsertim quibu natura valde sensibilis est. quare & stomacho frequẽs eius esu noxius est. Hepar prauis crassisq; humoribus infarctum aperit, lienosis etiam vtilis si cum aceto vel sinapi quis sumat, vt monet Gal. l. II. de Alim. facul. ca. XLIII. ex quibus patet Betæ succum, tenuium esse partium, & abstergendi facultate præditum: nec ita insalubrem eius vsum, ac imperiti quidam sibi persuadent. Diphilus Siphnius apud Athenæum lib. II. auctor est, Betam meliorem succum gignere quàm Brassica, magis etiam alere, lumbricos pellere, elixam in aqua cum sinapi sumptam: candidam aluum magis ducere, nigram vrinas. Martialis obsonatricis artis non imperitus, vinum & piper betis adiicit.

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O quàm sæpè petit, vina, piperq; cocus.

Fabrorum autem prandiis dicatam refert, quòd illa familiariter vterentur, vt alui duritiem ex assidua ignis vicinia cõtractam emolliant. Nam vt idem refert lib. III. Epigr. XXXVI.

Et pigro ventri non inutiles betas.

Simeon Sethi radices betæ pituitam gignere, difficulter concoqui, & flatus excitare auctor est. hodierna die, in Belgica tertium genus Betæ conspicitur, à colore Rubra vocata, cuius radices in magnam molem excrescunt, & coctæ, cum oleo & aceto inter acetaria, hyemali tempore non postremum locum sibi vendicant, ori non ingratæ, sed flatus mouent & crassiorem succum suppeditant.

Atriplex Græcis Ἀτράφαξις est, aliquibus χρυσολάχανον, tanquam aureum olus, quoniam luteo fit flore, dictum fuit: Plinius tamen de Atriplice & Chrysolachano tanquam diuersis oleribus, mentionem facit diuersis libris. iusculis quæ alui citandæ caussâ parantur non parum vtilis, natura sua refrigerat &

rat&

rat & humectat, & verè insipidum olus & aqueæ naturę, ideoque inter ἄποια relatum, quo fit vt qui olere illo gaudent, non ex oleo & garo solo illud mandunt, sed acetum etiam admiscent, vt auctor est Galenus, alioquin stomacho noxium, corpori verò exiguum alimentum præstat sed lubet veterum sententias de hoc olere ex Plinio audire lib. XX. cap. XX. *Atriplex & syluestre est, accusatum à Pythagora, tanquam faceret Hydropicos, morbosq́ Regios & pallorem: coqueretur difficillimè, ac ne in hortis quidem iuxta id nasci quicquam; nisi languidum culpauit. addidere Dionysius & Diocles, plurimos ex eo gigni morbos, nec nisi mutata sæpius aqua coquendum: stomacho contrarium esse, lentigines & papulas gignere.*

Atriplici affine Blitum est, & ipsum olus fatuum, saporis & acrimoniæ omnis expers, ad cætera inutile, nisi ad mouendum aluum: vnde conuicium faciunt fœminis apud Menandrum mariti. apud Aristophanem quoque Βλιτομάμμα pro bardo & inerte sumitur. Sic Plautus in Truculento. *Blitea & lutea est Meretrix.* Duplex est Blitum, album scilicet & rubrum, in Hispania & Italia in frequenti est vsu: apud Belgas penè ignotū. Plinius stomacho inutile dicit, ventrem verò adeò turbare, vt choleram faciat aliquibus, ferunt tamen aduersus Scorpiones potum è vino, prodesse, & clauis pedum illitum.

Sequuntur Spinachiæ veteribus ignotæ, à semine fortè spinoso & aculeato ita dictæ, maximam autem abhinc aliquot sæculis auctoritatem oleri huic dederunt mensæ, atque ideò solerti cura excultum, passim lætissimè prouenit, maximè tamen locis irriguis, tonsura proficere certum est, & frequentius sectum fæliciùs crescit. leuiter vt olerum pleraque alit, succumque innocentiorem salubrioremque, quàm Atriplex aut Blitum corpori suppeditat, si Mauritanis credimus, apud quos egregiè celebratur. Idiotæ quidam multum sanguinis eius esu gigni credunt, non secus atque ex lactucis, sed toto eos cælo labi suprà diximus.

Subiungatur Laphatum, Rumex Latinis, vel eo nomine quod Galenus syluestrem Betam posse hoc olus vocare asseri quia gustu viribusque hortensi betæ similis sit; sed multò et Beta suauior. Vis illi est mouendi aluum, si cum oleo coquatur ex Dioscoridis sententia, quod nec Horatium fugit lib. II Satyrarum.

—— Si dura morabitur aluus
Mytulus, & viles pellent obstantia conchæ,
Et Laphati breuis herba.

Plures autem eius species recensent scriptores, inter quæ Oxalis, vulgo Acetosa, Græcis oxylaphatum, cui in hortorũ cultura non spernendus honor: varia eius genera; vere præsertim atque æstatis caloribus, ex succo eius gratissimum Embamma siue intinctus paratur, ex quo carnes & pisces eduntur: gratiores enim escas reddit & cibi auiditatem auget, acidulo suo sapore. nouitium esse inuentum extra controuersiam est. nulli enim veterum, quod sciam, in hos vsus adhibitus est succus.

CAPVT XIV.

Braßica cur Coramble dicta. Raphanus vocata. Sæpiùs visum lædit, aliquando illi confert. Crapulam discutit, cur viti inimica. varia eius genera.

Brassica Græcis κράμβη dicta, quasi κοράμβλη, quòd oculis sit inimica, Scholiastes Aristophanis in Equibus, παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς κοράμβλη, διὰ τὸ τὰς κόρας βλάπτειν. *apud Atticos Coramble dicitur, quod oculorum pupulas lædat.* Columellæ etiam Coramble dicitur.

Nunc veniat quamuis oculis inimica Coramble.

Licet Ioannes Ruellius vir Doctissimus, locum hunc de flore coronario intelligat, quem Græci κορύμβιον vocant, & Corymbi-

rymbe, monet legendum;ſed meliores codices, & ratio,veterem lectionem adſtruunt. Veteres Athenienſes etiam Raphanum dixerunt, vt obſeruauit Galenus, & Iulius Pollux lib. I. Onomaſtici. Ῥάφανος, ἡ κράμβη δὲ οὕτω καλεῖται. *Raphanus ita & Crambe vocata.* Clariſſimè Ariſt. lib. v. de Hiſt. animalium, quo loco de erucis in Braſſicis naſcentibus agit, αἱ δὲ γίνονται ἐκ τῶν φύλλων τῶν χλωρῶν καὶ μάλιστα ἐπὶ τῆς ῥαφάνου ἣν καλοῦσι τινὲς, κράμβην. *naſcuntur & aliæ ex viridibus foliis præſertimque in Raphano, quam crambẽ aliqui nominant.* Braſſicam autẽ Varro tanquã Præſecã dictam ait,quod ex Scapo minutatim pręſecetur, & paſſa fiat. olus hoc principatum inter hortenſia populorum conſenſu obtinuit,paſsim enim in honore eſt, tam apud Græcos quàm apud Romanos,aliaſve gentes. Græci etiam teſte Nicandro apud Athenæum,lib. IX. non ſolùm Μάντιν καὶ ἱερὰν *vatem* & *ſacrã*, vocarunt, ſed vt Ananias,Epicharmus aliique poëtæ docent, per Braſsicam iurabant. Apud Romanos verò quantò in honore fuerit,vel vnus Cato dicet, qui adeò effuſus in eius laudes fuit, vt ſexcentis annis P. R. Braſsicæ ſolius Medicina vſum dicat,familiam verò ſuam,eius beneficio à peſtilentiæ lue immunem fuiſſe prædicat;quanquam id potiùs ſæculi frugalitati,quàm oleris iſtius bonitati adſcribi velim. Succus eius & ius aluum mouent,ipſa verò braſsica ſiſtit. hinc Cornelius Celſus, *Braſsica ſubcruda aluum mouet, bis cocta ſtringit*; hoc ſcilicet eſt quod Galenus ait,leuiter coctam, aluum ſubducere, δύσεφθον cohibere. Succum verò generat non laudatum vt Lactuca,ſed prauum & melancholicum; quo magis mirandũ, eius vſu plurimos ita effusè delectari: ſiccandi etiã facultatem habet inſignem,qua de cauſſa viſum hebetare vetuſtas tradidit. Dioſcorides tamen, ἀμβλυωποῦσι βοηθεῖ, *hebetioribus oculis prodeſſe dicit.* Plinius etiam lib. XX. cap. IX. hunc cibum & oculorum claritati conferre multum: ſuccũ verò crudæ, vel angulis tantũ tactis cùm Attico melle, plurimum. Sed lis hæc cõponi poteſt facilè, cũ varię ſint cauſæ quæ visũ offendant, aliæ enim exſiccãdo & ex-

& extenuando, aliquæ humectando & incrassando offendun
vbi itaque oculi læsi sunt propter crassitiem & humiditatem
prodest Brassicæ vsus, quia extenuat & exsiccat, quod Dio
scorides, Pliniusque innuunt, si verò visus propter siccitaten
& tenuitatem hebetior factus fuerit, maximè nocet Brassica
hoc satis dilucidè Galenus innuit cùm dicat Lentem & Bras
sicam visum hebetare, *nisi fortè totus oculus humidior fuerit, quà
naturalis eius constitutio postulat, quo casu iuuare potest.* Magnope
re etiam Brassica crapulæ & ebrietati resistit, Simeon Seth
refert Brassicam ante cæteros cibos sumptam temulentian
prohibere. Athæneus lib. II. dicit Ægyptios ante omnem cib
brassicam elixam solitos comedere, atque ita se ad compota
tiones præparare. Androcydæ hoc inuentum fuisse auctor e
Theophrastus lib. IV. de Historia Plantarum sub finem. *Andr
cydes exemplo hoc vsus est, de medela contra vinum confecta ex bras
ca, videlicet temulentiam posse propulsari, quippe cum vitis etiam vi
ua, odorem Braßicæ fugiat.* Cuius rei caussam assignat Aristo
sect. III. Probl. XVII. vbi quærit cur Brassica sedet crapulam
quia, inquit, succum dulcem discutientemque obtinet, ipsa au
tem frigida est, hinc fit vt vinosos crudosq; humores in aluum
detrahat, tenues verò humores, in vesicam delabuntur, ips
in ventriculo remanet; corpus refrigerat, atque ita humori
bus vtrimque diductis, refrigerato corpore cessare crapulam
Galenus lib. II. de compositione Medicamentorum secundùm
locos, ad capitis dolorem ex vini potu, hoc euenire dicit, quò
Brassica repellat vapores ex vino ad caput ascendentes. Poët
verò fabulantur Brassicam natam esse ex Lycurgi lachryma
nam cùm Bacchus metu coactus, mare subiisset, Lycurgus vi
te vndique constrictus lachrymas emisit, ex cuius lachrymis
Brassica enata est, vt referunt Geoponici scriptores lib. XII. c
XVII. ex opinione Nestoris in Ἀλεξικήπῳ, & Scholiastes in Ari
stophanis Equitibus, vnde odium perpetuum ac dissidium in
ter vitem & Brassicam, adeò vt ferant vineas, in quibus sata
sunt

ſunt Braſſicæ, languidius vinum proferre, ne repetam quod Theophraſtus dicit, vitem odorem Braſſicæ auerſari.

Tria genera Braſſicæ Theophraſtus enumerat λειοφύλλον ſeu leue, οὐλόφυλλον Criſpum, tertium, ἄγριον Silueſtre: hoc genus propriè κράμβην vocatam ferunt. ſed varijs mox nominibus diuerſi populi illas nuncuparunt, ſingula velle recenſere infiniti eſſet laboris. Sed noſtro ſæculo Braſſicæ genus in pretio eſt antiquioribus ignotum, vulgo *Cauliflora* dicta, alijs *Cypria*, quod ex illa inſula ſemen ad nos defertur. hæc foliorum loco quæ in caput conglomerantur, caulem in medio habet craſſum, albidum, mollem, qui palato gratiſſimus, & florem refert. vnde illi nomen. Semen quotannis ex Italia aduehitur: nam quod hîc colligitur, ſterileſcit vel in aliam ſpeciem degenerat.

Coquebant autem veteres Braſſicam cum nitro, quod palato oculiſque gratior eſſet. Martialis lib. XIII. epigr. XIII.

Ne tibi pallentes moueant faſtidia caules,
Nitrata viridis Braſſica fiet aqua.

Braſſicæ cauliculus à Dioſcoride κύημα dicitur, tanquam fœtura, quidam tamen maluerunt κῦμα dicere. Plinius non in neutro, ſed fœminino Cymas vocat, Columella verò neutro genere Cymata indigetat lib. X.

Tum quoque conſeritur, toto quæ plurima terræ
Orbe virens, pariter plebi, Regique ſuperbo
Frigoribus caules, & veri Cymata mittit.

Cymæ verò, vel Cymata Braſſicæ, vocantur teneriores cauliculi qui ineunte vere prodeunt, ſalubritate ipſam plantam ſuperant, nam ſtomacho ſunt gratiores, atque vrinam mouent feliciùs, vt auctor eſt Dioſcorides.

Inter delicias olim à Romanis habitæ. quod Tiberij Imp. exemplo Plinius docet lib. XIX. cap. VIII. *Transfertur* (braſſica) *cum quinque foliorum eſt; Cymas à prima ſectione præſtat proximo vere. Hic eſt quidam ipſorum caulium delicatior teneriorque cauliculus,*

lus, Apicij luxuria, & per eum Druso Cæsari fastiditus, non sine castigatione Tiberij patris, vocantur etiam Protοtomi à prima sectione, licet hoc nomen etiam ad plura olera transferri posset, Martialis lib. x. epigr. XLVIII.

Et faba fabrorum, Prototomique rudes.

CAPVT XV.

Portulaca dentium stupori cur medetur. diuersa à Peplio. Borrago nostra, antiquorum Buglossum. Cur Euphrosinum dictum. Vulgare Buglossum Cirsion, vel Lycopsis.

EST & Portulacæ suus in acetarijs honor, quod æstiuo tempore stomacho gratissima, nam cùm frigidæ humidæque naturæ sit, egregiè stomachi ardoribus medetur. nescio qua ratione Plinius scripserit Peplion etiam vocari, cum Græcis Ἀνδράχνης dicatur, sitq; Peplion longè diuersa herba à Portulaca, nisi quod apud Dioscoridem legerit, Peplion ab aliquibus Syluestrem Portulacam vocari. Est enim duplex, Syluestris quæ & minor, quam multi Sedum nuncupant: satiua verò quæ & maior. frigida est tertio, humida verò secundo gradu: cruda non rarò in acetarijs, Lactucæ alijsque herbis admixta editur, cocta verò frequentissimè cum oleo & aceto; Alimentum inde corpori exiguum & vitiosum succedit; commanducata verò αἱμωδίαν seu dentium stuporem tollit, cuius rei causam reddit Aristoteles sect. I. Probl. XXVIII. quoniam lentore suo, & visciditate quam in se habet, hærentem in dentibus limum & asperitatem, fundat & detergat. Si tamen stupor fuerit in radice dentium, non solùm non proderit sed maximè lædet; nam vt Galenus auctor est lib. VI. de simpl. med. facultatibus, tantum sanat stuporem illum, qui ex acriore vel acerbo cibo

cibo contingit, leniendo nempe viſcoſa ſua humiditate, quæ ab acidorum contactu, aſperè excitata fuerant. aduerſus etiam ventris lumbricos, & veneris ſomnia prodeſſe fertur. Plinius etiam radicem eius appenſam collo, vuæ morbis mederi tradit lib.xx. cap.xx. *Prætorij viri pater eſt Hiſpaniæ Princeps, quem ſcio propter impatibiles vuæ morbos, radicem eius (Portulacæ) ſuſpenſam è collo gerere, præterquam in balineis, & ita liberatum incommodo omni.*

Affines valdè ſunt Bugloſſum & Borrago, in acetarijs etiam expetiti illorum flores. Sed Borraginis nomen antiquis ignotum. Arabes magnis laudibus illam celebrant. peritiores rei herbariæ aſſerunt, hanc eſſe veterum Bugloſſum, quod folia verbaſci inſtar habeat, ſed nigricantia & aſpera, bubulam linguam imitantia, quæ omnia vulgari Borragini potiùs quàm Bugloſſo conueniunt. Bugloſſum verò, ſunt qui Lycopſim Dioſcoridis, alij Cirſion eſſe aſſerunt: adeò difficile eſt ex vetuſtatis tenebris veritatem eruere. Vtriuſque flores acetarijs communiter inſperguntur, vt etiam tenella folia, maiora verò ob duritiem varijs modis coquuntur & aluum mouent. omnes verò Bugloſſi dotes, Neoterici Borragini adſcribunt. Dioſcorides, καθιέμενον εἰς τὸν οἶνον εὐφροσύνην δοκεῖ εἶναι, *in vinum iniectum lætitiam facere creditur;* idem à Galeno traditur lib.VI. de ſimpl. Med. facultatibus, qua de cauſſa Plinio Euphroſynum dicitur. lib.xxv. cap.VIII. *iungitur huic Bugloſſos, boum linguæ ſimilis, cui præcipuum, quod in vinum iniecta, animi voluptates auget, & vocatur Euphroſynum.* Omnia hæc hodierna die Borragini adſcribi fatentur omnes. æſtiuo enim tempore paſſim in vſu eſt flores eius in vinum deijcere, quod credant illis animi hilaritatem prouocari, & atræ bili in paucis aduerſari. Sed vnde Borraginis nomen, ſi coniecturæ locus ſit, dicam; Apuleius lib. de virtutibus Herbarum capite de Bugloſſo, tradit à Lucanis Coraginem dici, vnde Borrago defluxit, niſi fortè vnius litterulæ mendum ſit, & legendum apud Apuleium,

Borraginem, loco Coraginis. iudicium Lectori permittam. no-
stra etiam ætas Buglossi radices, vt etiam flores & folia Bor-
raginis, omnis generis medicamentis quæ tristitiam depelle-
re, mœrorem fugare & cor roborare creduntur, tanquam Ho-
mericam Nepenthem, admiscet.

CAPVT XVI.

*Asparagi varia significatio. ὄρμενον. Corruda. Altiles aspara-
gi. alij Montani, Palustres, Petræi, & Regij. Stomachum
roborant. cur vrinam statim suo odore inficiant. Lupulus
lupus salictarius. Syluestris & satiuus. Floribus eius cerui-
siæ condiuntur.*

ASparagus ab asperitate dicitur, Varrone teste, quod e
asperis virgultis nascatur, & ipsi scapi asperi sunt non
leues, vel quia Græcis etiam ἀσπάραγος vocetur; non simplex
eius significatum, siquidem & teneriores stirpium cauliculos
quo tempore solent ἐξανθεῖν, & foras prodire, impellente ger-
minandi vi, Asparagos vocamus; Latini etiam germina dicu-
veluti in Brassica accidit, cuius cauliculus recens adhuc atque
tener, ἀσπάραγος κράμβης à Græcis nominatur, licet ab alijs κ-
μα. Attici verò totam illam Brassicæ partem teneram quæ ef-
florescit, teste Athenæo, ὄρμενον nuncupabant; quòd tamen
nomen latiùs ab alijs scriptoribus nonnunquam sumitur, nam
Plinius, Syluestrem Asparagum, ex Atticorum sententia ὄρμενον
vocat. Asparagi etiam nomine, gaudent fruticum cauliculi te-
nerrimi, qui esui apti sunt, quales à Galeno recensentur lib.
ii. de Alim. facult, Oxymyrsine, siue Ruscus, Oxiacanthe vulgo
Berberis, Chamedaphne, nostrisque temporibus additur Lu-
pulus, de quo mox fusiùs.

Præter hos cauliculos, peculiaris est planta quæ Græcis pa-
riter

riter ac Latinis Aſparagus nominatur, quæ cùm pubeſcit & adhuc noua eſt, nondumque ſe in ſpinas aut folia explicauit, ſummam gratiam apud ſuperioris, & noſtræ ætatis homines inuenit, tum quòd palato mirificè placeat, tum quòd ſanitati tuendæ egregiè conducat. duplex autem ab omnibus recenſetur, Syluestris & Altilis; Syluestris qui Latinis Corruda. de quo Plinius lib.XIX. cap.VIII. *Indicauimus & Corrudam, hunc enim intelligo Syluestrem Aſparagum, quem Græci Ormenum aut Myacanthon vocant, alijſve nominibus*, & Columella lib.X.

Prodit & Aſparagi Corruda ſimillima filo.

Cato ex Corruda Aſparagum naſci tradit, *ibi Corrudam ſerito, vnde Aſparagi fiant.* Paſſim illi naſcebantur & ſine cultura, vnde querela Plinij lib.XIX. c.IV. *Syluestres fecerat natura Corrudas, vt quiſque demeteret paſſim, ecce Altiles ſpectantur Aſparagi, & Rauenna ternos libris rependit.* Syluestrem etiam Aſparagum video à Iuuenale, Montanum dici, Satyra XI.

—— Et Montani
Aſparagi, poſito quos legit vellica fuſo.

Altilis verò, ſiue ſatiuus Aſparagus, magna nunc cura paſſim prouenit, qui inter Hortenſes delicias palmam obtinet; in Italia nullum illi gratius ſolum, quam Rauennatium, ibi enim ad inſignem proceritatem excreſcebant, nunc & Veronenſibus ſuus honor. Veteres, multiplices ſpecies numerabant, alios enim ὀρειους, ἑλειους, πετραίους & βασιλικους, *montanos, paluſtres, petræos, & Regios vocabant.* Galenus lib.II. de aliment. facult. tantùm Regij & paluſtris meminit, ſed lib.VI. de ſimpl. med. facult. Petræi meminit, quòd is magis ſit medicamentoſus. Omnes hoſce ſtomachum roborare, vrinam mouere, ſed parum alimenti præbere aſſerit. à quo multum diſſentit Simeon Sethi. *Eſt autem olerum omnium Aſparagus qui maximè nutrit, ita vt ſi quis dicat eius ſubſtantiæ naturam, poſitam eſſe mediam inter olera & carnes, non multum à vero aberrabit.* Venerem autem concitare & renum calculos expellere ſcriptores aſſerunt. Sed obſeruan-

uandum nisi in coquendo modus adhibeatur, illos tabescere nec solùm palato ingratos, sed etiam euanidos fieri; quare celeriter coquendi sunt, vnde ab Augusto Cæsare instar Paroemiæ vsurpatum, quotiescumque rei celeritatem exprimere cupiebat, *Ocyùs quàm Asparagi coquantur.* Mirum autem est a assumpto asparago, statim vrinam odorem ab illo mutuari. De quo Simeon Sethi. *Est verò Asparagus diureticus, & eas quæ iecore & renibus fiunt obstructiones aperit, & hoc manifestum, qui vrinam in suum odorem transmutat: vt huius odoris esse sentiatur aliquantulum postquam Asparagum quis ederit, quemadmodum Silphion; neque quispiam admiretur, illum vrinæ suam statim qualitatem indere, nam & Chenea rubra (quæ creditur Rubia tinctorum esse) si manibus contineatur, lotium in suum colorem transmutat, atque hoc earum rerum & Paradoxon & admirandum est, quæ c... terius fiunt, quod scilicet appositum lotium tingant.* Sed non est i... stituti nostri occultas rerum caussas hoc loco anxiè scrutari. Menstrua etiam feliciter citant, dentibus prosunt, & semen genitale augent, quas dotes syluestrem Asparagum efficacius præstare docent Athenæus & Plinius; Martialis verò hunc etiam altili prætulisse videtur.

Mollis in æquorea quæ creuit Spina Rauenna,
Non erit incultis gratior Asparagis.

Inter syluestrem verò & satiuum, medium quoddam genus in Germania fuisse commemorat Plinius. *Est & aliud genus incultius Asparago, mitius Corruda, paßim etiam montibus nascens, refertis Germaniæ campis, non infaceto Tiberij Cæsaris dicto herbam ibi quandam nasci simillimam Asparago.* Hunc Asparagum siue Corrudam, non desunt qui Lupulum nostrum faciunt, magno errore. ille enim folia habet capillamenti a... instar, in Lupulo verò sunt crassiora & aspera; accedit Asparagum syluestrem humilem esse herbam, Lupulum verò perticas maximè proceras scandere; sed Lupuli turiones siue cauliculi vere erumpentes, apud Belgas etiam in pre...
sun...

ſunt. manduntur enim cum aceto & oleo non ſecus ac Aſparagi; Plinius Lupum Saliĉtarium vocat, fortè quia ſuper Saliĉta ſalit, & nexu ſuo ſtringit. Eſt autem duplex, Syluestris qui incultis locis, & circa vepreta prouenit; Satiuus verò reſtibili & pingui ſolo naſcitur, lætiorque diligenti cultura exit, floreſque copioſiores & maiores profert: quos magna diligentia Belgæ curant ad ceruiſiam condiendam, vnde magnus quæſtus, nam ex ſylueſtri flores pauciores proueniunt, nec ita validi. Aſparagi verò vtriuſque etiam diſſident, Syluestres enim exigui ſunt, altiles verò craſſiores & candidi, & qui ſapore cum veris Aſparagis auſint contendere, quos ſi nouiſſet Plinius non ſcripſiſſet, *Lupum Saliĉtarium, inter oblectamenta magis quàm cibos recipiendum.* Facultas illis viſcera aperire, vrinas mouere, & ſanguinem temperare.

CAPVT XVII.

Cinara Theophraſto ignota, à Siculis Cactos dicta, Euſtathius diuerſas facit. Stomacho amica. Carduus olim in magna æſtimatione, ingens ex illis quæſtus. Scolymus diuerſus à Cinara & Carduo.

PIaculum eſſet Cinaram & Carduos præterire, corruptiſſimi huius ſæculi non vulgares delicias, eò enim deuentum, vt *portenta etiam terrarum*, vt cum Plinio dicam, *in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes.* noſtro enim æuo in ſummo menſarum honore ſunt, & pauciſſimis annis adeò multiplici ſobole accreuerunt, vt cum Hermolai Barbari ætate, tantùm in vnico horto Venetijs conſpectæ eſſent, nunc non Italiam ſolùm & Hiſpaniam, ſed Galliam, Germaniam, & Brittanniam occuparunt; vetuſtiſſimis etiam temporibus Græciæ erat ignota. ſcribit enim vir magnus Theophraſtus

ſtus lib.VI. de Hiſt.Plantarum, in Sicilia tantùm conſpici, Gręcia nuſquam, & ab incolis Cacton vocari. Sed lubet Theophraſtum audire Plinij verbis loquentem. *Et Cactos quoque Sicilia tantùm naſcitur, ſuæ proprietatis & ipſa; cuius in terra ſ[...]punt caules, à radice emiſſi, lato folio & ſpinoſo. Caules vocant Cact[...] nec faſtidiunt in cibis inueteratos quoque. vnum caulem rectum h[...]bent, quem vocant Pternica, eiuſdem ſuauitatis ſed vetuſtatis imp[...]tientem; ſemen ei lanuginis, quam Pappon vocant: quo detracto[...] cortice, teneritas ſimilis cerebro palmæ eſt, vocant Aſcaliam.* Theophraſtus Scaliam, Athenæus verò Aſcaleron dicit, qui etia[...] monet, ex deſcriptione hac ſatis conſtare Theophraſti C[...]cton, eandem eſſe plantam quam Romani, exiguo freto à S[...]culis diuiſi, Carduum vocant, Græci verò Cinaram. Euſ[...]thius tamen probare nititur, Cacton & Cinaram eſſe diuerſ[...] quia Ptolomæus Euergetes Ægypti Rex, & Philologus no[...] vulgaris, in commentarios ſuos retulit, circa Lethonem L[...]byæ fluuium, Cinaram naſci copioſam, quam milites eius ſp[...]nis purgatam, illi obtulerunt vt veſceretur, quod Cactus no[...] ſit aculeata vt cinara. Sed ratio hæc non videtur magni mo[...]menti, nam Cactus etiam eſt ſpinoſa ſecundùm Theophra[...]ſtum: quare lubet plurimorum ſententijs accedere. Sed inte[...] omnes videtur Columella graphicè admodum Cinaram de[...]ſcribere, lib.x.

Hiſpida ponatur Cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.
Hæc modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrteolo modo crine viret, deflexaque collo,
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit:
Nunc ſimilis Calatho, ſpiniſque minantibus horret.
Pallida nonnunquam tortos imitatur achantos.

Hanc deſcriptionem Cinaræ optimè quadrare cum plant[...] illa, quæ vulgò *Artachoches* dicitur, nemo eſt qui negabit, mo[...] Columellæ verſus cum ipſa planta conferre voluerit. Galen[...]

illa[...]

illam esse praui succi, præsertim si plusculum induruit auctor est, & melancholicum succum suppeditare. Sed assidua cultura fortassis, mitior euasit, atque erraticæ plantæ naturam exuit. Nostri temporis scriptores, stomacho amicam faciunt, & appetentiam deiectam recreare plerisque persuasum; potoribus verò, vini potum suauiorem facit, vt obseruauit etiam Columella; cruda estur plerumque cum adhuc tenera est, cum sale & pipere, vbi verò grandiores euaserint, præstat coctis vesci; sed nunquam citra aromatum miscellam, pro cuiusque palato.

Caules etiam Autumno terra obruuntur, quâ ratione mirum candorem contrahunt & teneritudinem, sicque in cibos lautiorum transeunt.

Nec minor in Carduis luxus, nec noua hæc insania orbem inuasit, sed à Romanorum luxuria ad nos propagata, quanti enim illam æstimauerint, incredibilis quæstus quem ex illis percipiebant, satis superq; docebit Plinius lib. XIX cap. VIII. *poterant videri dicta omnia quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore dicenda, certum est quippe Carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipuè, Sestertia sena millia vt parcius reddere.* Sunt centum quinquaginta millia Philippicorum nostræ monetæ. merito ergo conqueritur alibi: *Mirum esse non licere pecori carduis vesci, non licet plebi?* nostra ætate omnibus summopere expetuntur mensis, non secùs enim ac Cinaram, terra obtegunt instante hyeme, vnde teneriores longè euadunt, præstantissimos Bruxella alit. nec desunt Carduis dotes non spernendæ, Plinium audiamus lib. XX. cap. XXIII. *Radix cuiuscumque ex aqua decocta, potoribus sitim facere narratur, stomachum corroborat, & vuluis (si credimus) etiam conferre aliquid traditur, vt mares gignantur, ita enim Chæreas Atheniensis scripsit, & Glaucias qui circa Carduos diligentissimus videtur. Manducatus Carduus odorem commendat oris.* Crudus passim manditur cum sale & pipere, frequenter etiam carnium pin-

gui iuſculo incoctus vel alijs cibis permixtus, orexim excita
& ſtomacho robur addit.

Multi opinantur Scolymum Dioſcoridis eſſe Cinaram, v
Carduum noſtrum, quod peritiores rei herbariæ negant: cùm
ille ſit folio Chameleonis, aut Spinæ albæ, caule multum f
lioſo, capite ſpinoſo, quæ noſtris plantis conueniunt: nam tam
etſi caput eius ſpinoſum dici poſſit, caulem tamen non hab
multum folioſum, ſed ſæpè folijs viduum, vel vno aut alte
ro folio ornatum.

CAPVT XIX.

Apium Hortenſe, vulgare eſt Petroſelinum, non legitimu Apio indigere. Victores Nemeorum certaminum Apio cor nabantur. Eruca Lactucæ coniungenda. Naſturtium. Sco buto medetur. Ocymum cum probris ferendum. inter ca diaca refertur. Sinapi à Pytahagora laudatur.

HActenus olerum præcipua enarrauimus, quæ homi alimentum præſtare conſueuerunt: addenda nunc qu eſcarum potiùs ſunt condimenta, quàm cibi: quorum vir nouiſſe operæpretium eſt. multum enim intereſt, grato an in grato quis vtatur nutrimento, adeò vt dixerit Hippocrate *Parum deteriorem cibum & potum, modò ſuauior ſit, melioribus præferendum:* nam quæcumque lubens quis, & cum volupt te aſſumit, ea à ventriculo faciliùs concoquuntur, ſicuti i quæ diſplicent difficiliùs, vnde nauſeæ, flatus & fluctuatio nes ſubſequuntur. non tamen lubet hoc loco, Apitij vel Cat doctrinam producere; ſed pauca è multis, & maximè obu in medium adferre. inter quæ primò occurrit Apium, quo in gloria maxima eſt condimentorum. Eſt illud multiplex, ſe de Hortenſi tantùm mihi agere certum eſt. Græcè Σέλινον κ ηπαῖον, vocant; vulgus Petroſelinum; quod tamen multum

ver

vero & legitimo Petroſelino diſtat, quod in petroſis maximè prouenit & Macedonicum dicitur, quod in Macedonia præſtantiſſimum naſcatur. Hortenſis verò Apij ſeu Petroſelini facultas, calida & deſiccans eſt, vrinas mouet, ſtomacho confert. in condimentis verò peculiarem gratiam obtinet, & in Embammatis, crudo coctoque pariter veſcimur. Veteres ambiguè valdè de illo ſentiebant, plures enim eius vſum damnabant, Nam defunctorum feralibus epulis, dicatum eſſe ſibi perſuaſerant; quia illorum monumenta Apio coronabantur, hinc natum prouerbium, teſte Plutarcho Sympoſ. v. quoties quis periculosè ægrotabat, eum Apio opus habere dicebant. Sed in Achaia ſacri certaminis Nemeæ victores, etiam, Apio coronabantur, quod ſecundi ominis ſignum, Timoleon amplexus eſt, cùm videret milites ſuos in Sicilia perterritos, ex occurſu quorundam qui Apium ferrent, vt in vita eius refert Plutarchus. De reliquis Apij generibus nihil hîc dicam, quoniam tam inter medicamenta, quàm condimenta locum habent.

Eruca Hortis omnibus familiaris, præcipua illi gratia in acetarijs, Galenus & Plinius Lactucæ coniungendam præcipiunt, vt feruore ſuo & acrimonia, oleris frigiditatem attemperet, in condiendis obſonijs tanta illi ſuauitas, vt Græci, teſte Plinio, Euzomon appellarint, vis illi calefaciendi inſignis; Veneris concitatrix egregia, genituramque auget, vnde Iunius Columella lib. x.

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
Excitet vt Veneri tardos Eruca maritos.

Martialis lib. VII.

—— Et Venerem reuocans Eruca morantem.

Capitis dolorem inducit præſertim ſi ſola editur.

Non diſſimilis facultatis eſt Naſturtiũ, quod teſte Plinio & Varrone à narium tormẽto nomen obtinuit, odoris enim acrimonia ſternutamentum prouocat. Herba eſt quæ egregiè ca-

lefacit, minùs tamen virens, quare nonnulli inſtar obſonij cum pane illa veſcuntur, vt Galenus refert; qui mos frequens Belgis eſt; Venerem inhibere ſcripſit Plinius; viſum exacuit, & ſtrenuo auxiliatur grauiſſimo malo, quod Germani Scorbutum vocant; Dioſcorides ſtomacho aduerſari, aluum turbare, menſes ciere, & lumbricos pellere aſſeruit. Simeon verò Seth tradidit illos qui Cardamum, ſiue Naſturtium eſitauerint, ſenſu ac mente acutiores fieri, Veneriſque appetentiores, contra ac Plinius ſcribit. Commodè etiam Medicamentis miſcetur quæ Aſthmaticos iuuant, quod craſſos & pituitoſos humores attenuet.

Ocymum poſteriores Græci Baſilicon vocant, quo etiam nomine vulgo innoteſcit, illud Chryſippus apud Plinium multis nominibus infamauit; inutile non ſolùm ſtomacho, ſed vrinæ, oculorum etiam claritati officere ſcripſit, inſaniam facere & Lethargicos, ideoque Capras id aduerſari, cùm omnia depaſcantur. refert etiam Plinius lib. XIX. cap. VI. cum maledictis & probris ſerendum, vt lectius proueniat, quo etiam Perſius reſpexit Satyra IV.

Dum ne deterius ſapiat panucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantauerit Ocima vernæ.

Scriptores Geoponici lib. XI. cap. XXIX. tradunt Ocymum manſum & in ſole expoſitum Scorpios gignere, quod & Plinius ex Chryſippi ſententia. nec defuere noſtri æui non ignobiles ſcriptores, qui ex frequenti Ocymi odoratu, vidiſſe ſe dicunt Scorpium generatum in cerebro; fides auctorem appellet. Scio Galenum iam pridem aniles has fabulas exploſiſſe lib. II. de Alimentorum facult. cap. LVI. *vitioſi autem eſt ſucci, quæ res impulit quoſdam vt falſa de eo proderent, affirmantes ipſum celerrimè paucis diebus Scorpiones generare, ſi tritum in ollam inanem immittatur, & potiſſimum ſi quis quotidie ad ſolem calefaciat, verum quidem falſum eſt.* Neoterici verò qui Arabum doctrinam ſequuntur, adſcriptas illi noxas à ſuperioribus medicis refellunt

& inti

& inter medicamenta Cardiaca recenſent, inter quos Simeon Sethi, odore ſuo cor & caput iuuare, ſemen verò Cardiacis affectibus & *atræ bili* ſuccurrere, atque hilaritatem inducere ſcribit.

Sinapi Græcis vocatum ὅτι σίνεται τὰς ὦπας τῇ ὀδμῇ, quia olfactu oculos lædit; dicitur & νάπυ quaſi νάφυ, quia φύσεως ἐστέρηται, quia ob exiguam molem vix eſſe credatur. Pythagoras principatum obtinere inter illa, quorum vis ſublime feratur, iudicauit, quoniam non aliud in nares vel cerebrum penetrat. Præcipuam nobilitatem inter condimenta noſtra ætas illi tribuit, quòd nullo non tempore dapibus admiſceatur, minùs quidem æſtate, ob eius acrimoniam, ſed hyberno tempore ad intinctus vtiliſſimum, pituitam enim egregiè eliquat & diſſoluit, ſtomacho gratum, & concoctionem promouet: bilioſis tamen corporibus, calidiſque minus idoneum. commanducatum, pituitam à capite per os ducit & expurgat; feruore ſuo non modo ſternutamenta, ſed etiam lachrymas concitat, quod Columella illi obijcit.

Seque laceſſenti fletum factura Sinapi.

Vnde Plautus in Pſeudolo.

Teritur Sinapis ſcelerata, tum illi qui terunt,
Priuſquam triuerint, oculi vt exſtillent, facit.

Vetuſtos Thoracis & Coxendicum dolores, illitum cauſtica vi emendat, & puſtulas excitando, ex alto vitia extrahit, Sinapiſmum medici id Medicamentum vocant; & inter Metaſyncritica primum locum obtinet. in Gallia acrimoniam eius muſto diluunt, temperantq; admixto etiam cortice citri conditi, alijſque dulcibus, iucundiores intinctus parant, quod etiam Itali faciunt.

CAPVT XX.

Mentha prius Mintha vocata. ἡδυοσμὸς. *Vulneratis incommoda, belli tempore non esse serendam. de facultate eius dissentiunt scriptores. Chærephyllum. Fæniculum.*

QVam Latini Mentham, veteres Græci Μινθὴν, posteriore ἡδυοσμὸν ab odoris suauitate nuncuparunt. Plinius li. XIX. cap. VIII. *Menthæ nomen, suauitas odoris apud Græcos mutauit, cùm alioqui Mintha vocaretur, vnde veteres nostri nomen declinauerunt, grato mentha mensas odore percurrit in rusticis dapibus.* Sed & in lautiorum mensis locum inuenit, animum certe odor ipse excitat, & sapor auiditatem in cibis, ideoque teste Plinio embammatum misturæ familiaris. in acetarijs peculiarem gratiam obtinet, adhuc tenella, adultior duritiem acquirit, contra stomachi imbecillitatem magnificè prodest, pueris etiam contra vermes salutaris. Refert Strabo lib. VIII. *Græcia, Pylo vicinum esse montem, Mintham nomine referens, quam aiunt pellicem fuisse Ditis, deceptamque à Proserpina, in Mentham hortensem abijsse, quam herbam nonnulli ab odoris suauitate Hedyosmon vocant.* quod Ouid. tangit obiter, Metamor. lib. x.

—— an tibi quondam,
Fæmineos artus in olentes vertere Menthas
Persephonæ licuit?

Geoponici lib. XII. Mentham inutilem esse credunt, cui enim vulnerato exhibita fuit, huic non facilè vulnus sanescit: ineptam etiam & incommodam rebus Venereis iudicarunt. Dioscorides contrà, stimulare Venerem asserit. Aristoteles Sect. XX. Probl. II. quærit, cur belli tempore, Mentham & serere & edere vetitũ fuerit. respondet, quòd illa corpus nostrum refrigerando, semen genitale minuat, frigus autem fortitudini atque audaciæ aduersari certum est. Sed cum Medicorum omnium

omnium consensu Mentha calefaciat, quomodo vera erit Aristotelis solutio; præsertim cum Hipp. lib. II. de diæta scribat, Mentham calefacere, vrinam mouere, vomitus comprimere, si verò quis frequenter illâ vescatur, ipsius semen à mentha ita liquari, vt fluat, imbecillumque corpus facere. Aëtius Tetrabili. IV. sermone IV. cap. XXVI. dicit Mentham multum quidem semen generare, sed languidum. Itaque dicemus flagrante bello, veteres Menthæ vsum militibus interdixisse, quod frequenti concubitu, vel fortissimi milites effeminati ac molles euaderent: quod fortitudini & audaciæ repugnat, atque per accidens corpus refrigeraret. Vel legendum apud Aristotelem, vt monet Hieronymus Mercurialis lib. IV. variarum lectionum κατατήκει, I. liquefacit loco καταψύχει. atque ita Hippocratis & Medicorum doctrinæ consentanea erit problematis solutio, aliàs reijcienda.

Ad condimenta etiam ciborum diuersæ herbæ odoratæ veniunt, vt sunt Saluia, Thymus, Hyssopus. Satureia, Serpyllum, Sampsucum, Origanum, Pulegium, Rutha, de quibus singulatim dicere operosum, & lectori molestum esset; pleni enim libri sunt, ex quibus dotes illarum licet haurire; quas & virentes varijs cibis nostra ætas admiscet, & siccatas in hybernas mensas sedula cura adseruat, quibus culinæ cibos suos condiant, aliarum rerum penuria. omnes autem calore suo & attenuandi facultate, pituitosos succos ventriculo adherentes abstergunt, caput roborant, Orexim excitant. calidioribus verò temperaturis parum conducunt.

Non possum tamen præterire Chærefolium, quod plerisque in locis apud Belgas in delicijs habetur. Columella Chærephyllum siue χαιρέφυλλον vocat, credunt ita vocari quòd multis folijs gaudeat, vel potius quòd gaudium pariat, atque hilaritatem excitet. multi credunt Gingidium esse, sed non conuenit cum notis eius, non enim amaritudinem illam habet quæ in Gingidio conspicitur, sed grato iucundoque potius

sapore

ſapore commendatur; inter familiaria autem olera recipitu ventriculo orique gratum eſt, temperatè excalefacit, deco ctum in iuſculo, tum extra admotum; vino enim incoctum pubi appoſitum, retentioni vrinæ confert, & calculorum e cluſionem ſæpe promouet.

Fæniculum agmen hoc claudat, iucundo odore, atque ſap re omnibus commẽdatum, coma eius virens nuperque ena acetarijs additur, multiſque cibis ſuperſpergitur, veterib etiam valde laudatum. Plinius lib. xx. cap. XXIII. *Fænicul nobilitauere ſerpentes, guſtatu vt diximus ſenectam exuendo, ocu rumque aciem ſucco eius reficiendo. vnde intellectum eſt, homin quoque caliginem præcipuè eo leuari.* ad oris halitum comme dandum in paucis vtile, ventriculum roborat, nauſeam ſed tormina mitigat, & flatus diſſoluit; ferunt etiam in vino pot ad Serpentum & Scorpionum ictus ac morſus valere, L etiam nutricibus augere, præſertim viride compertum. P ſim in more eſt, vt à ſumpto cibo ſemine eius vtantur, ſimplici vel ſaccharo incruſtato, quod & flatus coerceat oris ſuauitatem faciat.

CAPVT XXI.

Cucumis prauum ſuccum generat. Cucurbitæ ſalubres ſunt in alienos menſes ſeruatæ.

CVcumeris voce apud priſcos ſcriptores, nõ ſolùm vul ris noſter Cucumis, ſed genus quoddam omnibus co mune olereacis quæ Cartilagine foras obducta, ſupra terr creſcunt deſignatur; qualia ſunt Cucurbitæ, Pepones, Me pepones, & Cucumis, ſic etiam Græcis Σικύος, & Σίκυς dicit & de ſpecie, & de ſummo olereaceorum genere; Cucum rem autem dictum Varro lib. IV. de lingua Latina, quaſi Cu uicumerem, vnde Virgilius Georgicorum lib. IV.

Et vi

Et virides Apio ripæ, tortusq́ per herbam
Cresceret in ventrem Cucumis.

Et Iunius Columella lib. x. de cultu Hortorum.

Intortus Cucumis, prægnansq́ cucurbita crescit.

Vulgaris hic Cucumis, æstiuo tempore in acetariis manditur cum sale & pipere, aliqui & cæpas addunt, quo nimiam eius frigiditatem coerceant. plebs adultiores & maturitati proximos præfert; sed erudita gula, infantes, vt ita dicam, parum adhuc ventrosos suauiores iudicauit, minusq́ue noxios, quin etiam Muria vel oxalme conditos, tales in alienos menses seruare docuit. gelidum autem crudumq́ue succum in venis diffundunt, qui postea à facultate concoctrice vix in probum sanguinem commutatur, quare à nimio eius vsu abstinendum monēt, vt etiam ab omnibus praui succi eduliis, paulatim enim vitiosus succus accumulatur, vnde mox maligni morbi exoriuntur, quos frustra sæpe medicus omnibus machinis oppugnat, quamobrem Galeni consilium placet lib. II. de Alimentorum facultatibus cap. VI. *ob eam igitur causam, omnibus praui succi eduliis censeo abstinendum, etiamsi ea quibusdam concoctu sunt facilia: nobis enim non aduertentibus, prauus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui postea exiguam ad computrendum occasionem nactus febres malignas excitat.*

Diphilus apud Athenæum refert, Cucumeres peiorem succum Pepone gignere, parum nutrire, corrumpi facillimè ac celerrimè excerni.

Cucurbitam Græci κολόκυνθαν vocant Euthydemus apud Athenæum lib. II. σικύαν Indicam dicit, quòd ex India semen ad nos aduectum fuerit. Menodotus verò Eriasistratius, Cucurbitarum aliam esse Indicam, quam Sicyam nominamus, aliam κολόκυνθαν nempe vulgarem: alij verò Sicyas dicunt quæ longę sunt, rotundas verò & globosas colocynthas.

Frequens est Cucurbitæ in calidioribus regionibus vsus, in frigidioribus raro ad integram maturitatem perueniunt; cruda

quidem insuauis est, nec mensis infertur; coctę verò honos h
betur, alij enim elixam in carnis iusculo, alij frixam in sar
gine edunt; & quia insipida est, variis condimentis pro cui
que palato apparatur: frigidæ est humidæque qualitatis, e
guum corpori alimentum præbet, facilè per aluum secedit,
lidis siccisque temperamentis vtilis, pituitosis incommo
Chrysippus Medicus apud Plinium lib. XX. cap. III. damna
eas in cibis, sed omnium consensu stomacho vtilissimæ iu
cantur, & interaneorum & vesicæ vlcerationibus. Taur
Philosophus apud A. Gellium lib. XVII. cap. VIII. Cænam i
struebat, obsonio, ex Lente Ægyptia & cucurbita. Martialis
XI. Epigr. XXXII. Ludit in Cæcilium quemdam triparcum, q
vniuersos cænę missus ex cucurbitis parabat.

Atreus Cæcilius cucurbitarum,
Sic illas quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat secatq; mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima fert, alterave cœna,
Has cœna tibi tertia reponit.
Hinc seras Epidipnidas parabant
Hinc pistor fatuas facit placentas.

Veteres, teste Galeno, cum sinapi vel salsamentis illas ede
bant, vt insipido edulio saporem aliquem cōciliarent, alij cu
cydoniis coquebant: sed ob aqueam prędominantem qualita
tem, cum origano cæteris præfert, nostra ætas cum pipere &
omphacio condiunt. in Italià seruantur exsiccatę, atque in te
nues spiras concisæ, vt hybernis aliisque mensibus illis vesci
tur. quod etiam apud veteres factitatum, legimus apud Athe
næum ex Nicandro lib. IX. quas Poëta eleganter σικύας ὅρμι
cucurbitæ monilia vocat, quod instar monilium in longum se
ctæ essent; refert idem auctor, virides cucurbitas mense Ianua
rio appositas, insigni mangonio ita seruatas, tanquam recente
essent, ac natiuum propriumque succum referrent. nouitium
vere

verò inuentum eſt ſaccharo illas condire, tum ad ægrorum ſitim temperandam, tum ad menſarum ſplendorem.

CAPVT XXII.

Pepones veterum diuerſi à vulgari noſtro Pepone. Melopepones non ſunt diuerſi à Melonibus noſtris. contra Scaligerum & Caſaubonum. Cucumis Plinij & Columellæ, idem cum noſtro Melone. Plinius obiter emendatus.

VEnio ad Pepones qui etiã ſub Cucumeris genere comprehenduntur, ſiquidem teſte Plinio lib. XIX. cap. V. *cum magnitudine exceſſere, Pepones vocantur*, vnde etiam Græcis Συκυόπέπονα ſiue cucumerarium Peponem dicunt; Paulus Ægyneta lib. I. ca. XIII. de Siriaſi puerorum voces disiungit Σικύε πέπων☉ πεϱικειμενον τῆ σαϱκὶ δέϱμα, *cucumeris Peponis adiacentem carni cutem apponendam ſuadet*, à maturitate vox illi indita, nam πέπων teſte Galeno, lib. II. de Aliment. facultatibus cap. IV. velut τὸ πέπανον hoc eſt maturum ſignificat. num verò hic idem ſit fructus, cum vulgari noſtro apud Belgas Pepone, multi iure dubitant: ſiquidem hoc crudo nemo veſcitur, ſed cocto; nec inter æſtiuos fructus venit annumerandus, ſed inter Autumnales; peponibus verò crudis veteres auidè ſatis veſcebantur: vnde ſæpiùs choleram morbum inducebant, vt teſtatur Galenus capite de Peponibus, & Alexander Trallianus lib. VII. cap. de Cholera morbo; idem aſſerit Michaël Pſellus, lib. II. de victus ratione cap. de Peponibus, quod tamen nemo hactenus vulgari noſtro Peponi adſcripſit. accedit etiam Melopepones Peponis eſſe ſpeciem; qui crudus paſſim palato eſt gratiſſimus, cum quo nullam affinitatem vulgaris noſter habet; hic enim inerti tantùm mole conſpicuus, fatuo præditus ſapore, in hybernos mẽſes ſeruatur, ac vile tantum obſonium plebi relinquitur. Et

si suspicari licet,ad Cucurbitę potiùs speciem reducendus,
lis enim non secus ac nostris Peponibus nemo crudis, sed c
ctis vescitur,nec vllus veterum mentionē fecit,Pepones coct
edendos esse , vt de Cucurbitis tradunt. qua de caussa Iuli
Alexandrinus, & Andreas Mathiolus,viri Doctissimi,proba
lissimè coniiciunt,veterum Pepones nostros esse Melones;qu
rum opinioni subscribit Simeon Sethi,inter posteriores G
cos,Medicus non spernendæ auctoritatis,qui tēpore Micha
Ducæ floruit , qui sub prisco Peponis nomine,Melonis hist
riam graphicè describit, Peponem esse frigidum & humidu
in secundo ordine, sed minùs esse frigidum,qui dulcis est,q
verò maturus,tenuioris esse substantiæ, & abstergentis fac
tatis,& calculosis renibus mederi,quæ omnia Meloni conu
nire certum est,nec in Peponem vulgarem cadere.

Superest de Melopeponibus & Melonibus dicere,plus h
operæ ac difficultatum, ob variantes auctorum sententias. n
men est compositum μηλοπέπων, quasi mali forma Pepon. Pli
ætate nomen hoc illi inditum , cùm primum sub Cucume
voce lateret. lib. XIX. cap. V. *Ecce cum maximè noua forma eor*
(*Cucumerum*) *in Campania prouenit;mali Cotonei effigie, fortè pri*
ita natum audio, mox semine ex illo genus factum, Melopepones
cauit. Galenus lib. II. de Alim. facul. cap. V. minùs esse Pep
nibus humidos nec adeò praui succi esse , nec vomitum ad
inducere ac pepones. Nomen hoc posterioribus sæculis ob
teratum,& contracta voce *Melones* dicti. Iulius Capitolinus
Clodio Albino, refert illum *Melones Hostienses decem edisse.* F
uius Vopiscus in Carino,*inter poma & Melones natauit* , Treb
lius Pollio in Gallienis.*Hyeme summa Melones exhibuit.*

Palladius Rutilius modum serendi , & vt odorati euada
docet lib. IV. siue in Martio Tit. IX. *Melones serendi rarius , dist*
inter se semina pedibus duobus, locis subactis vel pastinatis;semina
Mulso & lacte maceranda per triduum, & tunc etiam siccata ponen
hinc suaues efficientur;odorati autem fiunt,si eorum semina multis d
bus inter rosæ folia sicca mergantur.

Int

Inter Geoponiços auctores Florentinus lib.XII.cap. XX.hoc Palladij artificium, Melopeponibus tribuit. *Cæterum Melopepones, rosarum fragrantiam spirare facies, si semen ipsorum cum rosis aridis deposueris, & mixtim plantaueris.* quod euidens est Melones eosdem esse, qui prius Melopepones dicti, nomenque illud in nostrum æuum propagatum. Iosephus tamen Scaliger credit Melones nostros veteribus ignotos fuisse, notis ad veterum Poëtarum Catalecta, sub finem, in Pictura duodecim mensium.

Augustum penitus torret Phaetontius ardor,
Quem recreat fessum, Gillo, facella, Melo.

non est Melo noster præstantissimus fructus, qui veteribus omnino ignotus fuit. nam Melones veterum sunt in generibus Cucumerum, & onerosos stomacho scribit Plinius. Nihil eorum quæ veterum Melonibus & Peponibus fuit, conuenit Melonibus nostris, quibus omnis Ambrosia & Nectar cedat licet.

Eiusdem etiam opinionis est Isacus Causabonus, notis suis in Iulij Capitolini Albinum; *Nihil Melones isti ad hodiernos, quos omnis vetustas ignorauit, etsi fuisse veterum Melones à cupediariis expetitos, ex hoc loco & alio in Gallieni vita posses colligere.* Sed falluntur viri magni, nam Melones nostri, veteribus fuisse notos certũ est, sed sub alio atq; alio nomine: primo enim sub Cucumeris voce innotuerunt, est enim nomen id cõmune, ad Cucurbitas, Pepones, Melopepones & Cucumeres, qui Tiberio Cęsari erãt gratissimi. Plinius lib.XIX.cap.V. *Cartilaginei generis, extraque terram est Cucumis, mira voluptate Tiberio Principi expetitus: nullo non die contingit illi, pensiles eorum hortos promouentibus in solem rotis, olitoribus; rursusq; hybernis diebus inter speculariũ munimenta reuocantibus. quin & lacte Mulso, semine eorum biduo macerato, apud antiquos Græciæ auctores scriptum est, seri oportere, vt dulciores fiant.*

Idem refert Plinio vetustior Iunius Columella, lib. XI. *Possunt etiam si sit operæpretiũ, vasis maioribus rotulæ subiici, quo minore labore producãtur, & rursus intra tecta recipiantur, sed nihilominus*

integi debebunt, vt etiam frigoribus, serenis diebus tuto producan-tur ad solem: hac ratione fere toto anno Tiberio Cæsari Cucumis præ-bebatur.

Sed obiter emaculandus Plinius. Vbi enim dicit, *quin &* *Lacte mulso semina eorum biduo macerata.* Lege *lacte & Mulso.* It Palladius suprà dixerat. *Semina eius Mulso & lacte macerand*: nusquàm enim lactis Mulsi, apud scriptores mentio; non absi-mile est quod à Columella dicitur, *lacte cucumeris semen mace-randum, aut aqua mulsa*, vt infrâ dicemus.

Non enim de vulgari cucumere, intelligendi Columella, at Plinius, sed de Melopepone & Melone nostro; non enim er: adeò insulsi palati Tiberius, vt ex fatuo hoc olere, tantam volu-ptatem caperet, vt quotidie illi apponeretur: siquidem non so-lùm sapore, sed etiam odoris suauitate veteribus commenda-tus erat Cucumis, seu Melo noster. Dioscorides L. II. c. CXXVII *Cucumeris odore reuocari quos animus liquerit*; quod nemo de vul-gari Cucumere dixerit, sed de Melonibus quorum gratissimu odor & mira fragrantia. Sed demus, primò non habuisse odo-ris illam aut saporis fragrantiam, qua nunc pollent; olitorum industria & Margonio, hæc paulatim inuenta sunt. iam Colu-mellæ ætate tentatum est Cucumeres, siue Melones nostro dulciores reddere. l. XI. *Cucumis tener & iucundißimus fit, si ante quam seras, semen eius lacte maceres, nonnulli etiam quo dulcior ex-stat, aqua mulsa idem faciunt*, quę nemo de vulgari Cucumere di-cta credet; sed de Melone, iam enim ex Palladio docui, & e Geoponicis scriptoribus, quomodo Melones & Melopepone suauiores & magis odorati reddantur. hisce rationibus persua-sus, puto Melones nostros veteribus notos fuisse, eosdemque cum Melopeponibus veterum esse: vel doceant quando pri-mum illi innotuerunt.

Priscis enim sæculis ne delicatissimo hoc edulio aliquand fraudarentur, in hybernos menses illos etiam seruarunt, non secus ac Tiberius Cæsar cucumeres curauit sibi toto anno ex-hibe-

hiberi. Trebellius Pollio in Gallienis, *Hyeme summa Melones exhibuit*, quod hodierna die etiam in Hispania, aliisque calidioribus regionibus factitari scimus: sed tales hyberni Melones dicuntur, & peculiare genus est ab æstiuis diuersum. varia autem sunt Melonum genera, cuncta tamen in hoc conueniunt, quod saporis suauitate, humida & frigida facultate commendantur, æstiuis caloribus gratissimum alimentum præbent, nisi frequens noxa à copioso illorũ vsu homines deterreret; facilè enim in stomacho corrumpuntur, vnde vomitus, Diarrhea, & nonnumquam cholera morbus, aliquando etiam febres malignæ excitantur, rapto in penitiores venas crudo succo. ideoque à nimio illorum esu abstinendum; refert enim Ioannes Cuspinianus, in vita Frederici Tertij, ex intempestiuo Melonum esu, quatuor Cęsares periisse. qua de caussa ad euitandas noxas, plerique prudentiores ab illis prandium auspicantur, ac deinde probos cibos comedunt: aduentu enim melioris escæ, malitia illorũ obtunditur, vt bene monet Simeon Sethi. facillimè enim in humorem commutantur, quem in stomacho reperiunt, siue is sit pituita, siue bilis; inter illos tamen, dulciores bilioso stomacho magis nocent.

Disputant medentium plurimi, num à Melonis esu expediat vinum an aquam bibere? multi vinũ damnant, opinantes, ab illo, crudos succos in venas deduci, ibidemque obstructiones facere: vnde febres prauæ excitantur; alij aquam superbibunt copiosam, vt pondere suo faciliùs ad intestina Melones descẽdant; quod in æstuosis regionibus plerique innoxiè faciunt, sed magis sibi consulunt, qui vinum superbibunt, modò id sit generosum, nec magna copia: vt eius beneficio ventriculus, faciliùs crudos illos humores concoquat. ideoque Simeon Sethi vinum omnino superbibendum suadet; distinctione tamen adhibita, vt pituitosis vetustum, qui verò bile abundant, ὀξώδη, siue accidulum bibant, qualia sunt ὀλιγοφόρα veteribus dicta, quę ob caloris imbecillitatem facilè acescunt.

CA-

CAPVT XXII.

Rapum aliud masculinum, aliud fœmininum. hyeme sunt op[ti]ma. visum acuunt, pectori & quartanis conueniunt. sem[en] Alexipharmacis annumeratur. vrinæ difficultatem inc[i]cunt. Napi Amiterni. Raphanus cibus cur illiberalis cen[se]tur. Armoracia.

CVcumerariis fructibus edules radices succedant, int[er] quas primum locum Rapa obtinent, quibus Plinius ta[n]tam auctoritatem dedit, vt à frumento protinus aut certè à f[a]bis, si iustus ordo seruaretur, de iis mentio facienda esset. n[a]scuntur enim omnibus pæne animalibus in cibum, tum hom[i]ni non in nouissimis. non enim radice sola, sed & foliis, Cym[is] cauliculisque commendantur. gentium quarundam ap[ud] Gallos & Germanos opes sunt, adeò vt illorum vbertas fame[m] sentiri prohibeat. Transpardanis etiam quondam, teste Plini[o] à vino & messe tertius hic fructus fuit; Græcis γόγγυλις rapu[m] dicitur, ab aliquibus etiam βȣνιας Galeno teste. Dioscori[des] verò vtrumque nomen distinguit, & γογγυλίδα Rapum, βȣνι[άδα] Napum vocat. Iunius Columella Græcis nominibus vtitur

Gongilis illustri mittit quem Nursia campo,
Quæque Amiternis defertur Bunias aruis.

Theophrastus duo Raporum genera facit, Masculinum & F[œ]mininum, βȣνιάδ⊗ nulla facta mentione, ex eodemque semi[ne] vtrumque nasci tradit. Athæneus verò auctor est, Theoph[ra]stum nomine Masculini Rapi, βȣνιάδα intelligere. Nebul[is] pruinis ac frigore, vltrò aluntur amplitudine admirabili, qu[æ] & hyeme præstantissima, quod nō ignorauit Poëta in Xeni[is]

Hæc tibi Brumali gaudentia frigore Rapa,
Quæ damus, in Cælo Romulus esse solet.

Galenus lib. II. de Alim. facultatibus parum nutrire aqu[a] inco

incocta, & succum mediocri crassiorē generare dicit; Dioscorides fluidam carnem ex horum esu generari. Diphilus Siphnius, difficilè concoqui, extenuare, atque flatus gignere: quòd Dioscorides & Simeon Sethi etiam illi tribuunt, quemadmodum etiam quod Venerem stimulent. Galenus lib. de cibis boni & mali succi, Rapum quod Buniada vocant, inter ea quæ boni prauique sunt succi, mediū locum obtinere scribit. Democritus in totum ea abdicauit in cibis, propter inflationem: Diocles magnis laudibus extulit, etiam Venerem stimulari ab eis professus, vt tradit Plinius lib. xx. cap. III. Arabes verò, inter quos Auenzoar & Auerroes, visum acuere & claritatem oculis inducere affirmant. Recentiores Medici, illorum decoctum non solùm pectori, sed & Quartanis prodesse ferunt. Semen verò auctore Dioscoride, contra venenata opitulatur, quare & Theriacæ compositioni admiscetur. addit Simeon Sethi, quo die quis semen eius cum Nepeta ac terra Lemnia assumpserit; neque à veneno, neque à venenatorum morsibus noxam sensurum. Plinius verò, semen illitum & potum in vino, contra Serpentes & toxica salutare prodit. Mirū est Hipp. lib. II. de Diæta tradidisse, Rapa vrinæ difficultatem inducere, cùm humidæ naturæ sint, & quæ potiùs augere lotium possunt, video hoc etiam obseruatum à Plinio de Napo quem Bunian vocant, *sed* (semen) *Vrinam inhibet, si non lini semen vnà bibatur*. Sed non frustrà ab Hipp. hoc scriptum, nam licet plurimam humiditatem generent, crassum tamen succum corpori suppeditant, ex qua succorum crassitie, vrinæ difficultas induci potest. Nec obstat Dioscoridem dixisse, Raporum Asparagos elixos, vrinæ ciendæ esse percommodos, quoniam illi non adeò crasso vt Rapum humore abundant; multarum enim plantarum Cymæ, alterius sunt naturæ & facultatis ac ipsæ plantæ, vt monet Gal. lib. II. de Alimentorum facultatibus cap. de Asparagis.

Napi à Rapis parum distant, siquidem illi non in ventrem

vt Rapa latescunt, sed tenuem radicem deorsum agunt. Refert autem Isidorus, nominis affinitatem in vtrisque penè esse communem, quia vtrumque semen in alterum vicissim mutatur. Galenus certè vno capite vtrumque comprehendit, nec discrimen inter illa statuit; Dioscorides verò seorsim de vtroque agit. Plinius l.xx.ca.iv. Naporum genus duplex, Medicos Græcos seruasse ait, angulosis foliorum caulibus vnum quod Bunion, alterum verò Raphano & Rapo simile, Buniadé dictum; Martialis lib.xiii. Epigr.xx. de Napis.

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis,
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Napis Amiternis palmam Plinius, vt & Rapis Nursinis dedit; Diphilus Napos præstantiores Rapis esse dixit: dulciores enim esse, concoctu faciliores, ventriculo gratiores, plurimúque alimentum præbere. rari in Belgica proueniunt, Gallia verò laudatos, præsertim circa Parisios producit; vnde vulgari Idiotismo, Parisiensia Rapa, vocantur. non immeritò salubriores Rapis creduntur, sunt enim teneriores suauioresque, & gratum odorem spargunt, si cum carnibus coquantur, mira suauitate illas condire ferunt.

Est etiã Napi species Napocaulis dicta, non in frequenti vsu quia & Napi & Caulis saporem refert, de quo Isidorus l.xvii c.x. *Napocaulis ex duobus oleribus compositum nomen habet, quia & sit sapore Napo similis, non radice, sed in thyrso conscendit vt Caulis.*

Assum rapum facillimè concoquitur, minùs etiam inflat, vt prodit Atheneus; veteres plerumque assis vescebãtur quod faciliùs paratu essent. Annalibus proditum, Samnitium legatos inuenisse Manium Curium summum Romanorum Imperatorem, Rapum torrentem in foco, cùm aurum illi offerrent; à quo repulsam passi: dictitans, non indigere auro qui tali cibo victitarent. O tempora! O mores!

Rhaphanus Latinis radicula dicta, non modò plebeis sed & lautioribus expetitur. priscis temporibus cum pane ante om-

nem

nem cibum, vrbani homines illo vescebantur, alui subducendi gratiâ, Galeno teste. cibus tamen illiberalis censetur, quia ructus copiosos grauesque laxat, vtique si proximè olus editur; si verò cum oliuis Druppis, rarior fit ructus, minusque fœtidus, vis illi insignis calefaciendi & extenuandi. Dioscorides credit à cibo assumptum concoctioni conferre, præsumptum verò, cibum in stomacho suspendere, quod tamen à Galeno refellitur lib. II. de Aliment. facultatibus. *Mirari autem subit eos Medicos & idiotas, qui post cænam coctionis iuuandæ gratiâ, crudos Rhaphanos esitant, ipsi quidem rem hanc experientia satis sibi exploratam esse affirmant: qui tamén ipsos sunt imitati, omnes fuerunt læsi.*

Vrinam egregiè prolicit, ac renum calculos pellit, extrinsecus autem minutim concisus, & pubi appositus Ischuriam soluit. Eius decoctum cum oxymelite vel mulso, vomitum mouet, & pituitam viscidam educit; contra ebrietatem præsumptus, summè prodesse refert Plinius ex opinione Androcydæ; tanto verò in honore apud antiquos fuit, vt Moschion Græcus auctor integrum volumen de Raphano scripsisse dicatur: & quod mirandum, fertur in templo Apollinis Delphis, adeò cæteris cibis prælatus Rhaphanus, vt ex Auro dicaretur, Beta ex Argento, Rapum ex Plumbo, vt auctor est Plinius lib. XIX. cap. V. sed inter tot dotes dentibus inimicus est; quoniam illos atterit.

Præter Satiuum Rhaphanum est & Syluestris quem Romani Armoraciam vocant, acrior domestico, vis illi calefaciendi & vrinam ciendi maior, verumtamen æstuosus valde. Syluestrem naturam cultura exuit, & satiuus passim in hortis visitur.

CAPVT XXIV.

Paſtinaca Columellæ Staphylinus dicta. Carotos Athenæo Pa ſtinacæ ſpecies. Philtron cur à nonnullis vocetur. Siſere Tiberius Cæſar delectabatur. ex Germania petitum.

QVæ nobis Paſtinaca, Græcis σταφύλινος dicitur, quo nomine etiam Columellam libro de cultu hortorum vſum video,

——— *Mollemque ſinum Staphylinus inumbrat.*

Simeon Sethi Δαύκιον vocat, licet à Dauco diſtet, ſed illi ſæculo vox hæc fortè vſitata, eſt autem Paſtinaca alia erratica alia ſatiua; illa in Medicina maiores vires, hæc verò in cibi maiorē ſuauitatem habet; magna cura ſeritur, ſiquidē in menſis debitus illi honor ſeruatur; à colore autem diſcrimen ſumit, alia ſiquidem candida, alia ſanguinei & rubentis coloris tertia verò lutea eſt; hæc verò & candida, à Belgis noſtris frequentiſſimè cum carnibus decoquitur, ſicque ſalubriores ac ſuauiores exiſtimantur. Rubentes verò coctas ex oleo & aceto paſſim, præſertim hyeme acetariorum loco mandunt. aliquando etiam albas in ſartagine farinâ obuolutas in butyro frigunt. Diocles Paſtinacæ ſpeciem, Caroton vocat, apud Athenæum lib. IX. quam nos fortè adhuc Carotas dicimus. *Staphylinum inquit, Diocles lib.* I. *de tuenda valetudine, Aſtaphylinum etiam nominat: eum nimirum, quem Caroton vocant, magna eſt proceraq; ſatiua Paſtinaca, ſucci melioris quàm ſylueſtris, quæ magis calefacit & pellit vrinas.* nutriunt autem Paſtinacæ, quàm Rapa minùs, Galeno teſte. Sed quotidiana experientia contrarium oſtēdit, vberius enim alimentum ex Paſtinacis prouenire certum eſt. Calefaciunt autem mediocriter, & Aromaticum aliquid ſpirant; ſed quemadmodum & aliis radicibus, cōcoquendi difficultas ipſis ineſt. vrinam mouent, atque lactis copiam

au-

augent, Diphilus apud Athenæum, acrem esse Pastinacam tradidit, satis alere, mediocriter iuuare stomachum, aluum pellere, inflare, lotiũ ciere, ægrè concoqui, Venerẽ stimulare; quare & à nonnullis Philtron vocari, quod & Plinius videtur innuere l.xx.c.v. *Orpheus Amatorium inesse Staphylino dixit, fortaßis quoniã Venerem stimulari hoc cibo certũ est, ideo conceptus adiuuare aliqui prodiderunt.* durant in sua terra in veris vsque tẽpora, quo fit vt sollenni illo Christianorum quadragesimali ieiunio, mensas nostras abundè instruant. Veteribus etiam in vsu erant Asphodeli, Ari, Dracontij, aliæque radices, sed nec suauitate aut bonitate cùm Pastinaca comparandæ, quæ cùm hodierna die ab omnium mensis sint eliminatæ, supersedebo de his dicere, & ad Siser transeo.

Græcis Σίσαρον dictum, inter vescas radices, facilè palmam obtinet saporis suauitate, prædulce enim est. Stomacho enim vtile, appetentiam excitare, vrinam ciere, Dioscorides scribit. Cornelius etiam Celsus inter illa quæ stomacho sunt idonea Siser enumerat, cap. verò XXVI. l.II. addit radices omnes inflationẽ parere, excepto Sisere & Pastinaca. Tiberio Cæsari quondam in deliciis illud fuit. Plinius lib. XIX.c.V. *Siser Tiberius Princeps nobilitauit, flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur Castellum Rheno impositum, vbi generositas præcipua. Ex quo apparet, frigidis locis conuenire. inest longitudine neruus qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta, quæ mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur.* Hodierna certè die nulla in hac planta amaritudo percipitur, vel relicto illo neruo, immò magna dulcedo. vnde vulgari idiomate, Sacchari radices vocantur: fortè operosa cultura, decursu temporũ sapor ille amarus fuit edomitus; nam hoc æuo, radice hac nulla dulcior repperitur quæ edẽdo sit, ideoq; assiduus eius vsus fastidium parit. Hicesius apud Plinium l.XX.c.V. *ideò stomacho vtilem videri dixit, quoniam nemo tres Siseres edendo continuaret, esse tamen vtiles conualescentibus, ad vinum transeuntibus.*

CAPVT XXV.

Allium ab Ægyptiis instar numinis cultum. Græci detestaban tur. in criminum expiationem illo vescebantur. Rusticoru Theriaca vocatum Allium. quomodo dicitur flatus excit re. venenis resistit. cur nautis familiaris cibus.

ETsi inter condimenta quàm cibos Allium & Cæpa enu merari deberent, tamen cùm etiam pro obsonio à ple beis, Rusticisque mandi illa cernimus; non abs re erit illorum vires hoc loco breuiter percurrere. ab Allio itaque auspicab mur quòd Græci σκορόδον dicunt; cuius magna olim, & nostr æuo auctoritas apud plerasque gentes. Ægyptij, numinis instar celebrant. Plinius lib. XIX. cap. VI. *Allium, cæpasque inter Deos iure iurando habet Aegyptus.*

Contra verò apud Græcos, multis in locis Allium adeò de testabantur, vt lege cautum fuerit, ne, qui Allio vesceretur Matris Deûm Sacrarium ingrederetur. refert Athenæus l. x *Stilponem Philosophum confisum sua temperantia, cùm Allium com edisset, in templo Matris Deûm obdormiisse: Deam in somnio illi di xisse, Philosophus es ô Stilpon, & sacras tamen leges violas. visum si fuisse hæc respondere in somniis, Præbe mihi quod edam & Allio no vescar.* Horatius verò carmine suo mirè illud detestatur, tan quam nasorum pestem.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edet cicutis Allium nocentius,
O dira messorum ilia!

Veteribus etiam mos fuit pro criminum expiatione, A liis aliquot diebus vesci, Persius hunc morem tangit Saty ra V.

Hinc

Hinc grandes Galli, & cum Sistro lusca Sacerdos,
Incussere Deos, inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaueris Alli.

Est autem commodissimum obsonium agricolis, nautis, cæterisque qui laboriosam vitam viuunt; roborato enim calore innato Allij esu, faciliùs labores ferunt. Galenus autē commēdat illud Thracibus, Gallis, aliisq; populis qui plagas frigidiores incolunt. immò si quis illis Allij esũ interdixerit, summopere nocebit. idem etiam rusticorum Theriacam vocauit, quod non solùm multis venenis resistat, sed etiam quod omnibus morbis, qui à frigidis crassisque humoribus pendent egregiè opituletur, flatus discutiat, obstructiones aperiat. Sed quomodo ab Hipp. l. IV. de ratione victus in morbis acutis dictum est, Allium flatus excitare? an hoc de viridi Allio dicendum, non de sicco, quod flatum dissoluit? an verò, flatus dicemus efficere, quia illos facit erumpere: non secus ac folia Senę, quę cùm flatum excludant, vulgo tamen flatulenta censentur. nã cùm Allium sit calidum & siccum, nullo modo potest flatus generare, sed genitos dissipare; cui rei etiam ipse Hippocrates adstipulatur eodem loco, cùm dicit. *Optimum autem est ipso vesci ei, qui crapulæ se daturus est & futurus ebrius*; quod idem est ac si dixisset, ebrietatem impedire. si enim crapulam discutit, ergo etiam flatus. Sed alia quæstio oritur, cur eodem textu Hipp. dicit capitis grauitatem inducere, cùm mox dicat crapulam dissoluere: Si enim capitis grauitatem inducit, propter vapores qui in cerebrum ab Allio eleuantur, multò magis ebrietatem inducet, quæ capitis quædã est repletio. Respondendum, vim Allij calidam, crassos eos capitis vapores discutere, qui à crapula oborti sunt, modò corpus nõ sit humoribus valdè plenum, vnde Galenus in commentario eius loci, *Allium si quis præeuacuato corpori obtulerit, capitis grauitatem sanat.* vel potius dicendum, ideò præsumptum ebrietatem arcere, quoniam vrinas mouet, epotumque vinum ad vias vrinæ eius operá deduci

duci, quare vaporum aſcenſum ad cerebrum prohibet, non ſe
cus ac Amygdala amara & plura alia, Ariſtoteles etiam Prob
ſectione III. Probl. vltimo, quærens cur oleum ad arcendam
vinolentiam conferat, *an*, inquit, *quod vrinam ciere poteſt, vino*
hauſto iter facit. Scio plures huius rei alias cauſſas dari poſſe
quas prudens nunc omitto. Venenis verò adeò aduerſari pro
ditum eſt, vt ſi quis Allium præſumpſerit, à reptilium morſi
bus tutum fore. Æmilius Macer.

Hæc ideo miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Vt ſi fortè ſopor feſſos depreſſerit artus,
Anguibus à nocuis tuti requieſcere poßint.

Oculis nocere auctor eſt Hipp. lib. II. de Diæta, Plinius et
iam hebetare eos prodit; Simeon Sethi addit, ſanos oculos ab
illo lædi, ſed nimia humiditate hebetatos ſanare. Coctum au
tem crudo eſt vtilius, & tædium halitus coctura tollitur; quem
admodum etiam, vt auctor eſt Alexander apud Plinium, ſi ra
dicem betæ in pruna toſtam ſuperederint, odor Allij extin
guitur.

Eſt etiam Allij genus quod Vlpicum vocant, Columella il
lud maioris eſſe incrementi, quàm Allium, refert lib. XI. Pli
nius hoc grandius eſſe, quod Græci Cyprium appellauêre, alij
Antiſcorodon. de quo Plautus in Penulo.

——— *tu autem plenior*
Allij, Vlpiciq́; quàm ſunt Romani remiges.

Nam vt hoc obiter tangam, nautis familiaris admodum
erat Allij vſus: ideò auctores ferunt, Athenienſes nauigaturos
ingentem Allij vim ſecum ſemper aſportaſſe, quæ moris erat
in retia coniicere, vnde prouerbium, σκόροδον ἐν δικτύοις, *Allium in*
retibus, quem poſtea morem imitati ſunt Romani, vt obſerua
uit Comicus: non tantùm quòd nautis atque remigibus erat
in obſonium, ſed quia teſte Plinio lib. XX. cap. VI. *magnæ illi vi*
res, magnæ virtutes, contra Aquarum & locorum mutationes.

CA-

CAPVT XXVI.

Cæpæ & Porrum inter Ægypti Deos. Peleusiotæ Sacerdotes à cæpis cur abstinerent. Porrum sectiuum & capitatum. Voci conferre Nero docuit. Succus eius inter venena relatus.

ALlio succedunt Cæpæ, quas etiam inter Deos Ægyptus recensuit, vnà cum Porris. Iuuenalis Satyra XV.

Porrum & Cæpe nefas violare, & frangere morsu,
O Sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Pelusiotæ Sacerdotes, religiosissimè illas à mensis suis abdicarunt, quia teste Plutarcho, libro de Iside & Osiride, sola hæc planta decrescente Luna, contra naturam omnium plãtarum vigere & augescere solet. Eius etiam vsus castimoniam, vel dies festos colentibus commodus est; illis quia sitim excitant, his quia lachrymas elicit.

Græcis κρόμμυον cæpa dicitur παρὰ τὸ κόρας μύειν τῶν ἐσθιόντων, *quasi pupillas oculorum qui illum ederint comprimat*, vnde à Columella lachrymosa cognominatur, quod non solum naribus admota, sed etiam comesta, lachrymas eliciat. Culinæ illas in frequentissimo vsu habent, ad ciborum condimenta, nonnulli etiam crudas esitant: tamen vrbaniores coctis magis vescuntur, tum quia ita salubriores, nec ita grauem odorem spirant. Coctura enim acrem illum saporem & succi improbitatem deponunt: crudas certè non nutrire dixit Galenus lib. II. de Alim. facul. cap. LXXII. si tamen bis terve elixæ fuerint, acrimoniam quidem deponunt, tenuant tamen adhuc, & alimentum corpori dant paucissimum. Corpus quidem calefaciunt, & humores crassos attenuant, lentosque incidunt, lotium ciunt, & si ante alios cibos eduntur appetentiam excitant. capitis dolorem efficere & Lethargum inducere scripsit

Diosco-

Dioſcorides; viſui eſſe commodas auctor eſt Hippocrates li
11. de Diæta; quod mirum videtur, cum capiti noxias cu
Dioſcoride ſcribat Simeon Sethi: qui addit etiam rationale
animi partem ab illis lædi. Sed cum Plinio dicemus lib. xx. c
v. olfactu ipſo & delachrymatione, caligini mederi, magis ve
ſucci inunctione. Certum enim eſt exterius admotas, cra
vapores detergendo & attenuando, quæ aciem oculorum h
betant, non mediocriter prodeſſe; per os etiam aſſumptæ, oc
lis conferre poſſunt, non modò quia vaporum craſſitiem
tenuant, verùm etiam quia lachrymas mouent. quemadm
dum etiam Ariſtoteles xxxi. Sect. Probl. ix. quærens cur no
nulli poſt lippitudinem acutius vident; Reſpondet, an q
purificati oculi ſunt; fit enim ſæpe vt exterior pupillæ de
tas, aciem arceat, quæ lachryma emiſſa laxatur, atque reſo
tur: quamobrem proſunt interdum quæ mordent, & lach
mam euocant, vt cæpæ. Varia autem ſunt Cæparum gene
inter quæ, Columella Marſicam refert ſimplicem, quam v
cant Vnionem ruſtici, quæ non fruticauit, nec habet ſo
lem adhærentem, vnde fortè Gallorum vox *oignon* deflu
erat & Pompeiana, & Aſcalonia cæpa, ab oppido Iudææ n
minata.

His Porrum ſuccenturiare par eſt, quoniam eiuſdem c
Cæpis Allioque naturæ eſt, calefacit enim & extenuat, qui
lenta diſſecat, craſſaq; incidit, elixum ſucci prauitatem & ac
moniam exuit. Dioſcorides bis aqua mutata coctũ, aut frig
maceratum dulceſcere, & multo minus inflare aſſerit. Dup
autẽ eſt, Capitatum & Sectiuum, illud Græcis πράσον κεφαλ
quia in caput latius excreſcit: quod vt priſci agricolæ con
querentur, tegulam aut ſilicem huic ſubijciebant, atque h
modo capita dilatabant. genus hoc Diphilus apud Athenæ
γηθύλλιδα, & à nonnullis γηθύον vocari ait. Alterum genus eſt
ctiuum, quod & Sectile Columellæ nominatur, cuius folia f
quenter ſecantur & attonduntur; cui Nero Imperator auc
ritat

ritatem dedit vocis gratia: ex oleo ſtatis menſium omnium diebus, nihilque aliud ac ne pane quidem veſcendo, Vt Plinius meminit, lib. XIX. cap. VI. tædium tamen ſui mouent, ob odorem, illiberalem, quem veſcentes expirant, qua de cauſſa Martialis Tarentinum accuſauit.

Fila Tarentini grauiter redolentia Porri,
Ediſti quoties; oſcula clauſa dato.

Oculorum aciem hebetare traditur, ſi frequentiùs eo quis vtatur, & turbulenta ſomnia inducere, venerem tamen excitat, & ſtomacho frigidiori conducit. Aſthmaticis etiam cum ſinapi conditum egregiè auxiliatur, quatenus craſſos, viſcidoſque humores attenuat, & diſſecat. Geoponici auctores tradũt, porrum cum melle exhibitum omnes circa Arteriam affectiones curare, & contra Phalangiorum & reptilium morſus conferre. vtendum eſſe valdè flaccidis & valdè vietis, non enim minus quàm carnes porrum nutrire. quòd mihi tamen non perſuadebunt. Succum tamen Porri inter venena relatum video à Plinio lib. XIX. cap. VI. *Fama eſt Melam equeſtris ordinis reum, ex procuratione à Tiberio Principe accerſitum, in ſumma deſperatione, ſucco Porri ad trium denariorum Argenteorum pondus hauſto, confeſtim expiraſſe ſine cruciatu: ampliorem modum negant noxium eſſe.*

CAPVT XXVII.

Bulbi nobis ignoti. Venerem ſtimulant. Tubera Autumno & Vere maximè naſcuntur. Fungi ancipites cibi. Boleti maximè innoxij. Sed Claudij Imp. exitio infames. Fungi Amanitæ, Mycetæ, Pezicæ. Pratenſes optimi. Lapides qui fungos gignunt.

BVlbi tantopere ab omnibus celebrati, iam ab aliquot ſæculis exoluere, vt nemo quamuis Botanicæ rei ſtudioſiſ-

ſimus eos legitimè demonſtrauerit, vt Doctiſſimus Andre Mathiolus docet; tamen quia frequens vbique illorum men tio occurrit, pauca de illorum natura commemorare, non e alienum ab inſtituto noſtro. Bulborum duplex genus, Vomit rium & Eſculentum, de priori non eſt hic locus dicendi, ſiqu dem inter medicamenta recenſetur. Eſculentus Græcis βολ ἐδώδιμος, de quo multa Plinius, Dioſcorides, alijque veteru facultatē in ſe habent amaram & auſteram, vnde & ſtomachu exolutum ad appetendum excitāt. vtiles etiam ijs qui ex Th race conantur expuere; flatus & tormina niſi probè concoc inferūt; ſi bis elixi fuerint, ſuccum gignunt craſſiorē quide ſed qui valentiùs nutriat, vt auctor eſt Galenus lib. II. de Ali fac. cap. LXVI. Viſui nocere, & ad Venerem incitare, maxi Regios bulbos, Diphilus apud Athenæū tradit, ſed ob Vene ſtimulos, maximè à lautis expetebantur, vnde Poëta in Xen

Cùm ſit anus coniux, cum ſint tibi mortua membra,
Nil aliud Bulbis quam ſatur eſſe potes.

Huc facit Senarius Vetus.

Οὐδὲν σ' ὀνέσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχεις.
Neruum niſi habeas, Bulbus nihil proderit.

Maximè autem laudantur Megarici; Columella.

Iam Magaris veniant genitalia ſemina Bulbi.

Succedunt Tubera, Veterum luxu nobilitata, noſtriſq temporibus non ignota: Græcis ὕδνα vocantur. in ijs hoc mir tur naturæ periti, quod naſcantur & viuant ſine vlla radi nulliſque fibris aut capillamentis nixa; ſunt enim Tubera g boſa quædam ac tuberoſa ſua ſponte intra terram nata, & ea vndique circumdata, abſque caule, folijs, fibris aut capi mentis adnatis; ſunt hæc foris aut nigra aut ruffa; interi verò pulpa candida aut ſubflaua; cortice includuntur, vt pl nec terram, nec aliud quàm terræ callum dicere poſſimus, eleganter Plinius. Proueniunt hæc maximè locis ſiccis, & bulosis, vel tractibus fructetoſis, verno tempore, præſer
ſi t

ſi frequentius Cœlum tonuerit, Iuuenalis Satyra v.

——— Poſt hunc tradentur Tubera, ſi ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Maiores.

Plinius verò Autumno maximè naſci tradit lib. xx. cap. III. *cùm fuerint imbres Autumnales ac tonitrua crebra, tunc naſci, & maximè è tonitribus: nec vltra annum durare, tenerrima autem, verna eſſe.* Duo eorum genera, arenoſa inimica dentibus, altera ſyncera. diſtinguuntur & colore, ruffo nigroque, & intus candido; laudatiſſima Africana. producuntur in Italia, Gallia & Hiſpania, frigidioribus regionibus negata. Veteres, poſt Boletos palmam illis dabant. Martialis:

Rumpimus Altricem tenero de cortice terram
Tubera, Boletis poma ſecunda ſumus.

Nullam hæc qualitatem inſignem habent, ac niſi piperis ſaliſque mixtione commendarentur, non magnopere palato reſponſura fuerint, nam fatui ſaporis ſunt, quare & condimenta omnia recipiunt, vt reliqua inſipida; alimentum prębent ſubfrigidum & craſſum. Diphilus ægrè concoqui Tubera, bonum ſuccum gignere, facilè per ventrem egeri, quædam verò ex ijs vt fungos ſtrangulare ſcribit. Simeon verò Sethi, praui eſſe ſucci & illorum eſu plures in colicum dolorem, Epilepſiam & Apoplexiam incidiſſe memorat. quare priuſquam coquantur, curandum vt aliquot horis in aqua macerentur, mox ſale, origano, ruthaq; in aqua coquere. cocta condienda oleo, Tymbra, pipere & garo. cuius opinioni etiam Auicenna ſubſcribit, *Tubera*, inquit *melancholicos & craſſos ſuccos in corpore gignunt, ſæpiuſq; manducata, Apoplexiam & Paralyſim inferunt.*

Longè frigiditate & craſſitie ſuperat, qui ex Fungorum eſu ſuccus generatur. Vnde & maius diſcrimē, periculumq; imminet. Venenum enim hinc accedit exitiale, & lethalis ſuccus in corpore excitatur, quæ integras aliquando familias extinxit; vt ſubeat admiratio, tantam eſſe voluptatem ancipitis cibi, qui

nullum ſaporem,niſi à condimentis habeat, ſed tanta inſani in pernitioſiſſimum hoc edulium feruntur multi, quaſi omni periculi expers, & tanquam Luxuriæ peculiariter dicatum eſſet. Plinius lib. XXII. cap. XXIII. *Libet & coquendi dare ali quas communes in omni eo genere obſeruationes; quando ipſæ ſu manibus deliciæ præparant hunc cibum ſolum, & cogitatione ante pa ſcuntur, Succineis nouaculis, aut Argenteo apparatu comitante.*

Inter fungos Boleti primum locum obtinent, quos Galenus minimè noxios dicit: ſi tamen non ſatis elixi fuerint, damn etiam inferre poſſunt, & ſuffocationis periculum. Sed non omnibus illi naſcebantur, magnatum erant deliciæ, vt Iuuena lis obſeruat Satyra V.

Vilibus ancipites Fungi ponentur amicis,
Boletus Domino.

Mox tamen exitio Claudij Imperatoris fuere infames. Pli nius lib. XXII. cap. XXII. *inter ea quæ temere manduntur, Bole merito poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in cri men adductos, veneno Tiberio Claudio Principi, per hanc occaſionem coniuge Agrippina dato; quo facto illa terris venenum alterum, ſibi ante omnes, Neronem ſuum dedit.*

Martialis lib. V. cap. XX.

Dic mihi quis furor eſt, turba ſpectante vocata,
Solus Boletos Cæciliane voras.
Quid dignum tanto tibi ventre gulaque precabor,
Boletum qualem Claudius edit, edas?

Hinc iocus Neronis apud Dionem, Boletos eſſe βρῶμα τῶν θε cibum Deorum.

Certum eſt non eſſe vulgares delicias, ſed potentiorum tan tum, vt docet Martialis lib. XIII. epigr.

Argentum atque aurum facile eſt, lænamque, togamque
Mittere, Boletos mittere difficile eſt.

Feruentes hos moris erat apud Nepotes comedere. Sene Naturalium Quæſt. lib. IV. *Quemadmodum nihil illis ſatis fri di*

dum, ſic nihil ſatis calidum; ſed ardentes Boletos, & raptim condimento ſuo merſatos, demittuntur fumantes, quos reſtinguant deinde niuatis potionibus. poſt Boletos Galenus Ἀ'μάνιτας numerat, quod etiam à Paulo Ægineta factum video, quinam verò illi ſint difficile eſt inueſtigare, cùm Simeon Sethi Amanitas & Mycetas tanquam eoſdem enumeret. Plinius verò, tutiſſimos dicit illos qui rubent callo, minùs diluto rubore, quàm Boleti, mox candidi, velut Apice Flaminis, inſignibus pediculis conſpicui. tertium genus Suilli venenis accommodatiſſimum. Sunt & Pezicæ Gręcis ita dicti, quod ſine radice aut pediculo naſcantur. Horatius ſolos Pratenſes commendat ſatis ambiguè.

—— Pratenſibus optima fungis
Natura eſt, alijs malè creditur.

Facillimè tamen etiam innocentiſſimi, venenoſam qualitatem excipiunt, vt monet Plinius, *ſi enim Caligaris clauus, ferriue aliqua rubigo, aut panni marcor affuerit naſcenti, omnem illicò ſuccum alienum, ſaporemque in venenum concoquit. deprehendiſſe niſi agreſtes poſſunt, atque qui colligunt. Ducunt ipſi alia vitia, nunc quidem ſi ſerpentis cauerna iuxta fuerit, ſi pateſcentes primo adhalauerit; capaci venenorum cognatione.* Noxij etiam ſunt, qui coquendo duriores fiunt: innocentiores qui nitro addito coquentur, ſi vtique percoquantur. tutiores autem fient cum carne cocti, aut cum pediculo pyri. Cùm autem natura illorum ſit frigida & humida, vtpote qui originem ducant ex arborum pituita; ideò eſſe oportet illos, conditos cum acerrimis Aromatibus, hiſque vnà incoquere pyra, & præſertim Syluestria. Galenus laudat vſum Oxymelitis, in quo Origanum & Hyſſopus incocta fuerint, quibus craſſi & viſcidi humores diſſecentur. Plinius aceti naturam illis eſſe contrariam dicit. Dioſcorides etiam fimum Gallinaceorum, addito aceto. Nouitium inuentum dedit Italia, vt toto quis anno fungis veſcatur; Lapides quidam inuenti ſunt Neapoli, qui defoſſi in cellis vinarijs, & terra aliquantulum operti ac ſubinde aqua tepida irrorati, intra quatriduum

fungos

fungos non ingratos proferunt, vt auctor est Andreas Mathiolus. nec admiratione caret quod Hermolaus Barbarus lib. IV. corrolarij tradit, ex Lyncurio lapide fungos nasci, qui cum in vsus præciditur, alius subnascitur toto anno, pediculi pars relicta duratur in lapidem, atque ita semper crescit lapis resti bili fœcunditate.

CAPVT XXVIII.

Fructus in ὀπώρας & ἀκρόδρυα diuiduntur. vel in Nuces & Poma. Fructus ὡραίοι Fugaces. ὀπώρινοι Autumnales. Horarij fructus, niue vel glacie refrigerandi; prima mensa adsumendi.

HActenus de Cerealium, Leguminum, atque olerum vi dictum, nunc ad Arborum fructus veniendum, ne tantum naturæ donum sileatur, quos illa solis penè hominibus miranda varietate donauit: nec enim solus illorum gustatus sed & odoratus aspectusque iucundissimus habetur; verùm illis subesse blandas vitæ insidias, & latentem pestem plerique ignorant: Medici verò plus inesse voluptatis, quàm vtilitatis non frustra dicunt; quare operæpretium erit singulorum facultates strictim percurrere.

Geoponici Scriptores libro X. cap. LXXIV. fructus diuidunt in ὀπώρας, & ἀκρόδρυα. vocant ὀπώρας quidquid herbaceo fructu viret, lignosi nihil exterius habens, vt, Duracina, pyra, poma pruna, cydonia. reliquos verò omnes ἀκρόδρυα, qui putamen exterius lignosum & corticem habent, vt malum Punicum, nuces, castaneæ, amygdala. alij verò Arboreos omnes fructus in duo veluti summa genera deducunt, in Poma & Nuces. Poma verò aut Mala dixere veteres, Macrobio teste lib. VII. cap. XIX. & Isidoro lib. XVII. cap. VII. omnia illa quæ foris habent quæ esui sunt, durum intus reludunt. Nuces verò vocantur cuncta

cuncta, quæ foris duro corio teguntur, & intus habent quæ esui sunt, itaque inter Poma numerantur, Persica, Armeniaca, Pruna, Cerasa & similia; inter nuces verò recensentur Castaneæ, Glandes, Auellanæ, Iuglandes, Amygdala. nonnulli tamen Pomi nomen latius extendunt, vt & nuces comprehendat, Plinius lib.xv.cap.xxii. agens de Iuglande. *Solum hoc Pomum, natura compactili operimento clausit.*

Et Martialis de Nuce Pinea.

Poma sumus Cybeles, procul hinc recede viator.

Sed quia pomorum quædam fugacibus fructibus, quædam Autumnalibus annumerantur, primò diuersitatem fructuum explicabo, mox ad singula descendam. Fugaces voco, quos Græci ὡραίους appellant. est autem ὥρα, tempus illud æstatis in cuius medio Canicula exoritur, quod tempus est quadraginta dierum, ab ortu nempe Vergiliarum; vsque ad ortum Caniculæ, quo tempore fugaces omnes fructus consistunt, nonnulli iam declinantes, alij incipientes, alij in suo vigore, aut vltra vigorem consistentes. Fugaces verò, & temporarij Latinis dicuntur, quod nihil illis fugacius, statim enim eorum gratia terminatur ac transuolat.

Autumnales verò, & Serotini dicuntur Latinis, quod circa Autumni initium, & æstatis finem vigent; quod anni tempus quia Græcis ὀπώρα dicitur, etiam ὀπωρινοὶ vocantur, est autem tempus illud à Canicula ad occasum Vergiliarum, quasi ἐπὶ τῇ ὥρᾳ quod post ὥραν sequitur, quo tempore cæteri fructus maturescunt, vt sunt, pyra, mala, Damascena, vuæ, & similes; Serotini etiam nuncupantur, vel quod serò proueniunt, vel quod asseruari & recondi possunt; multi verò pro Autumno ὀπώραν intelligunt vt Martialis lib.ix.

Si daret Autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς essem,
Horrida si Brumæ sidera, χειμερινός.

Omnes autem ὡραῖοι siue fugaces fructus, consistentiæ sunt humidæ, corrumpuntur facilè, exiguumque præbent alimen-

tum, & quod facilè è corpore excernitur; quare etiam prom-
ptius per aluum deijciuntur, praui etiam sunt succi plerique
.Vtetur verò ijs vtilissimè, qui æstu vehementiore, & long
itinere confectus fuerit, tum enim conferunt, corporis squa
orem humectando, & si frigida assumantur moderatè refri
gerant, nam vt monet Galenus lib. 11. de Alim. facultatibu
fructus illi humectandi quidem facultatem semper haben
refrigerandi nequaquam, non enim proprio temperament
adeo frigidi sunt, vt si calida assumantur, ventriculum refri
gerent, quare externa & adscititia indigent refrigeratione,
partium quibus primum occurrunt calori, aduersentur; qua
prudenter Hispani & Itali, qui æstuosa loca incolunt, Cera
Pruna, Mora, Armeniaca, cæterosque fugaces fructus, niue
gelu refrigeratos mandunt, vt & salubritati pariter & volu
ptati consulant. nam cùm Horarij illi fructus ob aëris æstu
externa illa refrigeratione carent, facilè putrescunt, & cor
rumpuntur. refrigerati verò niuis & glaciei beneficio, seruan
tur incorrupti, & stomachum squallentem mirè recreant.

Sed non erit abs re monuisse, ne vulgi more promiscuè,
citra ordinem fructibus fugacibus vescantur: vt prima men
apponantur, Cerasa, Mora, Fraga, Pruna, Persica, & Præc
cia, Ficus, & huius generis cuncta, quæ citò vitiantur, hum
dioraque sunt, temperant enim viscerum calorem, vicemq
præstant medicamenti, & aluum molliunt: serotini verò fru
ctus, vt sunt, poma, pyra, nuces, cydonia, mespila, Castane
alijque huius generis, secunda mensa sumenda: tunc enim
comprimunt os venticuli, roborantque, quo fit vt citiùs alu
deijcitur; si verò tales prima mensa sumantur, aluum poti
indurabunt, ob adstringentem facultatem, qua pleraque pr
dita sunt.

CAPV

CAPVT XXIX.

Cerasa ante Luculli victoriam Græcis nota. Seruij lapsus. non proueniunt in Ægypto. Aproniana & Actia. Simeonis Sethi error. aqua Stillaticia Cerasorum Epilepticis prodest.

INter Fugaces fructus primo occurrunt Cerasa, quæ ante omnes maturescunt, & mēsis inferuntur. à Cerasunte Ponti oppido, nomen illis inditum, auctor est Isidorus Originum lib. XVII. cap. VII. *Cerasus à Ceraso vrbe Ponti vocata, nam Lucullus cùm Cerasum vrbem Ponti delesset, hoc genus pomi inde aduexit, & à ciuitate Cerasum appellauit.* idem asserit Laurentius apud Athenæum lib. II. vnde Isidorum sua mutuasse crediderim. Sed Plinius illis antiquior, tantùm refert, Lucullum è Ponto Cerasum aduexisse: lib. XV. cap. XXV. *Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli, non fuere in Italia, ad vrbis annum. DC. LXXX. is vexit è Ponto. annisq; CXX. trans Oceanum in Britanniam vsque peruenere.* Diphilus tamen Siphnius, medicus illustris, qui sub Rege Lysimacho vixit, multis annis Lucullo vetustior: Cerasorum meminit, vt auctor est Athenæus, ita vt certū sit: multis annis in Græcia fuisse nota, priusquā in Italiam transferrentur. Probabile etiam videtur vrbem Ponti Cerasuntem, à Cerasis ita vocatam, & non Cerasum à Cerasunte, non secùs ac Rhodus à Rosis, Rhamnus, Myrica aliæque vrbes, à plantis quæ ibi locorum copiosiùs prouenirent, nomen accepisse, vt obseruauit iampridem Casaubonus ad Athenæum. Seruius etiam ad libr. II. Georgicorum Virgilij, audet affirmare ante Luculli victoriam fuisse in Italia. *Sanè Cerasus Ciuitas Pōti, quam cùm delesset Lucullus, genus hoc Pomi inde aduexit, & à ciuitate Cerasum appellauit. nam arbor Cerasus, pomum Cerasum dicitur. Hoc autem*

tem

tem etiam ante Lucullum erat in Italia, sed durum & Cornum ap-pellabatur, quod postcà mixto nomine, Corno-cerasum dictum est. Se toto cœlo labitur Grammaticus, quum nihil commune inter Cornum sit & Cerasum, nec ab vllo veterum hoc scriptum memini.

In Ægypto nulla cura gigni potuere; fœlicissimè verò algidioribus locis prouenire testatur Plinius, vnde in Gallia, Germania, Belgicaque, maxima illorum vbertas: in Belgica Romanorum tempore maximus honor Lusitanis, ita dicta suspicor quod ex illa gente ad nos aduecta fuerint. distinguuntur autem Colore & Sapore, alia enim rubent, alia nigrescunt, alia albescunt & rubescunt; quædam sunt prædulcia, alia acidiora, alia verò Vinosi Saporis.

Plinius inter Cerasorum genera recenset Aproniana, quæ maximè rubent, & Actia quæ nigerrima sunt; quæ si cum nostris conferre licet, dicemus Aproniana esse, quæ vulgò Cerasa rubra dicuntur, hæc à Diphilo Milesia vocari credo Actia verò, Nigra esse, quæ inclinante æstate proueniunt. addit verò, principatum tribui Duracinis quæ Pliniana, Campania vocat. Viri quidam docti suspicantur esse Hispanica vulgo dicta (seu **Spaensche kersen**) prædulcia scilicet, alij verò credunt esse quæ Hispanis *Garrafales* dicuntur, insigni magnitudine, sapore acidiusculo, carne duriore, quæ sub finem æstatis proueniunt, quæ in Gallia aliquando, Pruni Damasceni magnitudinem æquare dicuntur. Sed cuique coniecturæ liberum sit iudicium: nam difficile est antiquorum nomina nostris comparare, totiens figura, colore & saporibus permistis, atque insitione mutatis; Galenus de Cerasorum natura, pauca tradit, illaque Moris similia dicit, quædam enim leuiter adstringunt, quædam validiùs vt Rubi fructus. Paulus Ægineta prædulcia aluum mollire, sed stomacho ingrata; quæ verò magis adstringunt, vt minùs ventrem deijciunt ita stomacho aptiora tradit. Diphilus verò Siphnius, stoma-

ſtomacho eſſe grata, parum nutrire, bonum ſuccum gignere, Mileſia verò & quæ magis rubent cæteris præfert, quoniam magis vrinam mouent, ſed bene monet ἐκ ψυχροῦ λαμβανόμενα εὐστόμαχα. *Ex frigida ſumpta, ventriculo eſſe commoda.* innuit enim Diphilus, Ceraſa eſſe comedenda ex aqua frigida, quemadmodum & hodie videmus multis in locis, menſis inferri in diſco frigida pleno, vel niue aut glacie operta; nam vt ſupra monui, Horarij omnes fructus niſi frigore conſeruentur, facilè corrumpuntur & æſtuanti ſtomacho, minùs proſunt. miror à Simeone Sethi κακόχυμα vocari Ceraſa, quum recentiores plerique magnis laudibus illa extollant, nullumque penè pomum minus eſſe noxium affirmant. quamquam non dubitem, aliquid praui ſucci cum reliquis Horarijs fructibus ineſſe, minus tamen cæteris: præſertim ſi æſtiuo tempore in Anticænio ſumantur, & non inter Bellaria, vt prauus noſtri ſæculi vſus obtinuit. Seruantur verò in alienos menſes, Sole aut furno exſiccata, ſed facultate valdè à prioribus diſſimili: aluum enim potiùs adſtringunt, cùm alia, ob copioſam humiditatem ventrem mouent. Saccharo verò condita in vniuerſum annum conſeruantur, quæ magnificè ſitientibus ægris auxiliantur. Memoriâ dignum eſt, quod Ioannes Menardus maximus ſuæ ætatis Medicus, alijque non proletarij auctores commemorant, aquam Ceraſorum deſtillatam, non multo ante ex arbore decerptorum, ſi in os Epileptici infundatur quoties paroxyſmo laborauerit, inhiberi morbi impetum; gummi verò quod ex arbore manat, calculoſis ex vino albo mederi apud omnes in confeſſo eſt.

CAPVT XXX.

Mori etymon. Fructus eius duplex, albus & niger. cur Mo-ris prandium claudebant. Horatius explicatus. qualia ve-terum prandia Fraga à Seruio dicuntur Mora in her-bis nascentia, nulla praua qualitate imbuuntur, Vacci-nia, seu Myrtilli.

INter vrbanas arbores nouissima floret Morus, Græcis etiam συκάμινος dicta, nec nisi exacto frigore germinare solet. vn-de arborum sapientissima nuncupatur, licet fatuæ nomen Græcis κατ᾽ ἀντίφρασιν adepta: non omittendum, quod Athe-næus super etymo Mori refert. Δημήτριος ἰξίων τὰ αὐτὰ συκάμινα καὶ μόρα. οἷον αἱμόῤῥαο, καὶ σύκων ἀμείνα. *Demetrius Ixion putat eadem & sycamina & Mora, sic dicta quasi* οἷον αἱμόῤῥοα. i. *Sanguiflua ob suc-colorem, &* σύκων ἀμείνω *ficubus præstantiora, ob succi bonitatem.* Eius fructus duplex, albus nigerque. minor albus, atque infra nig. magnitudinem multum, & quum maturuit multo dulcior tamen ob saporis fatuitatem mensis non infertur. narrant naturæ periti (de quibus apud veteres nulla mentio, Poetas excipio) ex insitione super albam Populum facta, originem traxisse; nulloque in vsu sunt, nisi vt illorum folijs, verme Sericum facientes alantur. Nigra verò Mora passim in hono-re; quod æstate squallentem stomachum succo suo mirifice recreant, licet Dioscorides κακοστόμαχα dicat; quod Galeno non probatur. ventrem subducunt, cibisque alijs præeunt, si pri-mis epulis assumpta fuerint. quod si post alios cibos ingesta, v. prauum cibum in ventriculo offenderint, celerrimè cum alijs cibis vitiantur, atque ad deleterij medicamenti prauitatem proximè accedunt, vt Galenus testatur. aluum soluunt, non tantùm ob substantiæ solius humiditatem, verùm etiam, o acrimoniam quandam illis insitam, quæ facultatem expultri-

cem

cem leuiter ſtimulat; humectant egregiè, ſed non omnino refrigerant, niſi ſumpta fuerint frigida. quare prudentiores aquâ frigidâ prius abluunt:alimentum exiguum corpori præbent,vt ſimiles fructus ſolent. Plinius facultates eius breuiter lib.XXIII. cap.IV.refert, *pomi ipſius (Mori) ſuccus,ſoluit aluum protinus,ipſa poma ad præſens ſtomacho vtilia, refrigerant, ſitim faciunt, ſi non ſuperueniat alius cibus, intumeſcunt.* Mauritani vrinam ciere,& ſanguinem impurum expurgare aſſeuerãt, quod & vulgus ſibi perſuaſum habet hodierna die. Romani verò priſcis ſæculis, menſas Mororum eſu claudebant. Horatius Satyra IV. lib.II.

—— ille ſalubres
Æſtates peraget,qui nigris prandia Moris
Finiet,ante grauem quæ legerit arbore Solem.

Locus hic multorum ingenia exercuit, vt rationem inuenirent,quo pacto Mora poſt alios cibos ſalubria dici poſſent.Dionyſius Lambinus,& Hadrianus Turnebus, Galliæ lumina; nihil præter mora prandendum,ſuadere Catium aſſerunt,atque hoc eſſe, finire prandium. quia veteres modicè tantum prandebant, lautiùs cænaturi. quorum etiam opinioni Doctiſſimus Antiſtes Leuinus Torrentius ſubſcribit; aliàs enim contra communem Medicorum Scholam, Parodoxon hoc eſſet. mihi verò, venia tantorum virorum, longê aliter dicendum videtur.Poëtam alludere hoc loco,ad ſæculi ſui morem, quo tempore in vſu erat,fructus omnes cum bellarijs reliquis,vltima menſa mandere;non ſecus ac in Lactuca quondam eueniſſe ſcimus, quæ cum Auguſti æuo ſolebat dapes claudere, ſub Domitiano illas inchoabat.Martialis:

Claudere quæ cænas Lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Sic Plutarchus lib.VIII.ſympoſiacorum, quæſt.IX.docet τὰς ψύχρας τράπεζας,ſeu *frigidas menſas*, à cauda ad caput traductas fuiſſe,ita vt quæ vltimo loco olim adſumebantur, in primum poſtea

postea locum migrasse. Itaque Horatius nihil aliud ex doctri-na Catij vult dicere nisi quòd salubris sit Mororum esus æsti-uo tempore. parum anxius an primo vel postremo loco essent sumenda, morem enim sui temporis respicit, quando scilicet postremo loco sumebantur: non secus ac hodierna die apud plerosque in Belgica, moris est, vltima mensa illis vesci, nulla salubritatis cura. Catij enim Catillonis, non Medicorum do-ctrinam tota illa Satyra exagitat; nam quod viri docti addu-cunt, finire prandia Moris, idem esse, ac si diceret, nihil præter Mora prandendum, quod veteres simplici cibo prandia tran-sigerent, vt apud Senecam videre est, ad Lucilium episto. LXXXIII. *Post Solem panis, & sine mensa prandium, post quod non su-nt lauandæ manus.* Sed illud erat virorum continentium pran-dium; qui paucis contenti viuebant, non Catij aut diuitum qui plerumque opiparè prandebant. Cicero Phlippica II. *quid prandiorum apparatus? quid furiosam tuam vinolentiam proferam* Suetonius in Claudio. *Cognoscens quondam in Augusti foro, ictus-que nidore prandij, quod in proxima Martis æde, Salijs apparabatur, deserto tribunali ascendit ad Sacerdotes vnaque discubuit.* Plautus illis vetustior, in Amphitryone, Bacchidibus, Sticho, Menæch-mis, vbique prandij meminit, non simplicis illius de quo Sene-ca, sed in quo varia obsonia apponebantur, clarè in Menæch-mis, qui locus multorum erit instar.

Bene obsonaui, atque ex mea sententia,
Bonum anteponam prandium pransoribus.

Itaque concludam, Catium respexisse tantùm ad tempor[is] sui consuetudinem, quando claudebant prandia Moris, no[n] quod solis illis vescerentur, non enim ad normam Catonis v[el] Senecæ viuebat, vt credamus Moris tantùm contentum fuisse, erat enim Epicureus & lautus.

Hoc tamen non spernendum quod Poëta monet, legend[a] esse Mora ante æstum, sic enim decerpta, æstuanti ventricu[lo] magis conuenient. Si quis verò Moris vtatur immaturis, vent[rem]
fluen

fluentem ſiſtet, Dyſentericis etiam Cæliaciſque proderunt, quare & ſiccata in Medicinæ vſus reponuntur. Naſcuntur & in Rubis Mora, quæ Græcis βάτινα, de quibus Ouidius. 1. Metamorphoſ.

——— *In duris hærentia Mora rubetis.*

Sed hæc plurimum ab aliis callo differunt, magis etiam adſtringunt, & ſi qui largius iis ſe impleuerint, capitis dolorem incurrent, alij ſtomacho anguntur; ſed ab vrbanis rarò hæc manduntur, ſed voracibus pueris ruſticiſque relinquuntur.

Poſtquam ab Arbore ad Rubum deſcendimus, eadem opera ad Fraga venimus, propter cognationem quam cum iis videntur Mora habere, nuſquam enim locus aptior de illis dicendi; pauca omnino de iis veteres prodiderunt, & apud Medicos noſtros altum ſilentium, & Plinius obiter tantùm illorum meminit. Ouidius:

Arbuteos fœtus, montanaq; Fraga legebant.

Virgilius Ecloga tertia.

Qui legitis flores, & humi naſcentia Fraga.

Seruius dicit eſſe, *Mora in herbis naſcentia.* Paſſim enim per Syluas ſine cultura proueniunt. Sed in hortos nunc tranſlata ſunt, & magna diligentia excoluntur. quanquam ingenia in his nihil profecerunt, præterquam amplitudine: Succus eius vinoſus cùm inſigni odoris fragrantia, quare omnium menſis expetuntur. ſitim ſedant, ventriculi æſtum reprimunt, alimentum conferunt exiguum, ſed ſi in ſtomacho vitiantur, etiam prauum. multi ex Lactis cremore mandunt, alij ex vino, Sacchari pollinem admiſcentes, & ſalubrius meo iudicio. noſtri ſæculi ſcriptores illorum innocentiam admirantur: nam cùm fraga terram propè contingant, ideoq; à venenatis animalibus facilè conculcantur, nullum tamen ab iis virus admittunt, aut alienum ſaporem accipiunt: quo argumento, nullam iis eſſe cognationem cum venenis, teſtatiſſimum relinquitur; nuſquam enim auditum aut ſcriptum,

N quen-

quenquam horum esu, maligno aliquo affectu correptum. S in Anticænio sumantur renum vitiis prodesse, & aluum so uere affirmant; aquam etiam chymica arte ex iis eliciunt,qu præterquam quod faciei maculas expurget, renum calcu mirificè conferre, fide digni scriptores produnt.

Fragis succedant Vaccinia nuncupata,non illa quidem Po tis celebrata: quæ Seruio eadem sunt cum violis.sed nost hominibus vocantur eo nomine baccæ,quarum frutex hum lis est,vix dodrantalis, foliis maioris Buxi,tenuioribus tame & ambitu leuiter serratis, ad Myrti genus accedentibus, vn ab aliquibus Myrtillus vocatur: cuius frequens in German Gallia, Belgica & Anglia prouentus; frigida autem sunt or ne secundo, vnà cùm manifesta adstrictione resiccant.Ven culo æstuanti conueniunt, sitim sedant, aluum sistunt.ex vi & Saccharo, vel etiam ex lacte, lautiores illis vescuntur. ap Batauos palustribus in locis, Vaccinia etiam proueniunt, n nigra,sed rubenti colore conspicua, nec ita rotunda sed tur nata.

CAPVT XXXI.

Rhodacina, Duracina, Persicorum species. Columellæ & Isi ri opinio reiecta de Persicorum noxia vi. Persea diuersa bor à Persico. Macrobij error. Mollusca nux non est Pe cum. Præcocia βερίκοκκα, bonitate succi Persica supera Armeniaca.

PErsica Mala à Simeone Sethi, & Geoponicis Scripto bus Ῥοδάκινα nuncupantur, Paulus verò Ægineta lib. Rhodacina cùm Præcociis,& Armeniacis, meliora esse Pe cis statuit, atque speciem diuersam à Persicis videtur c stituere Palladius, verò quatuor Persicorum genera stat

Duracina, Præcoqua; Persica, Armeniaca, vnde suspicari licet Æginetam, Rhodacina fortè pro Duracinis substituisse.

Duplex verò Persicorum discrimen passim statuitur, Duracinorum vnum, quorum nucleus non facilè à corpore discedit; sed firmius cæteris adhæret; alterum verò est, in quo facilè à carne nucleus separatur. Isidorus Duracina vocata tradit, quod in gustu acorem referant; sed vnde is frigidam hanc Etymologiam hauserit, equidem ignoro. Duracinis palma olim non immeritò data.

Persicorum autem fructum, ex Perside primum aduenisse, nomen ipsum declarat; vulgaris opinio multis sæculis inueterata est, venenosum fuisse in Perside, sed in Ægypto soli benignitate mitigatum, quod Iunius Columella eleganti carmine expressit.

Stipantur Calathi pomis, quæ barbara Persis
Miserat (vt fama est) patriis armata venenis;
At nunc expositi paruo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Isidorus etiam receptæ opinioni adstipulatur, *Persicum vocatum, quod eam arborem primus in Aegypto seuerit Perseus, à quo se oriundos Ptolemæi ferebant. hæc in Perside fructum generat interfectorium, apud nos autem iucundum ac suauem.* Sed refellit hanc opinionem Plinius lib. XV. cap. XIII.

Falsum est, Persica, venenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum caussa à Regibus translata in Aegyptum, terra mitigata. id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est: Myxis rubentibus similis, nec extra Orientem nasci voluit; eam quoque eruditiores negauerunt ex Perside, propter supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satam, & ob id, Alexandrum illa coronari victores ibi instituit, in honorem attaui sui. Ex quibus verbis videre licet, Isidorum Persicis malè adscripsisse Perseum auctorem, cùm id de Persea Plinius dicat. Nicander verò in Alexipharmacis

vbi de remedijs contra Cerussam agit, Perseum refert post interfectam Medusam, Mycenis plantasse Perseam, quam à Cæpheo dono acceperat. Sunt tamen qui nodum adhuc in scirpo quærunt, & Perseam eandem cum Persica faciunt manifesto errore. siquidem Dioscorides & Galenus, diuersis locis de vtraque agunt, & fructum Perseæ noxium apud Persas esse, in Ægyptum autem translatum redditum esse esculentum. Galenus etiam lib. II. de comp. Med. secundum locos, de curatione cephaleæ dicit, in sola se Alexandria vidisse Perseam, nec in vlla alia gente Romanis subdita, & Plinius negat extra Orientem nasci.

Macrobius lib. III. Saturnalium cap. XVIII. credit Persicum à Plauto vocari Molluscam nucem. *Est autem Persicum quod vulgo vocatur, & Mollusca nux dicitur, scilicet quod cæteris omnibus Nucibus mollior sit, huius rei idoneus assertor est Sueuius, Vir longe doctißimus, in edulio quod inscribitur Moretum.*

Admisce tu Acca Basilicis hæc nunc partim,
Partim Persica.

Et post multos versus addit,

Mollusca hæc nux est ne quis fortè inscius erret.

Sed manifestò illum hallucinari docet Plinius, qui nuces etiam Persicas recenset, lib. XV. cap. XXII. *& has è Perside à Regibus translatas, indicio sunt Græca nomina. optimum quippe genus earum, Persicon atque Basilicon vocant & hæc fuere prima nomina,* mox etiam subiungit. *Molluscæ putamen rumpentes.* adde Sueuium describere hortulanum Moretum facientem, in quo non solent poma tenera & carnosa, qualia Persica, sed nuces Persicæ misceri; nisi fortè Macrobius de Nucibus Persicis loquatur. Suprà etiam diximus ex communi scriptorum consensu Persica sub Pomi nomine, non sub Nucis comprehendi. Sed tempestiuum est ad Persicorum naturam venire, vulgo salutaria & innoxia æstimantur; à Plinio suspicor opinionem hanc deriuatam, qui Pomum eius innocuum, ægrisque expetitum scri-

ſcribit lib. xv. lib. verò XXIII. cap. VII. *Nec eſſe eis pomis innocentiorem cibum*; ſed reclamant Medicorum filij, Galenus enim noſter anteſignanus, ſuccum Perſici eiuſq; carnem facilè corrumpi, & omnino prauam eſſe cēſet, ideoque non eſſe mandenda poſt alios cibos, alioquin in ſtomacho innatantia faciliimè corrumpi; ceteris cibis eſſe præmittenda, & meracum vinum illis ſuperbibendum conſulit, quod ſi liberalius his vtatur, febribus obnoxius erit: proprietate etiam quadam neruos lædunt; Ægineta verò coaceſcere ſtatim in ventriculo dicit, atque improbi ſucci eſſe. Lautiores ſolent Perſica decorticata vino madefacere, ſic enim tolli illorum noxam non fruſtra exiſtimant, modo, tanto temporis ſpacio patiantur in vino hærere, vt vinum prorſus imbiberint, ſuperēturque eo modo ſucci prauitas: non vulgato more, qui modico tantùm tempore permittunt vino innatare, quo fit vt in venas, vini allectamento citiùs diſtracta, maius quoque ac celerius nocumentum inferant. Probantur maximè Duracina, quod non ita celeriter putreſcant, nec humore ita diffluant, vt cætera Perſica. Sunt etiam Nuciperſica aliquibus dicta, Gallis Antiperſica; amplitudine Præcociorum, herbidoque colore, leuique corio. figura nucis Iuglandis, lanugine vt in cæteris Perſicis nulla, vnde Hiſpani, Perſicum caluum vocant. minùs hæc etiam habere noxæ ferunt, quia ſiccior illis caro.

Sed palmam obtinent Præcocia, olim Perſicis annumerata, nunc genus ſeorſum ſtatuunt; poſteriores Græci, inter quos Simeon Sethi, Βερίκοκκα vocant, vnde vulgaris vox Abricoces defluxit. multis eadem videntur cùm Armeniacis, alij ab his diſtinguunt. Vero propiùs eſt, generis eiuſdem eſſe, Cæli clementia, vel terræ bonitate, & culturæ mangonio, tantùm magnitudine, ſaporeque differre; multiplici namque inſitione cuncta maximè proficiunt. ineunte æſtate, ante alios fugaces fructus proueniunt, quare Præcocia vocata. parum

natura dotibusque, à Persicis distare, testis est Galenus: bonitate tamen nonnihil illa superant, neque enim in ventriculo, vt illa corrumpuntur, neque acescunt, odoris autem suauitate longè Persicis præferenda; tamen, non secus ac cæteri fugaces fructus, parum nutriunt. Plinius Armeniaca inter pruna refert, quæ solo odore commendantur, adeò exigua tunc illorum notitia. Simeon Sethi τῶν Ροδακινῶν κακοχυμώτερα peioris esse succi quàm Persica scribit, quod mirum est illum asserere, cæteris Medicis reclamantibus: Martialis etiam huius opinionis fuisse videtur, lib. XIII.

Vilia maternis fueramus Præcoqua ramis.
Nunc in adoptiuis Persica cara sumus.

Inter Mauretanos Medicos, Auenzoar Persica commendat, contra animæ graueolentiam, quæ à ventriculi vitiis originem trahit; Auerroës etiam v. Colliget, odorem eius Cardiacis vtilissimum asserit, qui tamen in Persicis nullus, vel obscurus admodum percipitur; quare hæc potiùs de Præcocibus dicta crediderim, in quibus gratus & excellens odor reperitur. nisi fortè in calidioribus, regionibus Persica maiorem odorem spirent, quàm in frigidioribus.

CAPVT XXXII.

Κοκκύμηλα. Isidorus emendatus. Myxæ non sunt Pruna. Βράβυλα. Casaubonus refellitur, πρῦμνον. Damascena maximè laudanda. Pruna incoquenda Melicrato, vt aluum soluant.

PRuna Græcis κοκκύμηλα nuncupantur, licet nomen hoc Præcocibus attribuat Suidas. κοκκύμηλα. εἶδος ὀπωρῶν τὰ παρ' ἡμῖν, λεγόμενα βερίκοκκα. *genus fructuum quod à nobis Bericocca dicitur*; Sed contra communem scriptorum consensum hoc statuit,

tuit, immò à Latinis posterioribus hoc nomine vocantur Pruna. Isidorus *Coquimela, quam Latini ob colorem primum vocant, alij à multitudine enixi fructus, Nixam appellant.* Sed totus hic locus corruptissimus, quem ita emendo. *Coccimela quem Latini Prunum vocant, alij à multitudine enixi fructus, Myxam vocant.* Sed vt obiter & hoc tangam, non sunt Myxæ Pruna, licet ad illa à quibusdam referatur; Arabes & officinæ vocant Sebesten. auctor est Athenæus apud Siculos & Rhodios βρά-βυλα dici, quasi βορὰν βάλλοντα. i. cibos depellentia, quia scilicet aluum mouent, ab aliis verò Μάδρυα, & ἦλα. Isaacus Casaubonus lib. II. Animaduersionum in Athenæum cap. X. sub finem, dicit ex sententia Pauli Æginetæ, & Aëtij; Asiaticis fructus Coccimeleæ seu Pruni, πρῦμνον dici. licet Galenus lib. II. de Alim. facul. cap. XXXVIII. tantum hoc dici suo tempore de fructu τῶν ἀγριοκοκκυμήλων de syluestri pruno asserat; sed labitur vir magnus, quia Aëtius & Paulus Aegineta πρῦμνον tantum de syluestri dici manifestò docent, prout vterque à Galeno hauserat. an verò Latini vocem Prunum, ab Asiaticis desumpserunt, an vt ego suspicor, posteriores Græci à Romanis, qui tunc erant rerum Domini, Lector iudicabit. Genera eius varia, nã & forma, colore & magnitudine, & sapore distinguũtur, nam & nigra candidaq; & purpurea, atque cerina, herbacea & lutea reperiuntur. Plinius Cerina laudatiora prædicat, quæ Virgilius Cerea, Columella, Ceriola vocat, Ouidius verò per Periphrasim describit:

Prunaq; non solùm nigro liuentia succo,
Verum etiam generosa, nouasq; imitantia Ceras.

Damascena verò in primis celebrantur, ab inclyta magnaque Syriæ vrbe Damasco, quæ & Syriaca dicta, quibus succedunt Hispanica, seu Iberica, quæ dulciora multũ Damascenis. hęc verò facultatem magis adstringentem participant, vnde Dioscorides asserit, siccata Damascena aluum cohibere; quod Gale-

Galenus miratur lib. VII. de simpl. Med. facultatibus, vbi dicit pruna Damascena, tum viridia tum sicca ventrem soluere lib. etiam de attenuanti victus ratione. *Damascena Hydromeli incocta, præmandant ij, quibus extenuanti diæta est vtendum, verùm his magis aluum soluunt, qui ex Hispania importantur.* quod nec Martiali ignotum lib. XIII. sub lemmate, Pruna Damascena.

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ,
Sume: Solent duri soluere ventris onus.

Monet autem Galenus, coquenda esse in Melicrato, in quo sit plusculum mellis, atque ita egregiè aluum deiicient; quod vt commodius faciant, opus est temporis aliquid interponere, non autem statim illis assumptis prandendum, quod in omnibus illis obseruandum, quæ aluum sollicitant. Recentia verò Pruna, refrigerant simul & humectant, aluumque leniunt, quæ verò ad exactam maturitatem non peruenerunt, acerba acidaque sunt; omnia autem parum nutrimenti suppeditant; Dioscorides κακοςόμαχα dicit, non sine occulta aliqua vi; experientia enim compertum est, assiduum etiam siccatorum vsum, stomachi robur aliquantum exoluere.

CAPVT XXXIII.

Mespila; Aronia & Setanium. Azarollo. Sorba. Corna.

ETsi Mespila potiùs Medicorum iudicio, medicamentis sint annumeranda, tamen inter alimenta de illis dicendum, quia frequens passim illorum esus. Dioscorides duplex genus constituit, vnum exiguo pomo & suaui, tribus intus officulis, Aronia vocata; alterum quod Setanium, aliqui Epimelida dicunt. Primum genus Italis Azarollo nominatur, vix Galliis, hactenus in Belgica non visum. Secundum verò genus copiosè passim nascitur. tardè omnino maturitatem accipit

ſub Autumni finem legitur, & potius conditum matureſcit, quàm in arbore. immaturis ſapor acerbus admodum, gratia eorum in mollitie eſt, aliter edendo non ſunt. paleis ſubſtratis maturitatem accipiunt; ætas noſtra docuit cotoneis inſerere. vnde inſignis ipſis proceritas. vulgus enim ſpinis ſylueſtribus ſolebat inſerere, ideoque puſilla: plerumque hyeme matureſcunt; & cruda eduntur, cum ſaccharo & cinnamomo vel zinzibere, vt ſtomacho ſint gratiora, alij ex butyro coquunt, nonnulli in vino adiecto cinnamomi puluere. Vis illis eſt adſtringendi egregia & ſtomachum roborandi; ventri fluenti conueniunt, corpori alimentum exiguum frigidumque ſubminiſtrant. ferunt Nucleos in puluerem redactos, ex vino exhibitos, renum calculos pellere.

Non multum à Meſpilis diſtant Sorba, quorum varias differentias enumerat Plinus, potiſſimum, à figura deſumpta: quibuſdam enim mali rotunditas, alijs turbinatio Pyri, alijs ouata ſpecies. odore & ſuauitate rotunda præcellunt, cæteris vini ſapor; nullus illis acerbus ſapor vt Meſpilis, ſuccus tantum auſterus ſine vlla acerbitate, vis adſtringendi illis minor, in cibis tamen ſuauiora; immatura verò nemo velit attingere, aluum etiam nimis lubricam compeſcunt; quod & Martialis monuit.

Sorba ſumus, molles nimium durantia ventres,
Aptius hæc puero, quàm tibi, poma dabis.

Aliud etiam genus eſt, quod Torminale Sorbum à Plinio vocatur, remedio probabile, quia fortè contra ventris tormina valet. Potum etiam quondam ex Sorbis factum fuiſſe, Virgilius teſtatur III. Georgicon.

——pocula læti,
Fermento, atque acidis imitantur vitea Sorbis.

His ſuccedant Corna, nullo quidem in menſarum honore, ſed ſimilem facultatem adſtringendi obtinent, à plebeis tantùm, & guloſis pueris auidè vorantur. Fit ex baccarum illius pulpa,

obsonij quoddam genus à cydonite non multum distans: cu saccharo enim succus coctura inspissatus, qui præterqua quod acidulo sapore gratus sit palato, Dysentericis vtilissim & fœminarum profluuijs exhibetur.

CAPVT XXXIV.

Arabes malè de pomis iudicant. Seruata in hyemem salubri. Diuersas qualitates habent, quia non simplex illis genus. Appiana mala. Melimela.

HActenus de fugacibus Pomis egimus, quæ nullam m ram patiuntur, & in gustu apponi solent, nunc reliq dicenda, quæ peculiariter secundas mensas instruunt, quæq propriè Græci μῆλα, Latini Mala & Poma vocant; M. Varr lib. IV. de lingua Latina. *Æoles μᾶλα dicunt, vnde Latina vox.* n tura illorum non simplex, nam & genere sunt varia, multum que inter se viribus differunt. quædam enim sunt, quæ sap rem habent austerum, alia acidum, vel dulcem, nonnulla his mixtum. quo fit vt austera, frigidum terrenumq; succu pariant, acida autem frigidum sed tenuem; dulcia verò m diam obtinent temperiem; nonnihil tamen ad calorem inc nant. quare inconsultè faciunt, qui de pomorum viribus, iud cium, nulla distinctione adhibita, ferunt. Arabes sinistrè a modum de illis sentiunt, inter quos Auerroës v. colliget ca XI. *poma generant grossam ventositatem, in secunda & tertia digest ne, & possunt inducere Phtisim & Hecticam: quia flatus ab illis ele tus, habet proprietatem ad erodendas arterias Pulmonis.* Sed cu veritate eius opinio pugnat; Malorum esum Phtisim aut H cticam inferre; nisi fortè ex accidenti, in quantum flatib abundant, quibus scatent, priusquam vel in arboribus per ctam maturitatem adepta fuerint, aut seruata in hyemem los magna ex parte exuerint. Flatus enim in venis conclu dister

diſtendendo illas facilè rumpit, inde ſanguinis ſputum, à quo Phtiſim, mox & Hecticam oriri in confeſſo eſt. itaque non inducent poma Phtiſim per ſe, niſi quis intemperanter ijs ſe ingurgitauerit, & immaturis ſe expleuerit. Seruata enim in hyemem, vitioſum illum ſuccum flatuſque depoſuerunt. auctor enim eſt Galenus, conſilio pro puero Epileptico, cap. v. eadem poma quæ recenter à matre ſunt decerpta, & quæ domi depoſita reſeruantur, permultum inter ſe differre, nullamque inter ſe ſimilitudinem habere. quod & Iuuenalis Satyra XI. bene docet.

Æmula Picenis, & odoris Mala recentis
Nec metuenda tibi: ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.

Dulcia etiam Poma illud vitij in ſe non recipiunt, quod calidiora, ideoque minus flatuoſa; itaque Auerroës non eſt de illis intelligendus, quę minimè ſunt flatulenta, qualia ſunt, quæ in hyemem & ver ſeruantur, ſed de Auſteris, acerbis & immaturis, quæ etiam non poſſunt tales noxas inducere, niſi quis ſe immodicè ijs expleuerit.

Simeon Sethi, proprietate quadam neruis obeſſe ſcribit; Rhaſis ad Almanzorem, implere poma viſcoſis humoribus ſtomachum: in Aphoriſmis verò, poma acria obliuionem inducere aſſerit. Sed cuncta hæc ab ouo velle reijcere, non eſt præſentis inſtituti. Docebo tantùm ex Galeno, quodlibet genus mali in ſuo genere, non ſpernendas dotes obtinere, nec à menſarum honore repellenda. Auſteris pomis vtendum, cùm ventriculus vel propter calidam intemperiem, vel copioſam humiditatem imbecillus fuerit. Acidis verò, quando craſſum ſuccum qui non magnopere frigidus fuerit, in ſtomacho collectus fuerit, aluum quidem humectant & deiectiones mouent, incidendo craſſos humores, qui in ventriculo ſunt; quòd ſi verò ventriculum purum & praui humoris expertē inuenerint, ventrem magis ſiſtent. Dulcia autem mala cum ad calidam

qualitatem vergant, frigido ventriculo conueniunt, & ven trem ſoluunt, minimèque inflationes mouent,ac ſaluberri ma habentur, qualia ſunt Hiſpanis Camoeſa, Gallis Curtiper dula, quæ fortè eadem cum Appianis malis ſunt, quæ ſecun dum Plinium, cotoneo inſito, ab Appio è Claudia gente, Ap piana ſunt cognominata: odorem enim cotoneorum, colo remq; caro oſtendit; quæ non immeritò inter Cardiaca vulg recenſentur. duratque illorum vſus in proximum ver. Sun quędam aquei ſaporis,quem ἄποιον vocant, omnis penè qual tatis expertia, quæ neque ſapore aliquo iucundo, neque ma nifeſta aliqua qualitate prædita,vel ſtomachum roborant, v fluentem comprimunt; prorſus hæc ſpernenda.

Vitanda verò omnia, quæ nec à ſole nec ab ætate, mat ritatem acceperunt, frigidum enim ac craſſum ſuccum ſ lent gignere, quæ verò in proximum ver ſeruantur, ea ſa pè in morbis, Galeno teſte, maximum adferunt præſidium modò vel in cineribus aſſentur, aut bullientis aquæ vapor bus percoquantur, quæ poſt cibum ſtatim danda conſul vt ventriculo robur addant, & orexim excitent, cocti enim omnem flatum exuunt, cuius cauſſa malè paſſim a diunt.

Olim maximo in honore fuerunt Melimela. Plinius. *Mu à celeritate miteſcendi,quæ nunc Melimela dicuntur à ſapore dulc* quibuſdam autem teſte Dioſcoride, Glycimela à dulcedine ᵭta; de his Martialis.

Dulcibus aut certent, quæ Melimela fauis.

Aluum mouere, & lumbricos pellere, ſed ſtomacho noce tradit Dioſcorides.

CAPV

CAPVT XXXV.

Peloponnesus cur olim Apia vocata. Auicenna Pyra præfert pomis. Coli dolores inducunt. Fungorum veneno resistunt. potus ex pyris malisque confectus.

QVæ de Malis diximus, si ad Pyra transferantur, nullo alio sermone opus erit; nam in his quoque alia sunt dulcia, alia acerba, quędam acida, nonnulla austera, pleraque verò mixti saporis. Græci ἄπια vocant. à quorum copia nobilissimam Gręciæ partem, Pelopponnesum Apiam olim nuncupatam refert Athenæus libro XIV. ex opinione Istri in Argolicis. vsus illorum longè gratior quàm Malorum, mensisque lautioribus magis expetitus. Succi bonitate auctores quidam pomis præferunt, vt Auicenna testatur, ex opinione Rufi Ephesij. certè ventriculi iuuandi facultate commendantur in paucis. vis enim omnibus adstringendi manifesta, quare ventrem sistunt ante alios cibos ingesta, si verò epulæ illis claudantur, aluum soluunt, pellendo alios cibos deorsum.

Plinius auctor est, Pyrorum cibum etiam valentibus esse onerosum, ægrisque vini modo negari: decocta eadem mirè salubria & grata esse. Simeon Sethi crebrius esitata, & ad satietatem ingesta, Colicos affectus excitare scribit; Auicenna etiam à proprietate dolores coli inducere auctor est, quare post illorum esum, Hydromel cum pipere & cinnamomo superbibendum suadet (nam Mauris vinum bibere lege erat cautum) quare prudentiores illud superbibendum dicunt, iuxta vulgarem versiculum.

Post Pyra presbyterum quære, vel adde merum.

Nobilitantur etiam pyra Fungorum remedio, penè admi-

rabili, quos pondere quaſi, pugnanteque ſucco ad aluum pel-lunt. Philotimus apud Athenæum lib.III.aſſerit, Mala Pyris in totum difficilius coqui, & ſi quis pauciora mala comedat, in illis conficiendis laborare plus, ſi plura item pyra ſumpſe-rit, minus. experientia tamen oſtendit, valentioris pyra eſſe alimenti, quàm mala, & ſubſtantiæ magis denſæ.

Apud antiquos quondam maximo in pretio erant Signi-na, Falerna, Cruſtumina, Picena, aliaque à Plinio lib.xv. fusè enarrata. erant etiam Libralia appellata, quæ ex ponderis am-plitudine ſibi nomen aſſeruerant: eiuſdem etiam nominis ho-die in Belgica ſunt, quæ aſſa vel in furno cocta, lautiſſima cen-ſentur. noſtro ſæculo celebrantur Moſcatula, Bergomatia, Gra-tiola, & Bonchriſtiana ex Gallia ad nos aduecta, quæ in ad-ultum ver ſeruari ſolent; nam varia illorum genera velle re-cenſere, quæ apud ſingulas gentes in pretio ſunt, infiniti eſſet laboris. Cruda æſtiuo tempore, ſtomacho ſunt gratiſſima, præſertim ſucculenta: hyberno verò, aſſa vel elixa menſis inferuntur, vino enim & aqua cocta pulmentarij vicem im-plent. in furno etiam ſiccatis gratia eſt non minima, quæ etiam contra alui profluuia commendantur.

Cantabri & Nortmanni, quibus vinum cœli inclemētia ne-gauit, ex pyris, pomiſque potum conficiunt, non iniucundum: quem ignaris conuiuis vini loco ſæpe ſubijciunt, adeo vt qui minus erudito ſint palato, vix fraudem deprehendant. quod non nouitium eſt inuentum, ſed iam Plinij ætate in vſu fuiſſe ipſe teſtatur lib.xiv.cap.xvi. *vinum fit & è ſiliqua Syriaca, & è pyris, malorumq́ omnibus generibus.*

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Cotonea, Cydomala & Codymala. Virgilio Mala Cana. Chrysomela. probatur esse Aurea Mala veterum. Struthea. Mustea. odore suo commendantur. Veneni vim obtundunt. Cydoniatum.

GRæci Cotoneum malum κυδώνιον à Cydone Cretensium vrbe præcipua dixere. aliqui etiam Codymalum siue Cydomalum. Virgilius in Bucolicis per παείφρασιν, Mala Cana vocat.

Ipse ego Cana legam tenera lanugine Mala.

Eò quòd inter cætera, multa lanugine sint conspicua. genera eorum sunt plura, sed tria præcipuè à Columella & Plinio recensentur. Chrysomela, Struthea, & Mustea. Chrysomela incisuris distincta colore ad aurum inclinante, vnde illis nomen. de quibus Poëtam dixisse reor.

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Plurimi de Citreis hoc dictum volunt. quod tamen mihi nulla ratione persuadere possum; siquidem Citria nunquam Chrysomela vocata, vt Cydonia, quod aurei coloris essent. eadem etiam Hesperidum mala dicta, quod Citrijs etiam non conuenit; illa enim non ex Africa, vbi Hesperidum horti, sed ex Media translata sunt. accedit Virgilij tempore non fuisse in Italia arborem Citrum: immò ne Plinij quidem ætate, vt suo loco docebo, vt Pastori obuia essent pretiosa illa poma, quæ amicæ mitteret; sed procliuius erat illi Cydonia mittere, quæ passim nascebantur. Sed ipse Poëta totam hanc litem videtur dirimere.

Men: Quod potui, puero siluestri ex arbore lecta,
Aurea mala decem misi.

Siquidem Citria nulla tunc temporis erant siluestria, immò ne in

ne in hortis quidem in Italia naſcebantur. extra enim Orien-
tem nondum erant propagata. Cydonia verò paſſim prouenie-
bant; & in ſæpibus teſte Plinio naſcebantur, itaque Poëta de
cydonijs non de Citrijs audiendus. accedit etiam quod Romæ
in Curia Conſeruatorum, Herculis ſignum æreum erat manu
geſtans tria mala Cotonea, quæ peritiores iudicabant eſſe Au-
rea, vel Heſperidum mala, vt auctor eſt Pierius Valerianus in
Hieroglyphicis. Sed de his hactenus. prӕter Chryſomela, erant
Struthea vel vt alijs placet, Struthia. Galeno & Theophraſt.
teſtibus videntur à Cydonijs differre, ſiquidem ille lib. de Al.
ment. facult. cap. XXIII. περὶ κυδωνίων καὶ στρουθομήλων inſcripſit
Theophraſtus verò lib. II. de Hiſtoria plantarum cap. III. dicit
ex Strutheis Cotonea naſci, tanquam diuerſa eſſent. lib. tamen
VI. de tuenda Sanitate, Cydoniorum ſpeciem Struthia facit
quæ maiora & dulciora ſunt, Plinius contra, minora dicit li.
XV. cap. XI. *Minora ex eodem genere Struthea, odoratius vibrant*
ſerotino prouentu. Muſtea verò vocari quæ præcocius proue-
niunt. erant præterea ſylueſtria parua, à Strutheis odoratiſſim.
in ſepibus naſcentia. noſtra ætas duplex tantum genus agno-
ſcit, vnum rotunditate inſigni, odore ſuaui, vireſcenti colore
corioque lanuginoſo, quod nonnulli Maris cognomine in-
digetant. alterum quod fœminæ appellatione notatur, cum
poma grandiora, oblongiora, aureo colore, figura turbinat.
potiſſima omnium facultas, in ventriculo eſt roborando, quæ
ſi cæteros cibos præmanſa anteuertant, aluum adſtringunt
ſi verò poſtea edantur, cibum morantem depellunt; quod
copioſius ſumantur, colicos ſæpius cruciatus excitant, ſiqui-
dem naturæ ſunt frigidioris, idque quò magis ſunt auſte-
ra acidave. quæ verò dulcedinis plus participant, vt Stru-
thea, magis ad calorem vergunt, nec tormina adeo excitant
ſed minus etiam reſoluto ventriculo roboris addunt, nec p-
res cum cæteris cydonijs adſtringendi & refrigerandi do-
habent.

Cæli

Cæliacis & Dysentericis egregiè conducunt, & vomitibus assiduis: odore suo mirè cordi & cerebro subueniunt, vnde etiam quondam in virorum salutatorijs cubilibus inclusa, & simulachris noctium conscijs imposita spectabantur, vt auctor est Plinius, hodieque obseruari hoc passim videmus, quin & vestibus interponuntur. Phylarchus apud Athenæum, lethalium medicamentorum vim, cydoniorum fragrantia hebetari tradit. Pharicumque præsentaneum venenum, iniectum canistro, cydoniorum tantum odorem redolente, euanidum factum fuisse, & maleficam suam vim amisisse, nullamque noxam percepisse, quibus insidiæ erant comparatæ: illorum etiam vis maximè fertur resistere Hellebori albi succo, quo venatores in Hispania sagittas illinunt, hic enim Ceruis lethalis si modo ad venas penetrauerit, qui si mali cydonij fragrantiam præsenserint, Veneni vires prorsus obtundentur, nec ab illo lædentur.

Addit Simeon Sethi, si Cotonea in parturientis ædes perlata fuerint, partum non solùm remorari, sed difficilem & laboriosum reddere; quibus tamen si gestationis tempore, crebrò vsa prægnans fuerit, fœtum futurum ingeniosum. Sed plura transscribo quàm credo.

Raro cruda in cibum veniunt, decocta verò hyeme cum Saccharo & cinnamomo, summam in mensis authoritatē obtinent. sed maxima illorum gratia est si Saccharo condiantur, non secùs ac veteribus mos erat melle condire. Galenus auctor est, ex Hispania Romam quotannis deportari consueuisse edulium quoddam, μηλοπλακοῦντα dictum, quod ex melle & carne cydoniorum leuigata componebatur. Sed nostro sæculo, multò suauius Hispania Cydoniatum ex Saccharo componit, immò tota Italia, Gallia, & Belgica id nunc paratur, quod egregiè stomachi languoribus, & Malaciæ confert, nec vllum est opiparum conuiuium quod illo edulio non exornetur; sed obseruandum quanto plus Sacchari cydonijs additur, tantum ex il-

lorum viribus detrahitur. Seruantur etiam Saccharo condit non ſecus ac olim melle, quod Martialis obſeruauit.

Si tibi Cecropio Saturata Cydonia melle,
Ponentur, dicas: hæc Melimela mihi.

Galenus etiam diacydonitem parabat ad appetentiam de iectam, quod non ſolùm ex melle & Cydoniorum ſucco, v carne conſtabat, ſed etiam admixtum habebat Piperis alb Zinziberis, & aceti tantillum.

CAPVT XXXVII.

Malum Punicum, Granatum, Sida. Apyrina. varijs Dij adpingitur. Punici genera diuerſa.

PVnicum Malum, & Granatum nuncupatum, Iſidorus Malogranatum vocatum dicit, à Granorum multitudin non à Granata Hiſpaniæ vrbe, vt nonnulli nimis imperitè aff runt, ſiquidem nomen hoc illi inditum, ante conditam Gran tam. Punicum verò dictum, quod circa Carthaginē Punicā vrbem, laudatiſſimū prouenit, Gręcis Ῥοιὸν dictū à Bœotijs ve rò Σίδη, vel Sida nūcupatur, vnde & regioni cōterminæ nom inditū. de cuius poſſeſſione, cùm inter Bœotios & Athenie orta lis eſſet; Epaminondas in ea controuerſia, patriæ cauſſ defendens, prolato Malo Punico, Athenienſes rogauit, quo n mine id pomum vocarēt: illi ῥόιον dixerunt, nos verò, inquit, S dam: atque ita cauſſam obtinuit, vt refert Athenæus ex Ag tharcide. Columella eleganter arborem & fructum deſcribit

Mox vbi ſanguineis ſe floribus induit arbor
Punica, quæ rutilo miteſcit tegmine grani.

Summa eius genera duo ſunt, alteri nucleus ineſt ligno ſus, Σκληροκοκκὸν ob id vocatum; alteri verò non adeſt aut ce tè minimus, vnde Α'πύρηνον dictum, ſed candidiora hæc ſunt, mollioribus acinis, minuſque amaris diſtincta membranis; quibus Martialis lib. XIII.

Li

Lecta suburbanis mittuntur Apyrina ramis,
Et Vernæ Tuberes. quid tibi cum Libycis.

Satam primùm in Cypro ferunt hanc arborem à Venere, vt Græcorum testantur fabulæ; frequentiùs tamen Iunoni appingitur, sæpissimè verò Cereri: in memoriã fortè eius luctus, quod proserpina à Plutone rapta, & à matre repetita, eandem à Ioue obtinuit ea lege, si nihil apud Inferos degustasset: sed cùm inuenta fuisset mali Punici granis ieiunium soluisse, apud Plutonem mansit. Ouidius IV. Fastorum.

Rapta tribus, dixit, soluit ieiunia grauis,
Punica quæ lento cortice poma tegunt.

Plinius quinque Granatorum præcipua genera enarrat, Dulcia, acria, mixta, acida, & vinosa. lib. tamen XXIII. cap. VI. nouem genera dicit alibi numerata. Dioscorides verò strictiùs, ad tria tãtum redegit: dulcia, acida, & vinosa; acre enim cum acido, mixtum cum vinoso, breuitati studens coniunxit. ex his saporibus, illorum temperatura & facultas inuestigari potest. Quæ enim sunt dulcia, temperamento sunt calidiori; Acida verò refrigerandi vim habent, vinosa verò medio se modo habent. Dulcia stomacho vtiliora scribit Dioscorides; in febribus tamen vitanda, quod stomacho calorem aliquem inducant, & inflant, à quo miror Plinium dissentire, lib. XXIII. cap. VI. *ex his dulcia quæ alio nomine Apyrina appellauimus, stomacho inutilia habentur, inflationes pariunt, dentes gingiuasque lædunt.* Acida verò stomachi ardoribus prosunt, maioresque ad reprimendam & ciendam vrinam vires habent. omnia tamen facultatem adstringentem obtinẽt, teste Galeno lib. VIII. simpl. med. Sed non in omnibus ea superat. ad Cardialgiam verò quæ à prædominante bilioso humore oritur, summopere mala Granata prosunt, testatur hoc noster Hipp. lib. II. epid. *Mulier*, inquit, *Cardialgia torquebatur, nec prius malum est sedatum, quàm Polenta succo Punici mali aspersa semel die vteretur, reliquis cibis abstinens.*

Optimus enim eſt cibus malum Punicum, bilioſo ſtoma-cho, roborat enim illum, & peccantem humorem deorſum pellit; certum tamen eſt, quam minimum corpori alimentum præbere, idque medicamentoſum potius. Simeon Sethi addit omne Mali Punici genus Veneris impetus compeſcere, præ-ſertim in illis qui temperatura ſunt frigidiore.

Arboris etiam huius flos in Medicina eſt vtilis, nec minus cortex. Satiuæ quidem flos Cytinus, Sylueſtris Balauſtium dicitur. Vim adſtringentem habet inſignem, vterque Hemor-ragijs vtiliſſimus, gingiuis & dentibus medetur. Cortex ver. Malicorium appellatur, ad denſanda coria vtilis, ad oris etiam vitia prodeſt.

CAPVT XXXVIII.

Citria olim tantum in Perſide naſcebantur. Mala Medica Perſica. Apulei & Macrobij lapſus. Citri nomen vnde inditum. non eſſe Mala Aurea. ſero in Italiam traducta Venenis reſiſtunt. in varias ſpecies propagata. Iani Cor-narij error.

SVperſunt nobiliſſimæ arbores aliquot pomiferæ, cum fru-ctibus ſuis explicandæ: quæ licet frigidioribus hiſce regio-nibus difficile proueniunt, vt ſunt Citrus, Ficus, Palmulæ, & Vuæ, de his tamen dicendum: tum quia non ſolis Belgis ſcri-bimus, tum quod impenſa cura, in hortis frequenter hîc etiam naſcuntur. Citrus autem peregrina quondam arbor, & in Oriente tantum naſci voluit, in ipſa Media, Aſſyria & Perſide ſcilicet; vnde & Perſica, Medica, vel Aſſyria Malus dicta. Licet Seruius commentario ad 11. Georg. Virgilij, refert, Apuleium in libris quos de Arboribus ſcripſit, docere, Citrũ longè aliud genus arboris à Medica eſſe; ſed ſcriptorum conſenſus opinio-nem eius refellit. Heſychius verò Indicum pomum vocat

Κιτρ

κιτρίον τὸ ἰνδικὸν μῆλον, vnde id hauſerit, neſcio. Macrobius lib. III. Saturnalium cap. XIX. refert ex ſententia Oppij, ab Homero Citreum malum θύον dici, quod etiam odoratũ ſit pomum. ſed tota antiquitas reclamat. ſiquidem Homeri tempore Citrium malum necdum erat Græciæ notum. Plinius certè lib. XIII. cap. XVI. longè diuerſam arborem Thyam vel θύον Homeri, à Citro dicit, & Cedri ſpeciem videtur ſtatuere, quæ etiam odorata eſt. quo tempore verò Citri nomen in vſum venit, incertum eſt, & apud Athenæum lib. III. anxiè ſatis diſquirunt Dipnoſophiſtę: poſt multa, concludit veteribus nomen id ignotum fuiſſe, ſed tantum cognitum ſub Perſici aut Medici Mali nomine. Phanias verò Ereſius, dicit Citrium à Cedro, tanquam Cedrium nominatum, quod & Iſidorus tangit, de Medica arbore. *Hanc Græci κεδρόμηλον, Latini Citriam vocant, quod pomum eius ac folia, Cedri odorem referant.* multi Aurea Mala fuiſſe olim dicta, non inanibus coniecturis ſuſpicantur. Martialis huc reſpexit lib. XIII. lemmate de Malis Citreis.

Aut Corcyrei ſunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Maſſyli poma Draconis erant.

Dipnoſophiſtæ apud Athenæum, ferunt hæc poma apud Libyas vocari Heſperidum mala, inde ab Hercule in Græciam tranſlata, Aurea vocata. Sed cum Citria non venerunt ex Africa, ſed ex Media, non poſſunt Aurea dici, ſed Cydonia vt diximus. Virgilius luculentis verſibus, arboris huius formam, doteſque depingit lib. II. Georgicorum.

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba;
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbor, faciemque ſimillima Lauro.
Et ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat, folia haud vllis labentia ventis.

Flos apprima tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Succedens mox ætas per insitionis industriam, siue vt Plinius vocat, naturæ adulteria, in varias species Citrium distinxit: Aurantia, Limones, Citrios, Limas, Torongias, aliaque nomina diuersæ gentes imposuerunt. antiquis temporibus plures populi conati sunt arborem hanc ad se transferre, sed frustra; sero tandem in Europam venit, quod nisi post Plinij ætatem factum puto. ita enim ille lib. XII. cap. III. *Tentauere gentes transferre ad sese, propter remedij præstantiam, fictilibus in vasis dato per cauernas radicibus spiramento: qualiter omnia transitura longius. seri arctissimè transferrique meminisse conueniet, vt semel quæque dicantur. Sed nisi apud Medos, & in Perside nasci voluit.* Paulò ante Palladij tempora, videtur in Italiam peruenisse, vt ex eius scriptis licet colligere, ita enim ille in Martio, cap. de Citrio. *Talea eius siue Claua, calidissimis regionibus, & per Autumnum ponitur. Frigidissimis Iulio & Augusto positas; & quotidianis rigationibus animatas, ipse vsque ad poma, & magna incrementa perduxi.* quod non referret tanquam nouitium inuentum, si vetustior paulò cultura eius fuisset. Paulatim per Hispaniam, Italiam & Galliam fuere propagata. Theophrasti ætate, pomum eius nequaquam erat vescum, sed ne Plutarchi quidem, vt Athenęus commemorat. Parthorum proceres, grana eius duntaxat esculentis solebant incoquere, commendandi halitus gratiâ, vt auctor est Plinius. venenis aduersari veteres omnes asserunt, quod etiam Virgilij versus confirmant. Athenæus celebri exemplo hoc adstruit: edoctus à ciue quodam suo, cui Ægypti fuerat mandata administratio; is quosdam sceleris conuictos, serpentibus iusserat obijci: qui cùm ad supplicium ducerentur, in itinere oblatum fortè à caupone Citrium comederant, in Theatro mox ferocissimis serpentibus obiecti & ab Aspidibus commorsi, nihil noxæ senserunt, summo cum Præfecti & adstantium stupore; interrogati milites, num Antidotum

dotum præſumpſiſſent, qui cùm rem geſtam narraſſent. altero die, vni illorum Citrium præberi iuſſit, alteri negatum. ac denuo in Theatrum ducti; qui Citrium ederat licet commorſus, nihil incommodi paſſus fuit, alter verò illato ictu confeſtim perijt: quo experimento innotuit Citrium venenis aduerſari. Simeon Sethi, ſemen eius cõtra venena, & venenatorum morſus præſertim Scorpionum, & potum & ſuperpoſitum reſiſtere tradit. ex eius ſucco Serapium paratur nunc paſſim, aduerſus malignas & peſtiferas febres præſtantiſſimum remedium, & cordis affectibus valde conueniens. illius etiam caro eſtur, ſed ignaui eſt ſaporis, quare Saccharo conditur, atque in delicijs habetur. cortex verò aromaticum quid ſpirat, ſtomacho & cordi amicus, concoctionem etiam promouet, modò quis modicè eo vtatur; ſi verò quis liberalius illo ſe expleuerit, craſſam pituitam gignit & difficulter concoquitur.

Simplex tantum malum Citrium olim innotuerat: noſtro verò æuo, diuerſæ eius ſpecies propagatæ, ſiue id inſitione, ſiue tranſlatione, aliave cura, aut Mangonio factum: Aurantia & Limonia præcipuas partes obtinent.

Aurantia, quæ quod maximè colorem auri fului referant, ſic dicta putantur; cortice aromata mirificè redolent, ſubamaro ſapore linguam & palatum vellicante, vnde colligimus, plus illis ineſſe caloris quàm Citrijs. Dulciarij corticem exſiccatum Saccharo obducunt, frigeſcenti ac languido ventriculo, remedium optimum. ſuccoſa verò eius pars, acido, dulci aut mixto ſapore diſtinguitur, qui vires obtinent diuerſas, pro qualitatis ſuæ ratione; vt dulciora cæteris magis calefaciant, alia magis vel minus refrigerant. prout magis ad dulcedinem accedunt; quocirca febricitantibus ad ſitim extinguendam, optimè exhibentur acida, vel mixti ſaporis, quorum etiam ſuccus, pro intinctu ſuauiſſimo paſſim in delicijs.

Non possum non mirari Ianum Cornarium virum doctissimum, lib. 11. commentariorum, ad libros Galeni de compositione Medicamentorum secundum locos; in ea fuisse opinione, vt crediderit Mala Cestiana, & Matiana fuisse nostra Aurantia; quòd ea frequenter cum malis Punicis Galenus coniungat; tanquam non multum viribus & potentia ab illis distent. Sed toto cum cœlo aberrare, vel ex eo constat, quod teste Plinio lib. xv. cap. xiv. à Cestio & Matio auctoribus suis, nomen poma illa sortita sunt, non secus ac à Manlio Manliana, ab Appio Appiana. quo tempore necdum Citrum Italia viderat, nec poma ex illa arbore legerat. nam Plinij ætate extra Orientem non prodierat, nec insitioni locum dederat, vt suprà diximus.

Limonia verò Citrijs & Aurantijs gustu acidiore sunt, & ob id succo frigidiore constant, luteo sed diluto magis colore spectantur. caro illis exigua, cortex pænè inutilis, nisi Saccharo conditus: succo eius pro oxyporo suauissimo, ad carnes vel pisces vtuntur omnes: restinguendæ sitis & temperandæ bilis caussa, ægri sanique promiscuè vtuntur. insignis incidendi & attenuandi illi vis inest, instar acerrimi aceti, quare & Margarita in illorum succo dissoluuntur, & ouorum putamina mirum in modum emolliuntur; Serapium etiam ex illorum succo paratur febribus ardentibus aptissimum. Lautiores cum vino & Saccharo conuiuijs inferunt. Nostro æuo Limonia inuenta sunt nouo artificio, sapore dulci, quæque omnem aciditatem exuerunt: sed succosa eius pars Aurantij colorem referre videtur: aliqui Limas vocant, ob nouitatem pluribus expetuntur, sed Limonibus longè inferiores.

Ioannes Meursius in Glossario Græco-barbaro, λαιμόνιον, *Italicum Limone. Malum Hesperium*; Sed vetus hæc opinio suprà est reiecta.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Palmarum genera vnde-quinquaginta. recentes noxiæ, capitis dolorem inducunt, & viſcera obſtruunt. Caryotæ. Thebaicæ, Nicolai, in honorem Nicolai Damaſceni dictæ. Statius explicatur. Elatæ. Spatha. Palmæ Cerebrum.

PAlmas Græci φοίνικας, vulgares Dactylos nuncupant; Oriens has mittit, ſed illarum præcipua nobilitas in Syria: vnde-quinquaginta illorum genera fuiſſe, Plinius refert: ex quibus nullum Europæ, à propitio vel irato numine datum equidem dubito; multæ enim magnæque illarum dotes, ſed nec minora damna, vt in diſcurſu memorabimus; Arbores tamen habemus ſed ſteriles, nuſquã enim fructiferæ, niſi in feruidis regionibus, ſi verò alicubi contingat fructum ferre, rarò ad maturitatem peruenit. Recentibus nemo citra diſcrimen veſcitur; in Gedroſiis enim Alexandri milites, viridium eſu ſtrangulatos Plinius memorat, quod alibi pomi genere, alibi copia euenit. tanta verò Muſteis ſuauitas, vt finis mandendi niſi periculo fiat. Galenus II. de Alim. facul. cap. XXVI. flatuoſas eſſe, crudos ſuccos gignere, & ad omnia peiores ſiccis eſſe tradit; ſiccatæ verò, licet ſalubriores longè ſint, nec ipſæ noxa carent; difficilis enim ſunt concoctionis, capitiſque dolorem afferunt, ſi largius edantur; quædam etiam mordicationem in ore ventriculi excitant. Succus verò qui ab illis in corpus deducitur, craſſus eſt, & lentorem obtinet, præſertim ſi pomũ pinguiuſculũ fuerit. quod ſi cũ lẽtore ac craſſitie dulcedo fuerit cõiuncta, Lien & Hepar promptiſſimè obſtruentur, vt monent Galenus & Simeon Sethi. eaſdem tamen multũ nutrire ob dulcedinem, certum eſt, modo cùm mediocritate ſumãtur, & ſint valido ventriculo, iecore verò ab obſtructionibus libe-

ro, qui illis vtuntur. Historiæ enim produnt viros sanctitate conspicuos, D. Hilarionem, Paulum, Antonium, inter Palmeta vitam diutissimè hoc vno cibo vixisse.

Dulciores palmulæ in bilem citò mutari creduntur, non secus ac adstringentes in pituitam. illæ plus ad caliditatem, hæ verò ad frigiditatem inclinant. inter has autem & discrimen est, Galenus Ægyptiacas vel Thebaicas & καρυωτὰς recenset: plures autem differentias omittit, quas Plinius suo loco diffusè enarrat. Aegyptias siccas & adstringentes, Caryotas autem molles humidasque & dulces asserunt. omnes tamen adstrictionem quandam & dulcedinem habent, ita tamen vt Caryotæ exiguæ adstrictionis, Thebaicæ obscuræ dulcedinis sint participes. dicuntur autem Caryotæ secũdum Isidorum, quasi Nucales, quod crederet à nucibus, quas κάρυα vocant, nomen sumpsisse. Plinius verò quod capitis dolorem inferant. *Ab his Caryotæ maximè celebrantur, & cibo quidem sed & succo vberrimæ, ex quibus præcipua vina Orienti: iniqua capiti, vnde Pomi nomen.*

In Caryotarum genere sunt Nicolai, reliquis sicciores, sed amplitudinis præcipuæ, sed minùs speciosæ, quas ita vocatas dicit Athenæus, à Nicolao Damasceno Peripatetico. nam cùm is Augustum hoc pomi genere oblectari sciret, frequenter ad illum tales mittebat. Imperator in amici honorem Nicolaos nuncupauit. Plutarchus verò VIII. Sympos. quæst. IV. maximas & pulcherrimas palmulas, Nicolaos dictas in honorem illius Philosophi, quod corpore esset procero, moribus suauissimis, & facie plena punicei ruboris. Romæ olim moris erat Kalendis Ianuariis, Xenij loco Caryotas à clientibus, patronis mitti; Martialis lib. XIII.

Aurea porrigitur Iani Caryota Calendis,
Et tamen hoc munus pauperis esse solet.

Mirabitur non nemo, quomodo hoc munus pauperis esse solet, cùm auratæ Caryotæ potiùs locupletum videtur esse munus; sed leuiter tantùm & ad ornatum erant inauratæ, non secus

cus ac hodierna die ex ſaccharo confecta bellaria, auro obducta menſis inferuntur: adeoq; leuiter erant inauratæ, vt idem Poëta lib. VIII. Sputo aureo illitas dicat.

Hoc linitur Sputo, Iani Caryota Calendis,
Quam fert cum paruo ſordidus aſſe cliens.

Spargebantur etiam Caryotæ in theatris, populo, inter cætera miſſilia, ab imperatore & Principibus Martialis lib. XI. Epigr. XXX.

Et notas Caryotides Theatris.

Statius Papinius, de Sparſione Domitiani,

——— *Latente palma*
Prægnantes Caryotides cadebant.

Innuit Poëta Caryotidas in Sparſione illa Domitiani, inter miſſilia fuiſſe, cum termite, & inuolucro ſuo, quod Dioſcorides ἐλάτην ϗ σπάθην vocat; eſt enim Elate, ſiue Spathe inuolucrum fructus Palmarum adhuc florentium; ſic etiam Iulius Pollux, de Palmæ partibus. ἐξ οὗ κρέμανται οἱ βάλανοι, σπάθη. *ex quo palmulæ dependent, Spathe.* Martialis Lemmate. XXVII. lib. XIII. Epigr. Spathalion Caryotarum vocat; Statij mens videtur eſſe, Caryotidas in Spathalio fuiſſe concluſas. vel vt Cl.[mus] Ianus Caſperius Geuartius in doctiſſimis Papinianis Lectionibus cenſet, quod laterent Caryotides in Palma, ſub aureis illis bracteis, quibus illitæ erant.

In cibos etiam venit Palmæ ipſius ſummitas, quam Græci φοίνικος ἐγκέφαλον vocant, Latini *Palmæ cerebrum.* Xenophon lib. II. περὶ ἀναβάσεως Κύρου, refert Græcos milites τὸν ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος πρῶτον ἔφαγον, *cerebro Palmæ primum veſci cœperunt*; interpretantur alij medullam. Plinius, *Dulcis medulla illarum in cacumine, quod Cerebrum appellant; capiti tamen valdè infeſtum eſſe, & Palmam, cui illud ademptum eſſet, exareſcere*, idem refert Xenophon.

Dentibus autem & gingiuis noxias eſſe palmulas, prodiderunt Scriptorum plurimi, quamobrem ab illarum eſu os col-

 luendum

luendum esse cautiores monent. Pro corollario sit, quod Strabo refert inter Persas carmen celebrari, in quo trecentæ & sexaginta Palmæ vtilitates numerantur, nam ex illa & panis conficitur, Mel item, vinum & acetum, & textilia varia parantur.

CAPVT XL.

Athletæ olim ficubus victitarunt. Plato φιλόσυκος. ἡγητηρία. Ficus Callistruthiæ Passariæ dictæ. pediculos generant. Voci obsunt. quidnam post ficus bibendum. Caricæ & boni & mali succi sunt. Cum Nucibus aut Amygdalis sumptæ saluberrimæ. Mithridatis Antidotum.

INter omnes fugaces fructus, præcipuum honorem iam ab antiquissimis sæculis ficus obtinuerunt, tum ob eximium illarum saporem, tum quod succum minùs vitiosum cæteris generent; alimentum etiam præstantius vnà cum vuis corpori subministrant; nec illud quidem exiguum; nam & Athletæ qui corporis moli, & virium tantùm robori studerent, illis olim victitasse in confesso est, donec Pythagoras, illos carnibus vesci docuit. non quidem Philosophus, sed Alyptes quidam. refert enim Diogenes Laertius in vita Pythagoræ, fuisse Pythagoram quendam Alyptem qui Athletas carnibus nutriuit. Plinius lib. XXIII. cap. VII. de ficubus. *Corpus & vires adiuuant, ob id Athletæ hoc cibo pascebantur; Pythagoras exercitator, primus ad carnes eos transtulit.* etiam Athenæus Anchimolonem & Moschum Sophistas in Elide, solis ficubus vixisse, nec ideò corpore minùs valido fuisse; sed manasse illis sudorem adeò graucolentem, vt in balneis molestiam omnibus adferrent. Platonem etiam nobilem illum Philosophum, ficubus adeo delectatum ferunt, vt φιλόσυκος cognominatus fuerit, Herculem etiam virides ficus, cùm bubula

bula edisse scriptores tradunt. Sed quanta apud Græcos in æstimatione fuerint, versus Ananij Poetæ docent, quibus auro ficus præstantiores asserit.

Εἴ τις καθείξε χρυσὸν ἐν δόμοις πολλόν
Καί συκα βαιά, ϗ δὺ ἢ τρεῖς ανθρωπους,
Γνοίη χόσω τα σῦκα, τοῦ χρυσου χρέοσσω.
In ædibus aurum multum si quis concluserit
Et paucas ficus, duosque vel tres homines,
Quanto ficus auro sint præstantiores intelliget.

Athenienses verò ἱερὰν συκῆν vocarunt locum, vbi primum ficus reperta fuit, in memoriam gratissimi fructus, quem ideò ἡγητηρίαν, teste Athenæo vocarunt, quasi vitæ elegantioris Ducem; initio enim homines quernis glandibus vescebantur, donec in ficum inciderunt, quam relictis glandibus probarunt: vnde solenni festiuitate quam Πλυντήρια vocabant, ficuum massam gestabant. Hysichius. ἡγητηρία παλάθη σύκων. ἐν γὰρ τῇ ἑορτῇ Πλυντηρίων, φέρουσι παλάθην συγκειμένην ἐξ ισχάδων. διὰ τοῦ τοὺς αὐτόχθονας ἥμερον καρπὸν φαγεῖν πρῶτον τῶν σύκων. *Hegeteria massa ficuum, nam in festo Plyntheriorum, gestant massam compositam è ficubus, eò quòd indigenæ primum fructum mitem ficuum comederint.*

Numerosa illorum genera à Plinio & Athenæo recensentur, quæ tædiosum esset persequi; sed lubet Columellæ versus adducere, quod breuiter præcipua enumeret.

At grauis Arcturi sub sydere parturit arbor
Liuia, Chalcidicis, & Caunis æmula Chias.
Purpureæq; Chelidoniæ pinguesq; Mariscæ,
Et Callistrutis roseo quæ semine ridet,
Albaque, quæ seruat flauæ cognomine ceræ
Scissa Lybyssa simul, picto quoque Lydia tergo.

Athenæus inter omnes palmam dedit Callistruthiis, quas tamen Plinius non multum sapore præstare, immò ficuum omnium frigidissimas vocat. Iulius Capitolinus in vita Clo-

dij Albini, vocat illas Passarias. *Nam & quingentas ficus Passarias, quas Græci Callistruthias vocant, ieiunum comedisse dicit.* Sed vnde Passariæ dictæ, hactenus non liquet. Martialis Chias laudat.

Chia seni similis Baccho, quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat & ipsa salem.

Habent hoc cum cæteris Autumnalibus fructibus commune ficus, quod non potuerint succi malitiam effugere, minùs tamen illius participant: ventrem promptè permeant, abstergendi enim vi egregia pollent, siquidem etiam post illarum esum, Nephritici copiosas arenulas excernunt, corpori verò nutrimentum præbent copiosius reliquis fructibus; vnde vinearum custodes, pinguiores ex ficuum esu tradunt euadere; sed quia caro illa non firma sed sublaxa, ideò statim gracilescere, & ad pristinum corporis statum redire, auctor est Philotimus apud Athenæum. qui verò liberalius illis se impleuerint, in pediculorum copiam incidunt, quoniam sanguinem nō probum generant, vt auctor est Gal. II. de Alim. facult. cap. VIII. Sed Auicenna, non adscribit hoc cacochymiæ, quæ ex ficuum esu prouenit, nam boni illas esse succi affirmat; sed quod habeant vim mouendi tenues humores ad cutem, vnde & Plinius, sudorem illas mouere papulasque asserit. quod etiam in variolarum Morbillorumque curatione, longa nos experientia docuit. Sed hallucinatur in eo Auicenna, quòd boni succi illas dicit, cùm pediculos non ex bono & laudabili sanguine, sed ex vitioso prouenire certum est. pectoris etiam & pulmonis vitiis opitulantur; voci verò contrarias esse auctores tradunt. vnde Demetrius Scepsius scribit, eos qui ficubus abstinent, esse magis vocales; ideoque Hegesianacta Alexandrinum, egregium Tragœdiarum actorem euasisse, voceque mirum in modum fuisse sonora, quod per duodeviginti annos ficum non gustasset.

Moris olim fuit, ficus cùm sale, aceto vel garo ante alios cibos edere, vt refert Galenus, & Philotimus apud Athenæum, qui

qui Thymũ loco Gari addit, quia ficus admixtis attenuantibus permeant faciliùs, nec iecoris aut lienis obstructiones inducunt, quòd dulcibus omnibus familiare esse solet: plurimi nostra ætate, ideo ficubus cùm sale aut pipere vescuntur.

Quid verò post ficuum esum bibendum sit, anxiè disputatum video: alij enim aquam, alij vinum, aliqui etiam calidum, alij frigidum. Athenæus Heraclidæ Tarentini disputationem lib. III. hac de re recenset. Italorum plerique vinum bibunt, vt illarum cruditas corrigatur, & faciliùs per ventrem descendant; Hispani verò, quòd calidiorem regionem incolãt, aquam affatim bibunt, vt aquæ pondere quàm citissimè è ventriculo pellantur. non quòd virides ficus sitim excitent, vt vulgus imperitum malè sibi persuadet, nam teste Plinio, *ficus virides sitim sedant*, quod ex Hippocrate lib. II. de Diæta hausisse videtur, σῦκα χλωρὰ ὑγραίνειν. Sed verissimum est, Caricas siue siccatas ficus, sitim inducere, de quibus nunc tempestiuum est aliquid dicere.

Caricas Græci, ἰσχάδας vocant; Atticæ ante omnes celebrãtur, quas Regum Persarum mensis appositas fuisse, cum lectissimis aliis bellariis prodiderunt: inter illas autem, præstantissimas vocabant Αἰγιλίδας, ab Atticæ oppido, cui ab Ægillo quodam Heroë nomen fuit. Refert Athenæus l. XIV. Xerxem Persarum Regem, Caricarum Atticarum iucundo sapore, ab Enucho incitatum fuisse vt bellum contra Athenienses susciperet. Clemens Alexandrinus lib. II. ca. I. Pædagogici, *propter caricas Chelidonias, in Græciã venit infelix Persa cum quinquies mille millibus*. Lege etiam cautũ erat, ne quis ex Attica caricas exportaret, vt illis soli incolæ fruerentur, quare accusatores, qui apud Iudices illos deferrent, Sycophantæ dicti, vt refert Athenæus lib. III. Sed de illarum natura non omnino consentiũt scriptores, aliqui enim boni, nonnulli verò praui succi asserunt; Gal. libro de cibis bonis & mali succi, nodum hunc dissoluit. *De Caricis, si quis boni eas & mali succi esse dixerit, fortè inter*

inter se pugnantia dixisse videbitur, cùm tamen vtrumque esse possit, habent enim in se tum quid salubre, tum quid insalubre, nam si eæ ipsæ per ventrem transierint, quod ex illis alimentum conficitur, per renes corpusque digestum fuerit, & salubre & boni succi censetur, sin autem retardarint, peioris quomodo succi sunt, & pediculorum copiam gignunt.

Habent autem incidendi & attenuandi facultatem, qua & ventrem ad excretionem irritant, renesque expurgant, iecoris & lienis obstructiones, vt etiam cætera omnia dulcia, excitant, nisi quis illas ante omnem cibum, cum Thymo, Pipere, & Zinzibere, Origano vel Hyssopo assumpserit. cum nucibus autem vel cum amygdalis assumptæ, laudatissimum præbent alimentum, vt docet Galenus lib. de cibis boni & mali succi; *sed cum Amygdalis mixtæ, obstructiones magis tollunt, & abstergunt, cum nucibus verò sumptæ, melius nutriunt, atque ad omnia longè præstantiores habentur.* Antidoti etiam vicem aduersus venena obtinent caricæ, si cùm Rutha & nucibus & Sale illas quis esitauerit, hanc esse celebrem illam Mithridatis Antidotum, Q. Serenus Sammonicus tradit.

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis; sed Magnus scrinia Regis
Cùm caperet victor, vilem deprehendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.
Bis denas Ruthæ frondes, salis & breue granum,
Iuglandesq́ duas, totidem cùm corpore ficus.
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

CAPVT

CAPVT XLI.

Dulces vuæ cur sitim magis inducant. egregiè nutriunt. vua εὐγενὲς Platonis, diuersa à Galeni εὐγενεῖ. ollares. Botryones. Paleares. Pensiles vuæ saluberrimæ. vua fabrilis. & fabricia. seruata in aqua pluuia. vuæ passæ Hepatis obstructiobus commodæ. Corinthiacæ.

PRoximam bonitatis laudem meritò vuæ occupant, nam & cæteris fructibus, exceptis Ficubus magis nutriunt, minimumq; noxij succi suppeditant, præsertim cùm exactã maturitatẽ adeptæ fuerint. Sed inter illas non exiguum est discrimen: aliæ enim dulces, aliæ acidæ, aliȩ sunt austeræ, sunt etiam vinosæ, quæ nullam qualitatem insignem habent. Dulces natura sunt calidiores, vnde & sitim frequenter excitant, quod multi non sine admiratione experiuntur, quod eius rei caussam ignorent; Austeræ verò & acidæ frigidiores, vinosæ medium locum tenent. habent hoc Dulces etiam boni, quod aluum subducant, præsertim si nondum orto sole cum rore suo legantur; acidæ verò & austeræ, non modò aluum non mouent, sed etiam ventriculo nocent, & ciborum concoctionem perturbant, vt auctor est Gal. lib. de Alim. facultatibus. Alimentum non mediocre præbent, quod in vinearum custodibus obseruare licet, qui cùm duos propè menses solis ficubus & vuis vescantur, corporis molem egregiè augent; sed cùm desierunt illas edere, celeriter iterum concidit & detumescit: quia carnem non solidam, sed fluxam generant. minùs tamen quàm ficus alunt, nec adeo probum succum suppeditant: crudior enim est qui ex illis conficitur, & qui facilè in improbum sanguinem mutatur, flatus etiam copiosos mouent: Sed quibus facilè per aluum feruntur minus noxæ inferre solent.

Sed cum vua siue acinus, quatuor partibus constet, folliculo,

culo, carne, succo, & nucleo, quem etiam vinacium vocant. alium effectum facit, si integra assumatur, alium si quis duriores partes expuat. nam folliculus & nucleus vix à ventriculo superantur, & minùs aluum mouebunt, quam si quis tantum carnem & succum transglutierit. quare etiam prudentiores folliculum & nucleum expuunt, postquam carnem exsuxerint. Quod si vuæ magis succo quàm carne abundauerint, aluum mouebunt; quod si caro succum superauerit, magis nutriet: tales vuæ à Galeno εὐγενεῖς, siue generosæ vocantur. Est etiam apud Platonem lib. VIII. de legibus generosa vua quam γενναίαν σταφυλὴν vocat, de qua Dipnosophistæ apud Athenæum lib. XIV. disputant, Platoni sunt generosæ vuæ, pulchriores & maiores, vt Eustathius interpretatur. itaque diuersa est γενναία Platonis, à Galeno εὐγενεῖ. Plinius etiam lib. XIV. Eugeniæ vuæ mentionem facit cap. II. *Eugeniam Taurominitani colles, cum generositatis nomine misere Albano tantum agro, quoniam translata statim mutatur.* Sed peculiaris hęc est vuæ species, quæ ex Sicilia allata fuit, quæ nihil cum Galeni vua generosa habet commune. Sed vuarum singulas differentias enarrare, quas vetustas in pretio habuit, immensi esset operis, nec ideo quis assequetur; totidem enim propè fuerunt, quot sunt agri: adde quod colore, figura, sapore, amplitudine, acini mollicie, ac duritie calli, innumeras differentias natura lasciuiens dedit.

Veteres ne iucundissimo hoc fructu vel alienis mensibus carerent, varios eius seruandi modos docuerunt, ego præcipuos memorabo. Vindemiæ tempore, ollam nouam vuis refertam bene picato operculo, in vinaceis recondebant, atque seruabant aliquando in proximam æstatem; tales teste Galeno, ventriculum roborant, fastidium detergunt & appetentiam reuocant, aluum tamen non soluunt, & si quis liberalius illis vtatur, capitis dolorem inducent; aliqui ipsas in Musto recondebant, quæ faciles quidem sunt concoctu, sed capitis dolores excitant, ob calorem fortè quem à Musto contrahunt; Plinius.

alia

aliæ in ſua tantum continentur anima, ollis fictilibus, & inſuper dolijs incluſæ, ſtipatæ vinaceis circumſudantibus. tales vocantur à ſcriptoribus ollares. Martialis lib. VII. epigr. XIX.

Illic & vuæ collocantur Ollares.

In veteri Lexico βοτρυόνες, i. racemi condititij, qua voce & Martialis vſus lib. XI. epigr. XXVIII.

Nec dignum toto ſe Botryone putat.

Aliæ verò ſeruabantur in paleis, vnde & Paleares dictæ; quæ paleis ſicciſſimis cribratis, vt ſine puluere eſſent obrutæ, in fictili nouo condebantur & in tabulato reponebantur ſicciſſimo; quas proximas penſilibus facit Plinius. Pręter has erant etiam Penſiles vuæ, de quibus Horatius lib. II. Sat. II.

——— *Et Penſilis vua, ſecundas*
Et Nux ornabat menſas, cum duplice ficu.

Has autem innocentiores iudicabant, quod decerptæ diu pependiſſent, qua ventilatione, etiam vtiles fiunt ſtomacho ægriſque: nam & refrigerant leuiter, & faſtidium auferunt. duobus autem potiſſimùm modis ſeruabantur penſiles, vel enim in granarijs illas ſuſpendebant, vel in ferrarijs officinis: de priore modo Plinius lib. XV. cap. XVII. *Sunt qui ſuſpendi vuas procul malis, protinuſque in granarijs iubeant, quoniam optimè ſit operimento puluis Penſilibus.*

Quæ verò in Ferrarijs officinis adſeruatur, fabrilis vocatur, ac vua Fabricia Theodoro Priſciano Medico, libro qui inſcribitur, Logicus cap. XIII. Cælius Aurelianus lib. IV. Tardarum paſſionum cap. III. dicit fabrilem vuam eſſe fumi vapore ſiccatam. Plinius lib. XIV. cap. I. *Alijs* (vuis) *gratiam qui & vinis, fumus affert fabrilis, ijſque gloriam præcipuam in fornacibus Africæ, Tyberij Cæſaris auctoritas fecit;* Horatius, Albanam vuam huic rei aptiſſimam facit. li. II. Satyr. IV.

Rectius Albanam fumo duraueris vuam.

Tales Cælius Aurelianus in Cæliacis & alijs ventris fluxi-

bus cõmendat; quia fumus & calor officinarum fabrilium, ratione ferri non modò exsiccat, verùm etiam facultatem quandam adſtringẽtem illis addit, quæ talibus paſſionibus multum conducit. Seruabantur etiam in aqua pluuia, quas maximè ſalubres medici exiſtimabant. Plinius. *Saluberrimas putant Medici in cœleſti aqua ſeruatas, etiamſi minimè iucundas, ſed voluptatem earum, in ſtomachi ardore ſentiri, & in amaritudine iecoris, felliſq; vomitione in Choleris, Hydropicis, cum ardore febrium ægrotantibus.*

Succedunt conditaneis, vuæ paſſæ, Græci σαφίδας & ἀσαφίδας cognominant, non quidem iucunditate cum recentibus conferendæ, ſed ſalubritate longè illas ſuperant. eandem enim rationem ad vuas, quam ficus ad Caricas habent. Videntur etiam à Martiali vocari, Marcentes, lib. v. epigr. LXXIX. ad Turanium.

Marcentes tibi porrigentur vuæ.

Vir doctus Commentario in Martialem, credit Marcentes vuas, eſſe maturas eoque optimas, vt vina Marcida apud Statium Papinium lib. I. Syluarum, de Saturnalibus, ſed meo iudicio fallitur, ſiquidem marcor & marceſco, tantùm de languidis, & extenuatis dicuntur, vnde Horatius lib. II. Satyra IV.

Toſtis Marcentem Squillis, recreabis & Afra
Potorem Cochlea.

Acron vetus Scholiaſtes, *Marcentem, languidum vino, vel bene Saturum, recuſantem cibos, iam faſtidium patientem.* itaque Marcentes vuæ paſſæ, & ſucco deſtitutæ quaſi languidæ dicentur.

Quod verò de vinis Marcidis, Statium aduocat, nihil ad vuas Marcentes, vocat enim Poëta, *Vina Marcida,* quod homines liberalius bibentes, marcidos reddant, vt iampridem monuit Cl.mus Geuartius in Papinianis lectionibus.

Inter illas quædam auſteram qualitatem participant, quædam dulces tantùm ſunt. Priores ſtomachum magis roborant, & ventrem magis ſiſtunt: dulces verò, nec ſtomachum diſſoluunt, nec ventrem ſubducunt, calidiores tamen ſunt. raro ad

nos

nos nisi dulces deuehuntur, meliores autem sunt pingues, & dulciores, quæque corticem seu folliculum teneriorem habent, pectori & Pulmoni conducunt, stomachum magis quàm Caricæ roborant, sed minus aluum subducunt. Hepati verò & Lieni tumentibus, non conducunt nisi adstringentes sint, vt auctor est Galenus lib. de attenuanti victus ratione cap. IX. quod licet multis Paradoxon videatur, cum illorum viscerum tumor, reserantibus & emollientibus, quàm adstringentibus curetur. Sed sano modo auctoris mens est intelligenda; non enim validis adstringentibus indigent, quod ab omni ratione alienum est; sed moderata adstrictione opus habent, medicamenta illa, vt ipsorum viscerum robur conseruetur. Sed lubet ipsum Galenum audire lib. VIII. de compositione medicamentorum secundum locos, cap. VII. *Cæterum vua passa contemptilis videri potest, ob familiarem eius vsum, at verò hoc ipsum facit vtiliorem, nam quum familiaris nobis sit, intantum adstringens est, quantum opus habet viscus affectum. habet autem vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coërcendi maligna: sitque ipsa haud facilè putredini obnoxia, & vltra hoc, secundùm totam substantiam visceri ipsi familiaris est & propria.*

Sunt & vuæ passæ exiguæ, colore nigro, quæ ex Ægæi maris insulis & Peloponneso, in Italiam deferũtur vocatæ Corinthiacæ, quæ in vite Idea nascuntur, Theophrasto ita dicta lib. III. *Nascitur*, inquit, *vitis, ea parte Idæ, quam vocant Phalacras, fructicosa est, virgulis paruis, & ramis cubitalibus penè exporrigitur, quibus acini laterales nigri adhærent, magnitudine fabæ, dulces qui vinaceis quid simile continent*, Plinius verò lib. XIV. cap. III. vitem hanc Alexandrinam nominat, ijsdem quibus Theophrastus verbis vtitur.

CAPVT XLII.

Oliuæ Drupæ; κολύμβαδες. Natantes Aureliano dictæ. ἁλμάδες; νηκτρίδες. aluum ſubducunt ante alios cibos comeſtæ. Olei facultates. Capparis lieni conducit.

QVamuis exiguum alimenti nobis Oliuæ ſuppeditant, illarum tamen nobilitas, non patitur illas indictas abire: lautiorum enim menſis aſſiduo inſeruiunt, Nepotum inuento ad orexim excitandam, tum quod ad bibendum egregiè inuitant. differentiæ apud veteres plures; quædam δρύπεται Græcis vocantur, Romanis Drupæ, aliqui δρύπεπας vocant, tanquam τοῦ δένδρου πεπανθείς, quod in arbore maturitatem adeptæ fuerint. δρυπετεῖς verò teſte Hyſichio, ἀπὸ δένδρου πεπτωκυίας, vnde & caducæ à quibuſdam dictæ; Plinius tamen lib. XII. cap. XXVII. Druppas vocat, priuſquam cibo maturæ ſint, iam tamen colorem mutantes. hæ pinguiuſculum liquorem obtinent, omniumque minimè alunt, vt auctor eſt Galenus, qui eas cum pane edendas præcipit. Paulus verò Ægineta alienas ſtomacho, craſſique ſucci aſſerit. quædam etiam κολύμβαδες dicuntur, quas Cęlius Aurelianus lib. IV. Tardarum paſſionum cap. III. Natantes vocat, ita dictæ, quod Muriæ, (aliqui verò, quod oleo ſuo) velut vrinabundæ innatant. Plinius lib. XV. cap. II. *nec non aliquæ oleo ſuo, ſine accerſita commendatione puræ innatant, Colymbades.* Sed vereor ne illæ iam deſierunt eſſe, nam paſſim Colymbades vocantur Muria conditæ, quas ideo Galenus ἁλμάδας vocat, Iulius verò Pollux lib. VI. cap. IX. νηκτρίδας appellat, quaſi natantes in Muria, hæ ſuccum habent adſtringentem; proinde ſtomachum magis roborant, appetentiamque excitant. Aëtius addit, oliuas ſalſas, ante alios cibos comeſtas aluum ſubducere, vnde veteres in guſtu illas etiam ponebant. Martialis.

Et qua

Et quæ Picenæ ſenſerunt frigus Oliuæ,
Hæc ſatis in Guſtu.

Idem tamen Poëta lib.XIII. oſtendit, non ſolùm in Guſtu, ſed etiam ſecunda menſa appoſitas fuiſſe oliuas.

Hæc quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit Oliua dapes.

Innuit enim Oliuas habere vim mouendi aluum, quare primo loco ſumebantur; propter facultatem verò quam habent adſtringentem, cum bellarijs inferebantur vltima menſa. Plinius libro XXIII.cap.III.oliuas albas & nigras recenſet. Albas ſtomacho vtiliores, ventri minus: Nigras ſtomacho inutiliores, ventri faciliores, capiti & oculis nocere. Simeon Sethi idem de nigris dicit.

Quæ verò olim Albæ, quæ verò Nigræ dictæ, non omnino liquet, Hieronymus Mercurialis lib.1.variarum lectionum cap. III. probabiliter opinatur, albas eſſe quæ mediæ ſunt inter virides & maturas, Nigras verò maturas. ſic Simeon Sethi μέλανες καὶ πέπειρας εὔφθαρτας, *nigras & maturas facilè corruptibiles.*

Contundebant etiam Oliuas vt Muriam facilius admitterent, varijſque herbis condiebant. Plinius. *franguntur eædem, herbarumque viridium ſapore condiuntur.* quæ Græcis τετριμμέναι vocantur, ab Atheneo verò στεμφυλίδες. Hyſichius ἀπυρήνους vocat, quod nucleo careant, contuſis enim Oliuis nucleus auferebatur, Cælius Aurelianus fractas vocabat.

Poſt Oliuas, non erit abs re de Oleo verba facere, ex illis enim, præſtantiſſimus ille liquor, vitæ vſibus ſummè neceſſarius, atque ad cõdiendos cibos iucundiſſimus, exprimitur. Galenum non ſatis mirari poſſum, cum minutias plurimas libris de Alimentorum facultatibus pertractat, olei dotes pæne omiſiſſe, niſi fortè quod libris de Simpl.Medic.facultatibus fusè de illo egerat. facultas eius eſt humectandi egregia, & calefaciẽdi moderata, præſertim quod ex Oliuis Druppis exprimitur; quod verò ex immaturis paratur, & ὠμοτριβὲς dicitur, magis adſtrin-

adstringit & refrigerat. gustu vtriusque qualitas facilè digno-scitur, quod enim dulce est, mediocrem qualitatem in se ha-bet. quod verò acerbum est, adstringit & magis refrigerat. Priscis temporibus, non solùm inter condimenta assumebant, sed etiam corpus illo inungebant: quia Oleo vis inest tepefa-ciendi, & contra algores corpus muniendi. Græci mox vsum eius ad luxuriam traduxere, in Gymnasijs publicando. Celebr. est Romuli Pollionis dictum, qui interrogatus ab Augusto Cæsare, qua maximè ratione viuidum animi vigorem, in extremo illo senio seruasset, respondit, intus Mulso, foris oleo.

Extra ordinem, si de Cappari hîc egero, nemo id mihi vitio vertet, cùm nusquam locus opportunior fuit de ea dicendi. Succenturietur ergo Oliuæ, quandoquidem eximiam ad fa-stidia abigenda vim, cibique auiditatem reuocandam, non secus ac Oliuæ, obtinet; facultas illi egregia est attenuandi & incidendi. qua de caussa inter medicamenta, quam alimenta recensenda. siquidem exiguum nutrimenti corpori suppe-ditat. nisi sale condiatur celerrimè putrescit, sal autem plu-rimum de alimentis demit, quare nisi sal optimè eluatur, v ac ne vix quidem vllum alimentum præbebit, vt auctor est Galenus capite de Cappari. hoc tamen habet commodi, quod aluum subducat, appetentiam excitet collapsam, pituitam ventriculo hærentem detergat; Lienis & Hepatis obstru-ctionibus egregiè medetur, præsertim si cum Oxymelite aut aceto quis vtatur. Plinius, præclaras illi dotes libro xx cap. xv. adscribit. *De Cappari satis diximus inter peregrinos fru-tices; non vtendum transmarino: innocentius Italicum est. Feru-nt eos qui quotidie id edunt, Paralysi non periclitari, nec lienis dolo-ribus. radix eius vitiligines albas tollit, si trita in Sole fricentur. Spleniticis prodest in vino pota radicis cortex duabus drachmis, dem-pto balinearum vsu. feruntque* XXXV. *diebus per vrinam & aluum totum lienem emitti.*

Cau-

Cautiores præcipiunt, prima menſa eſſe aſſumendam ex oleo & aceto, nam ſi poſt alios cibos quis vtatur, crudum cibum in primas venas depellet, vnde obſtructiones augebit.

CAPVT XLIII.

Nuces Perſicæ, & Baſilicæ. Nuptijs ſpargebantur. eius cauſſa ex Plinio & Seruio. Tripudium Soniuium. Nuces cum Caricis ſumptæ ſalubres, & Alexipharmacis annumerantur. Nuces Auellanæ, Ponticæ. στρόβιλοι, κωνάρια, κόκκαλος.

NVcis nomen omnibus attribuitur quæ duro teguntur corio vel operimento, vt Pineæ, Auellanæ, Iuglandes, Amygdalæ, Caſtaneæ. Strictè de Iuglandibus & Auellanis tantum dicitur; Greci καρύα vocant quod caput tentent, Latini Nucem à nocendo dictam volunt, vt monet nos Ouidius libello de Nuce.

—— Quoniam ſata lædere credor,
Cultus in extremo margine fundus habet.

Varronis verò frigidior Etymologia, *Nux, quod vt nox aërem, ita huius ſuccus facit corpus atrum.* Maior Iuglans, minor Auellana vocatur. Iuglans dicta quaſi Iouis glans, non ſecùs ac Grecis Διὸς βάλανος, quod illi, ab antiquitate arbor hec conſecrata eſſet; quedam inter illas Baſilicæ, quedam Perſicæ dicuntur. Plinius. *E Perſide à Regibus tranſlatas, indicio ſunt Græca nomina, optimum quippè genus earum Perſicon, atque Baſilicon vocant, & hæc fuere prima nomina.*

Nuptijs olim religioſæ erant, à pueris enim ſpargebantur, vt auctor eſt Catullus in Epithalamio Iuliæ & Malli.

Da Nuces pueris iners
Concubine, ſatis diu
Luſiſti Nucibus, lubet

Iam seruire Thalasio,
Concubine Nuces da.

Grammatici varias huius rei caussas assignant, quas volens pretereo, & Plinium lubet audire lib.xv.cap.xxii. *Nuces Iuglandes, quamquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, multùm Pineis minores vniuersitate, eædemque portione ampliores nucleo: nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, puluinati primum calycis, mox lignei putaminis. quæ caussa eas nuptijs fecit religiosas, tot modis fœtu munito, quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium Soniuim faciant;* Ita emendabat Iosephus Scaliger ad Festum, cùm prius legeretur, *Tripudium sonumve faciant.*

Seruius verò ad viii. Eclogam Virgilij aliam caussam refert, *Varro hanc spargendarum nucum rationem esse dicit, vt Iouis omine matrimonium celebretur: vt nupta matrona sit sicut Iuno. nam Nuces in tutela sunt Iouis.*

Exiguum autem alimentum Iuglandes corpori prębent, vt Galeno placet; maius verò Auellanæ, sed illæ facilius concoquuntur; viridiores siccis sunt pręstātiores, promouent etiam aluum, vnde & veteres, frequenter cum Garo comedebant: siccas etiam in aqua feruenti macerabant, vt qualitatem viridium proximè ęmularentur; siccæ enim, cōtrahunt ętate oleaginosam qualitatem, quæ esui illas ineptas reddit, & stomacho inutiles. Galenus salubriores fore si cum Caricis mandentur. quod si vtraque cum folijs ruthæ, ante alios cibos quis edat, à lethalibus pharmacis innoxius euadet. hoc fuisse Mithradatis Alexipharmacum, ex Sereno Sammonico supra docui: & ne quis Poëtæ fidem suspectam habeat. Plinium audiat lib.xxiii. cap.viii. *in sanctuarijs Mithradatis maximi Regis deuicti, Cn. Pōpeius inuenit in peculiari commentario, ipsius manu compositionem Antidoti, è duabus Nucibus siccis, item ficubus totidem, & Ruthæ folijs viginti, simul tritis, Salis grano addito. Et qui hoc ieiunus sumeret, nullum venenum nociturum eo die.*

Diphi-

Diphilus auctor est, Regias nuces dolorem capitis inducere, stomacho innatare: ex ijs teneras & quæ adhuc candicant esse melioris ſucci, parciùs nutrire quæ in furnis friguntur. Mirum est quod Auerroës de his tradit. v. colliget cap. iv. qui nimis frequenter Iuglandibus vtuntur, incidere in linguæ Paralysim.

Auellanæ Nuces prius Abellinæ, ab Abellino Campaniæ oppido, teste Plinio, fuerunt dictæ; ſed in Italiam, vt etiam in Asiam & Gręciam, ex Ponto venere, ideoque Ponticæ vocatæ: mox & Pręnestinæ appellatæ, quod illis Nucibus obsidionem Hannibalis incolæ sustinuerunt, in annonæ summa penuria. Gręci verò λεπτοκάρυα quasi exiguas Nuces, Nicander verò apud Athenęum λοπίμα vocat. exiguum etiam corpori alimentum præbent, copiosius tamen quàm Iuglandes, quod illarum substantia sit coactior, & minus oleosa, difficiliùs tamen à ventriculo superantur, vt Galenus prodit; easdem etiam capitis dolorem facere, & stomachi inflationem, & pinguedini corporis conferre, plus quam sit verisimile, tradit Plinius. non defuere qui ad Hepatis obstructiones illas laudant, inter quos Matthæus de Gradi magni nominis Medicus: ſed falli illum in confesso est, pręsertim cum Galenus tradat lib. de victus ratione Attenuante, Ponticas nuces nullam abstergendi ex visceribus vim habere. Rhazes verò in Aphorismis, stomacho & Hepati noxias esse, ac humores prauos in intestinis generare. pari etiam in errore sunt, qui ad capitis dolorem Auellanarum cremorem exhibent, cum Aëtius, Plinius, alijque pręclari scriptores, capitis dolorem inducere asserant; non possim prætèrire, quin Ioannis Cratonis, (qui trium Imperatorum Archiater fuit) experimentum adducam, si quis nouem vel decem Auellanas perpurgatas, ante cœnam vel prandium assumpserit, à Nephriticis cruciatibus liberatum iri.

Nuces Pineæ στρόβιλοι dicti, Simeoni Setho. etiam κωνάρια. ab Hippocrate & Aëtio κόκκαλος, ab alijs aliter vocatæ. Attici

olim κῶνυς vocarunt, vt auctor est Gal. lib. VII. de Comp. Med. secundum locos cap. I. *Pinus arbor has profert altissimè suspensas, intus exiles nucleos lacunatis includens toris, vestitos alia ferruginis tunica, mira naturæ cura, molliter semina collocandi*, vt eleganter Plinius refert. Martialis Nucem Pineam, pomum vocat.

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Quod ex Caselli Iurisconsulti ioco fortè Poëta hausit. Macrobius lib. II. Satur. cap. VI. *lapidatus à populo Vatinius, cùm Gladiatorium munus ederet; obtinuerat vt Ædiles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet. Fortè ijs diebus, Casellius consultus à quodam, an Nux pinea pomum esset: respondit, si in Vatinium missurus es, Pomum est.*

Galenus boni ac crassi succi esse, multumque nutrire, non tamen facilè concoqui, auctor est. Diphilus verò multum illas nutrire, gutturis arteriam lenire, purgare pectus, quod in illis resinosum quidpiam immixtum sit, vrinam ciere, aluum non morari. Hodierna die inter illa numerantur quæ maximè nutriunt, quare à medicis celebrantur, ad recreandos tabidos, & genitalis seminis augendam copiam. Cornelius Celsus, nucleos Pineos illis annumerat, quæ stomacho sint amica, sed lauandi primum, nam lotione illa, medicata & oleosa ipsorum pars absumitur. nostri delicatiores; aqua Rosacea macerant, quo maior illis suauitas concilietur; inueteratis, sicuti cæteris Nucibus, gratia deperit, quippe vetustate rancorem acquirunt.

CAPVT

CAPVT XLIV.

Amygdala Nux. Nucida aliquibus dicta, Græca, & Thasia nux. Amaræ ebrietati resistunt. vulpi sunt venenum. Pistacia ex Syria in Italiam translata. Theophrastus Terebintho similem arborem tradit.

NVcibus etiam annumerantur Amygdalæ, quæ duplici, vt iuglandes, operimento teguntur, Virgilius 1. Georgicorum, Nucis simplice nomine illam appellat.

——— Cùm se Nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes.

Ita enim Seruius & Isidorus interpretantur; hic etiam addit ab aliquibus, Nucidam vocari, tanquam minorem nucem. Herodianus Alexandrinus auctor est, Amygdalas dictas fuisse; quod sub virenti cortice illarum putamen, πολλαῖς ἀμυχαῖς. i. multo scarificatu sit veluti fissum: Isidorus, Amygdalæ nomen esse Græcum asserit, quod latinè *Nux longa* dicitur. Catonis æuo, Italiæ ignotus erat is fructus. quare Græcas Nuces vocabant. Thasia etiam Nux ab aliquibus dicta, vt Macrobius docet lib. III. Saturnalium cap. XVIII. Duplex autem est, dulcis & amara: illa in alimenti vsus magis cedit, hæc verò medicamentosam vim obtinet; facultas etiam tenuandi & incidendi, in illis prępollet, qua tum viscera purgant, tum humores ex pulmone & thorace expectorant; in amaris autem, maior vis incidendi exsuperat. Vetustas nucleis vnguinosam qualitatem inducit, vt & cęteris Nucibus, & saporem rancidum conciliat, qui gustu ingratos efficit. Ventrem verò neque mouent, neque corpus abundè nutriunt, quod vulgo persuasum video, vt auctor est Galenus. Contrà verò Diocles, nutrimenti multum illas prębere, iucundas esse ventriculo, calefacere; quia oleosum quidpiam habent, vtiliores tamen esse recentes

 siccis,

ſiccis, aqua maceratas, aridis. Mauritani verò ſcriptores aliqui, ſomnum conciliare & genituram augere tradunt. Plinius vrinam ciere, recentes verò ſtomachum implere. virides verò cum ſuo operimento, in cibis ſumptas, ſtomachum humentem emendare, auctor eſt Dioſcorides. noſtra ætas ad varios lautoſque culinarum vſus amygdalas adhibet; cremor etiam ex his exprimitur, qui cum Saccharo & aqua roſacea non inutiliter ægris porrigitur, Amygdalatum id vocant. Sacchare verò incruſtatæ, lautioribus bellaria præbent, variaque ex illis ſcitamenta dulciarij parant, quæ inter gulæ potius irritamenta, quàm vitæ præſidia annumeranda.

Amaræ verò Amygdalæ ad omnia efficaciores ſunt, vt purulenta, craſſoſque humores facilè ex pectore educant, lienem verò heparque validè deobſtruunt, Calculos etiam renum pellunt. Dioſcorides verò aluum mollire, ſomnum conciliare, vrinam ciere: contra verò ſanguinis excretiones, cum Amylo & Mentha prodeſſe. in confeſſo eſt apud claſſicos ſcriptores ebrietatem arcere, ſi ante cibos præſumantur, cuius rei nobilé experimentum Plutarchus adducit lib. I. Sympoſiacorum Quęſt. VI. *Medicus erat in Comitatu Druſi, Tiberij Cæſaris filij, qui cum quinque vel ſex Amygdalas amaras, ante compotationem ediſſet, omnes bibendo ſuperabat. ſed deprehenſa fraude, prohibitus ne id faceret, facillimè à vino deuictus fuit.* Cauſſam adſcribunt aliqui, amaritudini illarum, quæ vi ſua deſiccante, exhaurit humorem illum immodicum; alij verò diuretica ſua qualitate, exitum facilem immoderato vino parare; ſunt etiam qui oleaginoſæ qualitati id adſcribant; pinguia enim cum ſupernatant, impediunt quo minus vapores caput petant. Dioſcorides & Plinius addunt, ſi vulpes Amygdalas amaras guſtauerint, nec contingat, ex vicino aquam attingere, illas mori: quod etiam felibus contigiſſe auctores produnt.

Piſtacia quoque è Nucum genere, ſolertiſſimus naturæ ſcrutator Plin. eſſe retulit lib. XIII. cap. V. *è Syria primus in Italiam*

liam L.Vitellius intulit,qui postea Censor fuit,cum Legatus in ea prouincia esset, nouißimis Tiberii Cæsaris temporibus. simulque in Hispaniam Flaccus Pompeius,eques Romanus, qui cum eo militabat. Nucem hanc Græci πιστακίον, Nicander verò Colophonius,in Theriacis apud Athenæum, ψιττάκιον nominat,

ψιττακὶ ἀκρεμοέσσιν Ἀμυγδαλέοισιν ὅμοια.

Pistacia ramis Amygdalinis similia.

Possidonius Βιστάκιον vocauit, leui nominis mutatione. Isidorus,Pistacia ita dicta refert,quod cortex pomi eius, Nardi Pistici odorem referat. Theophastus Pistaciorum arborem, sub Terebinthi apud Indos nascentis nomine, descripsisse videtur. In India Terebinthum arborem esse tradit, aut Terebintho similem,quæ folio, ramis ac reliquis Terebinthum æmuletur:sed fructu differre,quem Amygdalis similem facit,atque hanc in Bactris esse, fructus etiam Amygdalis suauitate præstantiores. Athenæus verò, quosdam hanc arborem Terebinthum credere,fallente foliorum similitudine. Galeni tempore illorum maximus prouentus erat Alexandriæ, magisque adhuc in Berrhæa vrbe.qualitatem habent Aromaticam subamaram & subadstringentem, quare hepati egregiè conferunt, & obstructiones tollunt. omnibus persuasum video, copiosum alimentum corpori suppeditari illorum esu, & deficientem Venerem reuocare. Galenus tamen parum nutrire asserit, nec stomacho presidium aliquod momentaneum, aut nocumentum inferre. Recentiores tamen medici, stomacho vtilissima prædicant,teste Simeone Sethi,sed etiam vetustissimus auctor Dioscorides, εὐστόμαχα dicit, quo magis mirandum, Galenum hac de re dubitasse. aduersus serpentum morsus siue per se eduntur, siue in vino decoquantur prodesse, idem auctor asserit.

CAPVT XLV.

Castaneæ. Nuces Sardianæ & Euboicæ. Leucenæ, Heracleoticæ Nuces. Coctiuæ quales. Alimentum copiosum sed crassum præbent. An praui succi?

VIdeo ab antiquis dubitatum, num Castaneæ Nucum generi, vel potiùs glandium sint adscribendæ, Dioscorides & Galenus inter glandes enumerant, Virgilius verò inter Nuces, Ecloga II.

Castaneasque Nuces, mea quas Amaryllis amauit.

Ita etiam Nicander in Alexipharmacis.

Καςανῦ καρύοιο παχυφλοίοιο κάλυμμα.

Plinius litem videtur dirimere. *Nuces vocamus & Castaneas, quanquam accommodatiores glandium generi.*

Vocantur ita Latinis teste Isidoro, à Græco vocabulo, hanc enim κάςανον dicunt *propter quod fructus eius gemini, in modum testiculorum intra folliculum reconditi sunt, qui dum eijciuntur, quasi castrantur.* alij verò credunt à Castano Magnesiæ oppido dictas. alij quod Sardibus primum prouenerint, Sardianas glandes, vt etiam Euboicas à regione dixerunt, Dioscorides etiam ab alijs διὸς βαλανυς Iouis glandes, ab alijs λόπιμα, à cortice videlicet quæ λέπος dicitur, ab aliquibus ἄμωτα, à Dioscoride verò μοτὰ nuncupantur. Galenus verò lib. de cibis Boni & Mali succi, cap. x. ab Asiaticis quibusdam, Leucenas vocatas scribit, à loco quodam Idæ montis. Oppius verò apud Macrobium, Saturnalium lib. III. cap. XVIII. dicit Heracleoticam Nucem, Castaneam esse; quod tamen nomen plerique scriptorum Iuglandi adscribunt. Plinius æuo suo Castanearum octo genera facit; palmam Tarentinis, & Neapolitanis tribuit; non dubitem quin hodie multa plura inueniantur, ingenio hominis nihil intentatum relinquente; generosissimæ

in Belgicam, Lugduno Galliæ oppido primariò importantur, quas *Marrones* appellant, amplitudine & saporis suauitate ab omnibus expetitæ; secundis mensis solent apponi feruenti cinere excoctæ, aliquando & aqua elixatæ: sed vilissimæ tales & plebeculæ paratæ: similes fortè erant, quas Plinius Coctiuas vocat; olim etiam in deliciis erant ignis, aquęve vapore coctę, de quibus Martialis lib. v. Epigr. LXXIX.

Et quas docta Neapolis creauit,
Lento Castaneæ vapore tostæ.

Ab aliquibus etiam frixæ mandebantur. Diphilus illas multum nutrire, bonũ succum gignere, ægrè concoqui, quod in ventriculo diu maneant; si frigantur, minùs alere, sed faciliùs à vẽtriculo superari; elixas verò, minùs inflare, & nutrire vberius. Mnesithæus verò Atheniensis, coctionem illarum esse laboriosam ventriculo, & cũ multo flatu perfici, alere tamen copiosè, si quis illas probè concoxerit. Galenus l. II. de Alimentorũ facultatibus, inter agrestes fructus illas recenset, solasq́; ex omnibus alimẽtum copiosum corpori præbere. libro verò de Attenuanti victus ratione, auctor est, Castaneas siue elixentur, siue assentur, siue frigantur, semper prauas esse, & multò magis si crudæ manduntur. libro tamen de cibis Boni & Mali succi cap. XIV. fructus ferè omnes quos arbores ferunt, mali esse succi, dicit, exceptis Balanis quas Castaneas vocant, *quæ si in ventriculo concoquantur, efficaciter nutrire, atque eas crassi succi quidem esse, nunquam verò mali.* idem etiam cap. X. dixerat: quibus in locis manifestò videtur sibi repugnare, siquidem libro de Attenuãti victus ratione, dixit, semper esse praui succi, hic verò negat; sed facilè repugnantia hæc loca conciliari poterunt, si Galeni mentem penitius inspiciamus: vbi enim agit de natura cuiusq́; edulij, vtpote libris de Alim. facultatibus, & lib. de cibis boni & mali succi, dicit simpliciter illas copiosè alere, & boni succi esse, modò à natiuo vẽtriculi calore superentur, vbi verò de Attenuanti victus ratione, quia crassos succos ge-

 nerant,

nerant, obstructiones pariunt, & flatibus corpus distendunt, praui esse succi dixit; & contrarias attenuantis victus rationi, propter succorum quos generat crassitiem. quare ab illis abstinendum qui sedentariam vitam agunt, vel imbecilli sunt stomacho; sed qui laboribus exercentur, robustoque ventriculo sunt, tutius illis vesci possunt; affatim enim nutriunt, & corporis vires augent, citra tamen satietatem edendæ sunt: præsertim iis, qui Nephriticis malis, aut viscerum obstructionibus obnoxij degunt: colicis item doloribus, ventriculi inflationibus mirè aduersantur. multis tamen Alpinis gentibus, instar messis Castaneæ sunt, sed illi magnis laboribus indurati, & vegeto calore stomachi, crassa hæc cibaria facilè superãt. quod si quis probè tostas cùm pipere & sale ederit, multum illis flatuosæ substantiæ decedet, tutiusque illis vesci licebit; nam quod alij cum Saccharo, aut Rosacea aqua illis vescantur, luxus potiùs quàm salubritatis cura id faciunt.

Quernæ etiam glandes, in pretio apud Alpinas quasdam gentes fuere, vel post inuentas fruges, sed id potiùs in Annonę penuria accidisse crediderim. Galenus certè lib. de cibis boni & mali succi dicit, oblongas glãdes, & palmulis similes, ad sues potiùs, quàm homines nutriendos esse idoneas. nisi quispiam ingenti oppressus necessitate, edere illas cogatur, vt in Insula Chio accidisse memorat Cornelius Alexander, cùm obsessi, fagina glande famem solati fuerunt. Soli Arcades dicuntur inter Græcos,

Frugibus inuentis ausi defendere glandes.

Antiquissimis certè temporibus, cum Panis adhuc vsus ignotus esset,

Mortales primum ructabant pectore glandem.

Ideo glandiferis arboribus varia inde nomina indita; Ilex, teste Isidoro, ab electo vocata, quod eius fructum homines primum sibi ad victum elegerunt, sic Esculus ab Esca dicta: Fagus verò à Græco vocabulo φάγειν nomen traxit.

C A-

CAPVT XLVI.

Mellis triplex generatio. eius laudatio. nimis odoratum damnatur, biliosis nocet, pituitosis conuenit. Crudi & cocti discrimen. Mel aërium & roscidum, idem cum Manna. varia eius genera.

SVperest vt de Mellis etiam natura dicamus, nã licet illud, nec plantæ succus, nec fructus sit, neque pars eius; nascitur tamen in plantarum foliis, eiusdem cum rore generis, vt Galenus auctor est lib. III. de facult. Alimentorum cap. XXXVIII. roscida omnino materia est, & ab Apibus collecta, infertur alueariis, ibique formã mellis accipit. Theophrastus in fragmẽto libelli de Melle, triplicem eius generationem recenset, alia enim est à floribus, aut aliis herbis, in quibus dulcedo fit; altera ab aëre, cum liquidiusculus à Sole concoctus cadit, quod presertim fit messis tempore; tertia quæ in arundinibus fit. maximo olim in pretio, adeo vt Virgilius Mel dixerit, *Cælestia dona.* Plinius verò magnificè de illo, & more suo elegantissimè l. XI. cap. XII. *Siue ille est cæli sudor, siue quædam Syderum Saliua, siue purgantis se aëris succus: vtinamq́; esset & purus, ac liquidus, & suæ naturæ, qualis defluit primo: nunc verò, è tãta cadens altitudine, multumq́; dum venit sordescens, & obuio terræ halitu infectus, præterea è fronde, ac pabulis potus, & in vterculos congestus Apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus, & alueis maceratus, totiesq́; mutatus, magnam tamen cælestis naturæ voluptatem adfert.*

Iure itaq; optimo, in deliciis quondam habitum. innumera enim ciborũ genera melle condiebãt veteres, qui & pannificia quã plurima ex illo concinnabant: nec pauciores fortè potus parabant, vt Mulsum & Mulsam, & septemtrionales hodie Medonem, de quibus opportuno loco mox dicturus. præstantissimũ ex Atticæ Hymetto, & Siciliæ Hybla, nunc ex Hispania &

Creta aduehitur, licet passim etiam in Gallia & Italia & Germania copia eius proueniat. Optimi autem Mellis probatio est, vt sit odoratum, ex dulci acre, glutinosum & perlucidum; non tamen sit nimis odorum; tum enim fraudis suspicione non caret, quod Thymum concisum, aliasve odoratas herbas vulgari melli admiscent. Facultas eius calefaciendi, & siccandi est, nō obscura; quare in obstructionibus, à crassis viscidisq́; humoribus dependentibus, egregiè prodest, siue condimenti ratione, siue alimenti vsurpatur. si illud tamen obseruandum, calidis temperaturis aduersum esse, quoniam facillimè illis in bilem, quàm sanguinem vertatur; frigidis verò siue per ætatem, siue per morbum, accommodatissimum, & laudabile alimentum suppeditat; qua de caussa senibus, quibus pituita abūdat mirificè conuenit.

Crudo aliquibus vti placet, aliis cocto: sed hoc interest, quod crudum validius detergit, & putredinem quasi humorum cōpescit; sed flatus magis excitat, propter acrimoniam etiam illi innatam, priùs per aluum deiicitur, quàm concoqui & in corpus distribui potest. Coctum verò cùm acrimoniam illam maiori ex parte amiserit, non adeò aluum mouet, & copiosius alimentum corpori exhibet, vt auctor est Galenus.

Aliud etiam mellis genus est, quod nullo Apum labore conficitur, sed ex aëre, super arbores vel plantas & terram decidit, vocatur illud à Galeno III. lib. de Alim. facultatibus cap. XXXVII. ἀερόμελι, καὶ δροσόμελι, *mel Aëreum vel mel roscidum. Memini aliquando*, inquit, *quum æstate super arborum, ac fruticum, herbarum quoque folia, mel quamplurimum fuisset repertum, Agricolas velut ludentes cecinisse, Iouem melle pluisse. præcesserat autem nox, vt per æstatem bene frigida; pridieque, calida & sicca fuerat aëris temperies. peritis quidem naturæ interpretibus, videbatur halitus è terra & aquis solis calore sublatos, ac deinde exactè tenuatos & coctos, à frigore insequentis noctis concretos coaluisse. apud nos verò raró id accidit, in monte autem Libano quotannis persæpe. itaque coria super terram*

ram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt & ollas ac fictilia melle implent, vocantque id mel roscidum & aërium.

Hypp. libro de vlceribus, meminit mellis Cedrini, his verbis: *Medicamentum aliud ad vlcera, vinum accipit, Mellis Cedrini paululum, & ex aridis, florem æris, myrrham & malicorium siccum.*

Erat autem mel Cedrinum quod in monte Libano super Cedros concrescit, & ab incolis teste Galeno colligebatur. de hoc Mellis genere, plura apud Petrum Bellonium libro de Arboribus Coniferis. huius mellis generationem Theophrastus tetigit, libello de Melle, vt suprà diximus. *Altera fit ex aëre, cùm liquidiusculus à Sole cõcoctus cadit, quod præsertim fit messis tempore.* Ab Arabibus autem Manna dicitur, quæ hodie passim est in vsu. nam teste Mesue, *Manna est ros supra Plantas & lapides cadens, cuius materia est vapor qui eleuatur, cui accedit & digestio & maturatio in aëre.* Est autem duorum generum Manna, alia liquida, alia arida; liquida fictilibus asseruatur, & Arabico nomine Tereniabin, nobis mel Aëreum dicitur, hodie nullo in pretio habetur. Arida verò in ligneis vel vitreis vasis asseruatur, estque duplex, vel enim ex Oriente defertur, vel ex Calabria. Orientalis præstantior iudicatur, cuius etiam diuersa genera. Mastichina cæteris præfertur, quod exiguo grano Mastichis est similis, ita nuncupatur. quæ verò ex Calabria adfertur nõ vnius est generis, alia enim stirpium frondibus inheret, & primas obtinet partes: constat enim minutis granulis translucida, candida, nec gustui insuauis. minùs probatur quæ ramis insidet, minusque quæ lapidibus soloque adhæret. Hæc tamen Manna arida, nõ videtur Græcis veteribus cognita, sed tantùm liquida sub nomine mellis Aërei. sed nec benigna eius vis purgandi fuit nota; nusquam enim illius mẽtio, Arabibus tantùm innotuit eius usus, à quibus posteri edocti purgationibus illam miscent. an verò nostra hæc Manna, eiusdem sit generis cum illa, qua Israelitę, per multos annos in deserto diuinitus nutriti fuerint, dubitant multi; sed asserunt Franciscus Valesius, libro

bro de Sacra Philosophia, & Ioannes Franciscus Picus Mirandalæ Comes, his eruditis versibus.

——— Nubes
Sed placidum rorem, verno liquefacta tepore
Gignit, si pulsis nebulis, nox ipsa refulsit.
Hæc etiam semen Coriandri imitata rotundum
Cogitur, & ramis frondosæ stirpis adhæret.
Flauam corporibus bilem eductura. Sed olim,
Dum Iudæa cohors sitientibus exul arenis
Degeret. in pastum cecidit diuinitus, inde
Attoniti patres, Manhu dixere vetusti.

Sed non est nostri instituti illud exactius inquirere, nec de Mannæ viribus, vlteriùs disputare: siquidem de Re Cibaria, non de Medicamentis dicturum me præfatus sum.

CAPVT XLVII.

Saccharum veteribus Mel Arundineum dictum. non generatur in arundinum foliis. Salis modo in cannæ internodiis concretum. Sal Indicus.

PRoximum Melli est Saccharum, sed nobilitate & iucundo sapore illud longè superat. Ortus eius ex arundinacea planta, nec nisi ignis beneficio succus exprimitur, qui mox condensatus, Saccharum nuncupatur; vnde & veteribus Mel arundineum vocatum. Strabo lib. XV. refert in India arundines esse, quæ mel sine Apibus gignerent, quod procul dubio Saccharum est, huc alludit Poeta Lucanus, lib. III.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.

Arrianus in Periplo maris Erythræi, καὶ μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον Σάκχαρι, *& Mel arundineum, quod Saccharum dicitur.* Seneca epistola LXXXIV. *Aiunt inueniri apud Indos Mel in arundineis foliis,*

liis, quod aut ros illius Cæli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignit. Theophrastus etiam non omnino illud ignorasse videtur, scribit enim in fragmento libelli de Melle, de tertia Mellis generatione, Ἄλλη δὲ ἐν τοῖς καλάμοις. *aliud quod in Arundinibus fit.* in eo tamen aberrat Seneca, quod in arundineis foliis Mel inueniri dixerit, cùm illud non generetur nisi in ipsa arundine, non enim ortum habet vt Mel, super plantarum foliis, concrescente ibi roscida materia, sed in ipsis cannis nascitur, & multa coctura, & trituratione succus exprimitur, qui quo frequentius excoquitur, maiorem candorem acquirit; eius verò parandi rationem, Varro apud Isidorum originum libro XVII. his versibus insinuat.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo,
Illius è lentis præmitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere Mella.

Quod nec Statio Papinio ignotum, lib. I. Syluarum.

Et quas præcoquit Ebosita Cannas.

Ebusum enim Insulam Sacchari feracem fuisse, in veteri mea Hispania docui. Sed inuenio antiquorum plurimos, fuisse in illa opinione, quod Saccharum in cannarum internodiis, salis aut Gummi adinstar concresceret. Plinius l. XII. c. VIII. *Saccharum & Arabia fert, sed laudatius India: est autem Mel in arundinibus collectum, gummi modo candidum, dentibus fragile, amplissimum, Nucis Auellanæ magnitudine, ad Medicinæ tantùm vsum.* Dioscorides Plinio vetustior libro II. cap. LXXV. Καλεῖται δέ τι καὶ σάκχαρον, εἶδος ὂν μέλιτος, ἐν ἰνδίᾳ πεπηγότος καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ. εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων. ὅμοιον τῇ συστάσει ἁλσί. καὶ θραυόμενον ὑπὸ τοῖς ὀδοῦσι. καθάπερ οἱ ἅλες. *Vocatur & quoddam Saccharum, quod mellis genus est in India & felici Abrabia concreti, inuenitur id in arundinibus, concretione sua sali simile, & quod dentibus subiectum salis modo friatur.* qua de caussa veteres Medici Græci, etiam salem Indum vocarunt. Paulus Ægineta lib. II. cap. de linguæ asperitate ex sententia Archigenis. καὶ Ἅλς ὁ ἰνδικὸς, χροιᾷ μὲν καὶ συ-

σύσει, ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλὶ, γεύσει δὲ μελιτώδης. *& Sal Indicus, colore quidem concretioneq; vulgari Sali similis, gustu autem & sapore melleus.*

Sed illud Sacchari genus antiquorum, hodierno die prorsus ignoratur, nusquam enim in arundinibus illis reperitur, Saccharũ illud dentibus fragile instar salis, simile illi, quod hodierna die Candum, siue Saccharum Candidum vocamus, multa coctura, & arte in illam duritiem & candorem paratum.

Non defuerunt Viri docti, qui crediderunt Mannam nostram, veterum illud Saccharum esse, quia super arborum foliis concrescit; sed toto cælo aberrant. non enim dentibus est fragilis, nec sali similis: itaque potiùs aliquid à Manna diuersum fuisse suspicor, consulant hac de re curiosi, Manardi & Matthioli epist. Medicinales.

Sacchari autem facultas, secundùm Dioscoridem aluo & stomacho est commoda, aqua autem dilutum, vesicæ & renibus prodest, nec sitim inducit veluti mel, qua de caussa Gal. libro VII. de simpl. medic. facultatibus dicit, in quantum Saccharum stomacho confert, nec sitim inducit, eatenus à mellis substantia differt, calidius enim est mel, & maiorem acrimoniam quam Saccharum habet. rarum olim nec planè cognitũ Galeni tempore, nec nisi in Medicinæ vsus receptum. patrum memoria detectis primum Fortunatis insulis, mox & America, ingens eius prouentus cępit esse, adeo vt non solùm nitidioris vitæ instrumentum sit, sed pænè in quotidianum victum venerit. nullum pænè ferculum est, quod illo non condiatur, incredibile enim dictu, ad quæ obsonia non admittatur; acria lenit, acida obtundit, salsa mitiora austera suauiora reddit, fatuis & insipidis gratum saporem tribuit; atque vt vno verbo concludam, omnium saporum domitor videri potest; nihilque absque saccharo ferè ventri gratum, panificio operi additur, vinis miscetur, aqua etiam saccharo suauior, salubriorque redditur.

CA-

CAPVT XLVIII.

Sal ſacrificijs adhibitus. menſa profana abſque Salino. cur Neptunus & Ceres eodem phano colerentur. pulmentarij vices ſupplet. graciles impinguat. fœcunditatem auget. Ægyptij ſale abſtinebant.

VT Mel & Saccharum humanæ vitæ iucundiſſima, ita ſalem longè eſſe vtiliſſimum, & neceſſarium omnis antiquitas dixit; adeo vt iure optimo Homerus θεῖον, illum nominauit, Plato verò in Timæo, θεοφιλέστατον Dijs eſſe cariſſimum aſſeruerit; priſcorum etiam ſacrificia, hac de cauſſa nunquam citra ſalem conſtabant, nam cùm Thura nondum populis innotuiſſent, Mola ſalſa litabant, quod clarè Ouid. I. Faſt. tangit.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri Lucida mica Salis.

Statius I. Syluarum, in Soterijs Rutilij Gallicani.

——— Sæpè deis hos inter honores,
Ceſpes, & exiguo placuerunt Farra Salino.

Deus etiam opt. Max. in Leuitico præcepit; vt omni ſacrificio ſalem adderent. hinc ad menſas religio deriuata, vel ex Pythagoræ præcepto, vt Salinum in menſis haberent, vnde ab Arnobio ſcriptum, *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulachris Deorum.* qua de cauſſa pleriſque ominoſum habetur, ſi ſal in menſa contigerit euerti, quaſi menſa profana eſſet.

Plutarchus verò V. Symphoſiacorum q. VIII. Salem, τῶν ἄλλων ὄψων, ὄψον εἶναι, καὶ ἥδυσμα. *Aliorum condimentorum condimentum eſſe, & ſuauitatem conciliare dixit.* Vita enim noſtra citra ſalis vſum nulla eſſet, adeoque neceſſarius, vt non ſolùm abſque illo, cibi omnes eſſent inſipidi, ſed etiã prorſus corrumperentur & putreſcerent. Sed lubet audire Plinium lib. XXXI. cap. VII. *Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarii vicem implet, excitans*

auiditatem, inuitansque in omnibus cibis, vt sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta; Ita est in mandendo quæsitus garo. Quin & pecudes armentaq; & iumenta, sale maximè sollicitantur ad pastum, multo largiore Lacte, multoque gratiore, etiam in caseo dote. Ergo Hercule, vita humanior sine sale nequit degere: ideoque necessarium elementum est, vt transierit intellectus, ad voluptates animi quoque: nam ita sales appellantur: omnisq; vitæ lepos & summa hilaritas, laborumque requies, non alio magis vocabulo constat.

Itaque in re cibaria præcipuam gratiam inuenit, tanquam præstantissimum condimentum. obsonij etiam vice, veteres sale fuerunt vsi, ideoque communi Phano, colebantur olim Neptunus & Ceres, vt auctor est Plutarchus IV. Symph. q. IV. quod ille salem, Ceres panem dedissent. Plin. *Varro pulmentarij vice, vsos veteres auctor est, esitasse enim salem cum pane & caseo, vt prouerbio apparet.* Horatius lib. II. Satyr. II.

——— cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet.

Sed tenuiorum tantùm hic cibus erat, quod Persius docet Satyra V.

Vare regustatum digito terebrare salinum,
Contentus perages.

Facultas autem salis est, appetitum excitare, ventriculi pituitam & sordes detergere, immò & corpori pinguedinem addere, quod Veternarij nos monent. Apollonius etiam Herophili, maximi Medicorum discipulus, graciles & extenuatos, dulcibus vesci nolebat, sed salsamentis, & salsuginem habentibus, pro cibis vti iubebat: vt illorum tenuitas, faciliùs alimentum per corporis meatus traduceret, vt auctor est Plutarch. IV. Symph. quæst. IV.

Nec solùm obesos reddit sal, sed & fœcunditatem augere creditur, vnde pecuarij admissarijs equis, in venerem segnioribus: salem pabulis miscent. quibus etiam cura est alendi canes, salsis carnibus & salsamentis eos pascunt, quo ad gignendum

dum alacriores reddantur, qua de caussa non ineptè Poëtæ finxerunt, Venerem è salo natam, quam ideo ἁλιγενῆ, id est *saligenam* nuncuparunt; ideoque Ægyptiorum Sacerdotes, qui castimoniam profitentur, sale in totum abstinebant, adeo vt pane etiam insulso vescerentur: quoniam sal, caliditate & acrimonia sua, Venerem mouet, vt auctor est Plutarchus v. Symphos. quæst. x.

Duplex in primis est sal, fossilis vel ex marinis aquis paratus, eiusdem generis factitius ex terræ salsugine corriuatis fontibus, igneque in pyramidales massus excoctus, vt in multis Germaniæ locis videre est. Fossilis verò intra montium specus reperitur, & lapidis aut marmoris instar eruitur, quare ab aliquibus saxatilis vocatur: ab alijs Sal Gemmæ, quod instar crystalli sit lucidus; crassioris constitutionis, minusque calidus est: marinus verò tenuior, caliditatisque in eo plus, sicuti adstrictionis & stipticitatis in fossili, cuius frequentior vsus in Medicina. alter verò magis culinis conuenit, ad salsamenta etiam paranda vtilior: sed hoc interest, quod rudis & quasi nigricans, ad salsamenta aptior, candidus verò mensis magis inseruit.

Refert Leuinus Lemmius lib. III. de occultis Naturæ miraculis, cap. IX. Zelandos olim confecisse salem, ex maritimis glebis exustis, atque in cinerem redactis, quem infusa aqua minutatim in salem reducebant splendidum ac nitentem.

LVDOVICI NONNI MEDICI DE RE CIBARIA LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Animantibus primi mortales abstinebant. Capitale erat Bouem occidisse. à Deorum sacrificijs initium habuit animantium esus. Βουφόνια. à suibus immolandi initium sumptum. Pythagoras ab animantium esu homines absterruit. Brachmanæ illum imitati.

HACTENVS de Cerealibus, & Hortorum fructibus, abundè diximus: superest vt cibos illos percurramus, quos animantia nobis præbent. Prima illa, & verè innocens ætas, intactos hos reliquit: ac carnium esum, simplici victu contenta, prorsus damnauerat. Lucretius lib. v.

Quod Sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

Vnde Pythagoras apud Ouidium lib. xv. Metamorph.

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbas,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Nec

Nec frustra hoc vetustas credidit; sed à veritatis fonte hoc hausit, à sacris nempè litteris; nam in mundi primordijs, homines herbis fructibusque, ad diluuij tempus vsque tantùm vescebantur. Sed post Cataclysmum, permisit Deus animantium esum, iuxta illud Gen. cap. IX. *Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* quæ verba manifestè indicant, ante diluuium carnis esum homini non fuisse permissum, aliàs frustra mandatum hoc fuisset à Deo repetitum: multi tamen sanctimoniæ caussa ab animantium esu abstinebant, aliosque abducere conabantur.

Affatim enim alimentorum homini esse crediderant, citra sanguinem, & crudelitatis consuetudinem, vbi in morem venisset animantium cædes. ideoque ferunt Triptolemum Atheniensibus inter leges præcepisse, vt testatur Xenocrates apud Porphyrium lib. IV. περὶ Ἀποχῆς. Γονεῖς τιμᾶν. Θεούς καρποῖς ἀγάλλειν. Ζῶα μὴ σίνεσθαι. *Parentes honorare. Deos fructuum primitijs exornare. Animantia non vexare.* Illa enim agriculturæ tantùm caussa habebant, Boues verò tanquam laboris socios colebant, adeoque capitale erat Bouem occidisse, ac ciuem. Plinius lib. VIII. cap. XLV. *Socium enim laboris agrique culturæ habemus hoc animal, tantæ apud priores curæ, vt sit inter exempla damnatus à R.P. die dicta, qui concubino procaci, rure omasum se edisse negante, occiderit bouem, actusque in exilium tanquam colono suo interempto.* morem autem vescendi animalibus, à Deorum sacrificijs fluxisse plerique tradunt. quod grauiter apud Ouidium Metamorph. lib. XV. conqueritur Pythagoras.

Nec satis est quod tale nefas committitur, ipsos
Inscripsere Deos sceleri; numenque supernum,
Cæde laboriferi credunt gaudere iuuenci.

Porphyrius lib. IV. de non necandis animalibus ad epulandum, refert in Phœnicia & Cypro morem fuisse, nihil animatum Dijs immolare, donec & hoc antiquatum: atque paulatim ex animatis sacrificium institutum, sed consueuisse integram

victimam igne consumere. Sed Pygmalionis tempore, victimæ partem fortuitò in terram decidisse. quam sacrificulus excipiens, vt in aram reponeret, adustos digitos ori inconsulto admouit. vt dolorem ex vstione inflictum leniret; qui degustata pinguedine, & iucundo nidore allectus, non solùm carnes edit, sed & vxori porrexit: quod vbi Pygmalioni notum, ambos criminis reos ex saxo præcipitasse. Quod cum & alteri Sacerdoti euenisset, inceperunt homines paulatim leges contemnere, & carnis esu delectari. Idem verò refert lib. II. Athenis primo Bouem fuisse cæsum, à Diomo aut Sopatro, cum Dypolijs Sacra Ioui Poliæo faceret, idque fortuitò, quod Bos Placentam sacris destinatam absumpsisset, in cuius rei memoriam, sacra instituta, quæ Βυφόνια hinc dicta. Plinius verò lib. VII. cap. LVI. refert Hyperbium Martis filium, primum animal occidisse, Prometheum verò Bouem. alij Suillo pecore primo sacrificatum credunt, vnde & nomen illi à Græcis inditum, vt auctor est Clemens Alexandrinus Stromatum lib. II. λέγεται γοῦν τινὰ τῶν φιλοσοφούντων ἐτυμολογοῦντα τὴν ὗν, θὺν εἶναι φᾶναι, ὡς εἰς θύσιν, καὶ σφαγὴν μόνον ἐπιτήδειον. *Ferunt sapientiæ quendam studiosum affirmasse, suem nominatam à Græcis esse* ὗν, *tanquam* θὺν, *quod sacrificijs tantum atque epulis esset apta.* Quod etiam Athenæo placuit lib. IX. quorum opinioni Varro adstipulatur lib. II. de re Rustica. cap. IV. *Sus Græcè dicitur* ὗς, *olim* θῦς *sus dictus, ab illo verbo quod dicitur* θύειν, *quod est immolare; à Suillo enim genere pecoris, immolandi initium primum sumptum videtur, cuius vestigia, quod initijs Cereris, Porci immolantur, & quod initijs Pacis, fœdus cùm feritur, porcus occiditur. Et quod nuptiarum initio, antiqui Reges, ac sublimes viri in Hetruria; in coniunctione nuptiali, noua nupta & nouus maritus, primum porcum immolant. prisci quoque Latini, & etiam Græci, in Italia idem factitasse videntur.* Cereri autem porcum immolabant, quod ille segetes euerteret, quemadmodum Caprum Baccho, quod vitibus noceret; itaque nocua hæc animantia, primum sacrifica-

crificarunt, ob damna quæ Agricolis inferrent; Deos rati ſacrificia hæc lubenti animo ſuſcipere, quod ab infeſtiſſimis ſuis hoſtibus pœnas exigerent, Ouidius Metamorph. libro xv.

—— Et prima putatur
Hoſtia Sus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemq́ue interceperit anni.
Vite Caper morſa, Bacchi mactatus ad aras
Dicitur Vltoris; nocuit ſua culpa duobus.

Ab hiſce tenuibus principijs, ferunt in populos manaſſe κρεοφαγίαν, ſiue carnium eſum; donec Pythagoras, multis rationibus conatus homines ad priſcam viuendi rationem reducere; Pythagorei, præceptoris ſui placitis addicti, carnium eſu non ſolùm abſtinebant, ſed etiam cæteros abducere conabantur; præcipuè verò religionem hominibus inijciebant, ſceleris ac parricidij metu: cùm poſſent in parentis animam inſcij incurrere, & ferro morſuve violare animal, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur: ob animarum à corpore, in aliud corpus migrationem, quam μετεμψύχωσιν nuncupabant. quæ deliria Porphyrius libris quatuor acriter & doctè defendit. Iamblicus lib. I. de Vitâ Pythagoræ cap. XXIV. refert ipſum non ſolùm ab animantium eſu ſe abſtinuiſſe, ſed etiam aras incruentas ſeruaſſe: quòd etiam Philoſtratus lib. I. cap. I. de Vitâ Apollonij Thyanei aſſerit. Pythagoræ etiam dogmata obſeruabant apud Indos Brachmanæ olim, vt videre eſt apud Philoſtratum lib. III. cap. VIII. vbi Iarchas refert Apollonio, Brachmanas animantibus non veſci. hodierna etiam die fide digni auctores tradunt, apud Indos inter Bramanes, (qui ab antiquis Brachmanibus originem trahere gloriantur, hæc deliria perdurare. nam pertinaciter animarum tranſmigrationem defendunt, & animantium eſum auerſantur. Sed Iamblicus lib. I. cap. XXI. Pythagoricos conſueuiſſe in conuiuijs apponere carnes, quæ à ſacerdotibus Dijs

immo-

immolarentur. Sed Ariſtoxenus Muſicus Ariſtotelis auditor, apud Agellium lib. IV. cap. XI. refert Pythagoram non omnino ab animantibus abſtinuiſſe, ſiquidem & Porculis minuſculis, & hœdis tenerioribus victitaſſe docet. Plutarchus verò, libro, non poſſe ſuauiter viui ſecundum Epicuræos; refert Pythagoram nouo quodam Geometriæ diagrammate reperto, Bouem immolaſſe: licet hoc Cotta apud Ciceronem lib. III. de natura Deorum non crederet, quoniam ille, ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluit, ne ſanguine aram inficeret. Plutarchus libro quem de Homero ſcripſit, refert ex Ariſtotele, quibus animalis partibus Pythagoras ſe abſtinuit. Ἀριστοτέλης δὲ μήτρας, καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλύφας, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαί, φησι τοὺς Πυθαγορικοὺς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις. *Ariſtoles à vulua, corde, & marina Vrtica, atque id genus quibuſdam alijs abſtinere Pythagoricos dicit, cæterorum verò vſum habuiſſe.*

CAPVT II.

Carnium eſus ſalubrior oleribus & fructibus. optimum gignunt ſanguinem, modò bene concoctæ fuerint. reſpondetur argumentis aduerſariorum qui carnes damnant.

AB ara in menſam peruenerunt carnes, nam poſtquam Dijs ſacrificatum erat, reſiduum Hoſtiæ ſacerdotes epulabantur, hinc ad reliquos Mortales carnis eſus deriuatus, guſtata enim eius ſuauitate, fructus, oleraque neglexere. quippe experimento compertum, ſalubrius longè alimentum præbere hominibus animantia, quam arborum fructus, vel cætera hortenſia: quidquid Pythagoræi obſtrepant. pleraque enim, Cerealibus exceptis, paucisq; olerum, fructuumque arboreorum, vitioſi potius aut medicamentoſi ſucci ſunt: nonnulla verò naturæ noſtræ adeo aduerſa, vt prauos ſuccos, nonnunquam etiam pernitioſos ingeſta generant. vnde progreſſu tēporis maligni,

vel

vel pertinacissimi morbi procreantur. quare vnanimi consensu, ad animantium esum confugerunt, quod in illis plurimum alimenti, & naturæ nostræ maximè consentaneum, minimumque vitij inesse perspexissent; facit hoc cognatæ naturæ cõuenientia, idemque propemodum temperamentum aliti & alentis: materia certè eadem sanguis in vniuersum, aut rei, proportione sanguinis naturæ respondentis; quis enim negabit, maiorem esse affinitatem, inter animata quàm inter inanimata, inter suillum pecus, boues & oues, quàm inter arborum fructus, & legumina, aliaque hortensia: quare cùm nutrimenti ratio, potissimum in substantiæ totius propriæ ac familiaris modo consistat, nusquam autem maior ille, quàm in animalium genere conspiciatur, materię videlicet propinquitate, vnde alimentum corpori prouenire debet. non indiget etiam tanta transmutatione ad nos alendum, nec naturæ nostræ adeò laboriosa, ac illud quod ex stirpibus, plantisque suppeditatur; accedit etiam quod alimenti inopia, damno semper est. destitutis enim alimento suo corporibus, valetudinis vitæque noxa maxima accedit, monuit enim Hipp. lib. VI. epid. com. V. tex. XXI. τὰ ἀσθενέστερα σιτία, ὀλιγοχρονίαν βιοτὴν ἔχει, *imbecilles cibi, exiguam vitam præstant*. Imbecilles autem cibi sunt, qui exiguum alimentum corpori præbent, quales sunt omnes quos hortus, agerque subministrant; si itaque tales cibi parum nos alant, necesse etiam est, vt parum nos vitales reddant; siquidem vitalis noster calor, qui multis de caussis dissipatur, nisi validioribus alimentis restauretur, breuî extinguetur necesse est; quare cùm carnium esu facillimè sustentatur, illarum vsus maximè erit commendandus. Galenus certè lib. I. de Alim. facult. docet, carnes cùm probè concoctæ fuerint, optimum gignere sanguinem, præsertim, si animalium fuerint quæ boni succi sunt, cuiusmodi suillum genus est; idem Oribasius, tom. II. lib. II. Collectaneorum ca. XXVIII. quibus etiam Auicenna subscribit, cùm dixit, grauius detrimentum percipi ex

pi ex

pi ex pane minimè concocto, quàm ex carnibus incoctis; vnde vulgatum illud manasse crediderim, Alimenti omnis repletionem esse prauam, panis autem pessimam. Sed nulla vnquam doctrina fuit adeò perspicua & certa, quæ difficultates suas non habeat; ita non est mirum, si & in nostra hac disputatione, obiectiones quædam sunt, quæ nos remorari possunt. quare non inutile fuerit illas dispellere, priusquam vlterius institutum prosequar.

Præcipuæ sunt, quas Plutarchus lib.1.de esu carnium adducit. Natura non videtur hominem condidisse, vt carnibus vesceretur, siquidem carniuora animalia, eam habent corporis speciem, & figuram, quæ vt est humani corporis constitutioni dissimilis, ita ad esum carnium maximè conueniens; aduncum rostrum, vngues acutos, dentium acumen, alui robur, & calorem innatum ad concoquendum validissimum. in homine verò omnia contraria, os planum, dentes & vngues non admodum acuti, venter imbecillis, calor moderatus.

Quibus addunt, cùm non edantur ab hominibus carnes crudæ, sed elixæ aut assæ, variisque saporibus conditæ: indicio esse, quod hominis naturæ non conueniant, alioquin crudæ essent assumendæ, vt carniuora solent animalia illas deuorare. quod si ergo humanæ naturæ non conueniant, ergo nec sanitati tuendæ vtiles erunt.

Noxias potius dicemus, tum concoquendi difficultate, tum ob molestas cruditates, quas nobis ingestę pariunt: tum putredine, qua facillimè corripiuntur illi, qui liberalius illis indulgent, adeò vt promptissimè Lumbricis corripiantur, vnde pueris illarum esum solemus interdicere.

Sed procliue est difficultates hasce diluere: Nam licet homines rostro vel serratis dentibus careant; manus tamen illis natura dedit, quibus tela sibi pararent, quæ dentium robur, vnguium ac rostri duritiem adæquent, immò superent: rationem verò & sollertiam indidit, vt retia & canes sibi compararet,

quibus

quibus Feras venentur; nec vrget quod ad concoquendum crudas carnes, caloris robore brutis cedant: ideò enim ignis beneficio vtuntur, vt crudas concoquant, & coctas mox faciliùs quàm bruta digerant.

Cum verò asserant carnes homini non conuenire, quia crudis illis non vescantur; quid hoc est aliud dicere, nisi feram ex homine efficere? an ideò etiam triticum & Cerealia aliqua damnabimus, quia crudis illis non vescimur modo, sed multiplici præparatione, in aliam penè speciem, dum panis ex illis conficitur, transmutamus, quod quàm sit à ratione alienum, neminem latere puto.

Nec illud admittendum, concoctu carnes esse difficiliores, & cruditates inducere, si modus adhibeatur; nihil enim adeò salubre in tota victus ratione, quin nimia sua copia, vel præpostero vsu, cruditates non possit inducere. Sunt etiam quædam carnes quæ validè nutriunt, nec ita facilè à calore nostro superantur; sed non omnibus illæ conueniunt; exemplo sit Suilla, quę vrbanis otiosisque molesta erit, eadem tamen, milites, nautas & agricolas egregiè nutrit, non enim omnia cuilibet conducunt. quod verò facilè putrescunt; similitudinem arguunt quam cum humana natura habent, quando & humana cadauera promptissimè putredine tentantur, & vermes gignant: Pueri verò Lumbricis sunt obnoxij, non ob carnium vsum, sed ob nimiam edacitatem & ingluuiem. iuuenes enim ac seniores maiori copia carnes ingerunt, non tamen adeo facilè lumbricis corripiuntur, quia stato tempore cibos sumunt; nec ita facilè corrumpuntur & putrescunt, ac pueris, qui ob assiduam voracitatem, in cruditates & putredinem incurrunt.

CAPVT III.

Suibus anima data pro ſale, ne putreſcerent. illarum caro potentiſsimè nutrit. Athletæ primum caſeo & ficubus vtebantur, mox ſuilla carne. δέλφακες, χοῖρος. λακτενδόπεκλοι, *Subrumi, Nefrendes, Sacres. Delici.*

CVm conſtet ſalubrem eſſe carnis eſum, tempeſtiuum eſt animantia in medium adducere, ex quibus homines potiſſimùm alimenta ſibi, vel ſalubritatis vel deliciarum cauſſa expetunt. primò occurrunt quadrupedes, quæ partim domeſticæ, partim feræ; à domeſticis quæ nobis maximè ſunt familiares auſpicabor. inter quas maximè commendantur ſues, quas nihil habere præter eſcam, tantumque donatas à natura ad epulandum, antiquitas vnanimi conſenſu aſſeruit. ideoque Chryſippus apud Porphyrium lib. III. aſſeruit, καὶ τῇ σαρκὶ, τὴν ψυχὴν ὁ θεὸς οἷον ἅλας ἐνέμιξεν, εὐοψίαν ἡμῖν μηχανώμενος, ὅπως δὴ ζωμοῦ καὶ παρὰ δειπνίων ἀφθονίαν ἔχωμεν. *& carni eius animam, tanquam ſalem Deus miſcuit, molitus nobis lautum conuiuium, vt iuſculorum & commodarũ cœnarũ affatim haberemus.* Sic etiam Cicero l. II. de natura Deorum. *Sus quid habet præter eſcam, cuius quidem caro, ne viuenti putreſceret, animam ipſi pro ſale datam, dicit eſſe Chryſippus: qua pecude, quod erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.* Plato comicus apud Clementem Alexandrinum lib. VII. Stromatum, dicebat, nullas nos debere pecudes occidere præter ſues, quia & carnes ſuauiſſimas habent; & à viuente Sue, nihil nobis eſſe præter ſetas, lutum & clamores. Sed cùm animal hoc adeò ſit brutum, tantamque animæ diſſimilitudinem cùm homine habeat; corpore adeò illi aſſimilatur, vt ex nulla alia pecude, alimentum petatur quod naturæ noſtræ magis conueniat, tantamque habet cum humana car-

carne affinitatem; vt pessimorum cauponum scelere, appositas aliquando humanas carnes, quidam (detecta mox fraude) pro suillis ederint, nullo saporis vel odoris discrimine, vt refert Gal. lib. III. de Alim. facultatibus. alimenti itaque præstantia, inter omnes cibos præcipuè nobilitatur suum caro, nam & optimum generat sanguinem, & potentissimè nutrit, quotiescumque in ventriculo bene concoquitur. Gal. lib. de cibis boni & mali succi, ex pedestribus animãtibus, suillam carnẽ probatissimum cibum esse docet. III. verò de Alim. facultatibus, *Omnium itaque ciborum, potentissimè suum caro nutrit, cuius rei Athletæ certissimum præbent indicium, si enim paribus exercitationibus, parem molem alterius cibi, pridie totum diem comederint, postero die statim sentient sese redditos imbecilliores.* Priscis enim temporibus, cum Athletæ qui corporis moli augendæ, viribusque vnicè studerent: lacte tantùm, caseisque aqua irroratis vescebantur, mox etiam caricis, tanquam cibis qui maximè nutrirent; donec Pythagoras Alyptes antiquato veteri instituto, ad carnium esum illos traduxisset, vt refert Claudius Neapolitanus apud Porphyrium, lib. I. Pausanias verò lib. VI. refert Bromeum ex Stymphalo oriundum, Athletas ad carnium vsum traduxisse, cùm priùs caseo ex calathis victitarent. Cur autem suilla caro inter omnes maximè alat, in caussa, est lentor & substantiæ visciditas, qua reliquas carnes longè superat. Bubula enim caro, substantiæ crassitie, suillam quidem superat, sed lentore vincitur. quod autem maximè nutriat, Galenus docet lib. VII. Methodi Medendi cap. VI. *Porrò omnium quos nouimus ciborum, maximè nutriens Suilla caro est, veruntamen non æquè ac prædicta concoctu facilis; prætereaglutinosum succũ crassumq; generat: alioquin nec alio esse habitu potest, quod in summo sit nutriens. quippe adhærere id debet, & firmiter affigi, non autem præ tenuitate diffluere.* Licet autem suilla caro hasce dotes habeat, non tamen omnibus æquè conuenit, siquidem vt laboriosam vitam viuentibus, summopere est necessaria, ita etiam illis

noxia, qui ſedentariam agunt, nec laboribus exercitam; multum enim excrementorum in his generaret, quæ alij magis laboribus facilè diſcutiunt.

Magnum etiam diſcrimen in ætate eſt; alia enim ætas, aliis magis eſt conueniens. auctor eſt Galenus, hominibus ætate florentibus, & qui ſe multum exercent, Suum ętate vigentium carnes vtiliſſimas eſſe, aliis verò, Suum adhuc creſcentium, quod non ita abundè nutriant. Sed lubet paulò diffuſiùs de Suum ætate inquirere, quod apud veteres, varia etiam illis nomina indita fuerint, vnde ſæpius apud claſſicos ſcriptores tenebræ, niſi illa ritè diſtinxeris.

Ariſtophanes Grammaticus apud Athenæum lib. IX. Sues, in Delphacas, & Choiros diuidit. τῶν δὲ συῶν τὰ μὲν ἤδη συμπεπηγότα, Δέλφακες; τὰ δὲ ἁπαλὰ καὶ ἔνικμα, χοῖροι. *de genere Suum, quibus, corpus robore compactum eſt Delphaces; quibus molle & tenerum Choiri ſiue porcelli.* Simeon Sethi, è contra Delphacas videtur vocare, porculos recèns natos, quos ſuo tempore dictos fuiſſe λακτινδόπουλους dicit; hos humidos & ſuperfluitatibus redundantes, nec boni ſucci eſſe ſcribit. Sed nec ſemper χοῖροι, ſunt lactentes porcelli, nam Varro, χοῖρον, generali nomine Porcum appellat, lib. II. de re Ruſtica. *Porcus Græcum eſt nomen antiquatum, ſed obſcuratum, quod nunc eum vocant* χοῖρον. quare ad maiorem diſtinctionem quidam χοίρεα vocant, Latini Lactentem vel Subrumum. cuius carnem multis fuiſſe in deliciis, Martial. lib. XIII. oſtendit.

Lacte mero paſtum, pigræ mihi matris alumnum,
Ponat: & Ætola de ſue diues edat.

Medicis tamen damnatur: recens enim editorum caro perhumida eſt, oſſaque inſtar caſei recenter coagulati humore diffluunt. amiſſo nomine lactentis, dicuntur Nefrendes, quod nondum fabam frendere poſſunt, id eſt frangere, Martialis huc reſpexit lib. III. Epigr. XLVII.

Nondumq; victa Lacteum faba porcum.

Varro

Varro etiam Delicos à quibuſdam vocari ſcribit, cum porci depulſi ſunt à mamma, neque iam lactentes dici. erant etiam veteribus Sacres dicti, quòd à decimo die habentur puri, quia tum ad ſacrificium idonei primum dicerentur. Plautus in Menæchmis.

Adoleſcens quibus hic pretiis, veneunt porci
Sacres, ſinceri.

Sed in viam redeo. Lactentibus multò ſalubriores ſunt Nefrendes, quòd carne iam ſint compactiore, minuſq́ue humida. omnium verò ſaluberrimi ſunt mediæ ætatis, magiſq́; in pretio erant. vnde & Homerus in Odyſſæa, inducit Eumæum qui ignoto & naufrago Vlyſſi apponit porcellos.

——— ἀτὰρ Σιάλυς δὲ σύας μνηστῆρες ἔδυσι.

Sed adultos ſues Proci edunt. teterrima verò vetuſtioris Porci caro: quæ præterquam quòd ægrè concoquitur, concocta, sãguinẽ atra bile inficit. optima itaque eſt caro porcorum mediæ ætatis, quæ necdum veteris victimæ ætatem aſſecuta fuerit, tum ad gulæ illecebras, tum ad corporis alimoniam: illaq́ue non ſit nimis macra, nec nimis obeſa, vt monet Hipp. lib. IV. de Ratione victus in morbis acutis.

Ex nullo autẽ alio animali, numeroſior eſt Ganeæ materia, ſiquidem teſte Plinio, quinquaginta propè illi ſunt ſapores, cũ cæteris ſinguli. nihil enim ferè in hac pecude reperias; quod non ſit edendo, ſuamq́ue peculiarem ſuauitatem referat. Titum Quintum ferunt, in Chalcide apud hoſpitem cænantem, miratum fuiſſe carnis varietatem, Solſtitiali illo tempore; hoſpitem ſubriſiſſe, atque adfirmaſſe eas omnes ſuillas eſſe, condimentis tantùm differre. vt auctor eſt Plutarchus in Apophtheg. Hinc Abdomina priſcis celebrata, Glandia, Sumina, Vuluæ, Sincipitia, Verrina, Pernæ, aures, pedes, coſtæ, ſpina, roſtrum, denique ſanguis, & inteſtina ipſa; nam operoſum eſſet ſingula recenſere quæ ex Sue ſunt cibaria.

Sed non immeritò dubitabit aliquis, quomodo Suilla ca-

ro magis alat, & præ cæteris carnibus temperatior erit, cùm hoc animal ſemper in cæno & luto volutari gaudet, iiſque nutriatur. Soluit hunc nodum Simeon Sethi. *Niſi*, inquit, *bene temperatum eſſet ſuis corpus, nunquam malum nutrimentum in bonam carnem conuerteret; quemadmodum enim inter homines, qui corpore ſunt bene temperato, à mali ſucci alimentis non valdè læduntur; quoniam natura, paulatim quod noxium eſt in bonum ſuccum conuertit, ſic & in brutis animantibus agit.*

In Inſula D. Thomæ, ferunt, altiles porcos, adeò ſuaues & delicatos eſſe, vt gallinis non cedant. qua de cauſſa ægrotis illorum caro in cibum datur; quòd ideò accidere ferunt, quia cannis aluntur, ex quibus Saccharum expreſſum. alij Cæli & Solis benignitati adſcribunt, ita Scaliger. exerc. 164. in Cardanum.

CAPVT IV.

Pernæ Ceretanæ. Petaſonis pars Perna. Vulua alia erat Eiectitia, Porcaria & Sterilis. Plinius explicatus. Sumen prius Abdomen vocatum. Succidia. Laridum inter Caſtrenſes cibos.

ETſi ſtatueram de partibus animalium ſeorſim ſcribere, illiſque peculiarem locum dare, non potui tamen, quin extra ordinem aliquid de nobilioribus Suillæ particulis dicerem, quod nihil commune cùm aliis animantibus haberent. In pretio erant olim variæ partes, vt Abdomina, Glandia, Sincipitia, Vuluæ, Pernæ. pleraque nunc exoleta. Pernæ verò adhuc in maximo paſſim honore; primis menſis quidam apponunt ad excitandam Orexim, alij vltimis, vt laſſum ſtomachum acrimonia ſua vellicent, & ſitim excitent, vt Horatius ait libro II. Satyr. IV.

——— *Perna magis, ac magis Hillis.*
Flagitat in morſus refici.

Expe-

Expetebantur autem inter omnes Hiſpanicæ, inter quas optimæ Cantabricæ & Cæretanæ. de quibus Strabo lib.VII. *Conualles montium tenent Cæretani, maxima Hiſpanorum natio: apud quos excellentes Pernæ conficiuntur, quæ vel cum Cantabricis de principatu contendunt.* Martialis Lemmate de Perna.

Cæretana mihi fiet, vel miſſa licebit
De Menapis, lauti de Petaſone vorent.

Sed vt hoc obiter tangam, Poëta, de Petaſone aliud Lemma ſcribit, tanquam de rebus diuerſis, cùm tamen paſſim pro eadem re vſurpentur.

Muſteus eſt, propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo ſit Petaſone nihil.

Et eſt reuera diſcrimen aliquod, nam Perna pars eſt Petaſonis, Athenæus. ἐπειδὲ πετασῶνος μέρος ἐκάστῳ κεῖται τὴν πέρναν καλοῦσι. *Itaque pars extrema Petaſonis & maximè pedem attingens Perna eſt*, propriè autem ſunt Pernæ, ſuum crura, quod etiam de hominibus dixit vetuſtiſſimus Poëtarum Ennius.

His Pernas ſuccidit iniqua potentia Pœni.

Vnde antiqui, *ſupernatos* vocabant, quibus crura ſucciſa eſſent, in morem ſuillarum Pernarum. putant etiam aliqui Petaſonem ita dictum, quod ad Petaſonis formam, ex ſue exciſus eſſet. poſt Hiſpanicas, palmam dat Poëta Menapijs, quæ noſtra ætate non degenerant, atque ex Weſtphalia aduehuntur: Moguntiacis etiam ſua laus eſt, præſertim in Gallia & Italia. moderatus illarum vſus conuenit ijs, qui ſtomachum lenta pituita obſeptum habent, vi enim ſua attenuandi, pituitam incidit, & ἀναστομάσιν ſiue appetentiam reuocat.

Sed nulla in re maior veterum inſania, quàm in Suilla Vulua, hanc illi tanquam Διὸς ἐγκέφαλον, in ſummis lautitijs reponebant, vnde Poëta,

Nil melius Turdo, Vulua nil dulcius ampla.

Triplex autem priſcis erat, Eiectitia, Porcaria, & Sterilis. de

lis.de duabus prioribus, Plinius libr.XI.cap.XXXVII. *Vulua eiecto partu melior, quàm edito: Electitia vocatur illa, hæc Porcaria; primiparæ suis optima, contra effœtis à partu, præterquam eadem die suis occisæ, liuida ac macra.* magnas turbas hic Plinij locus, inter Gregorium Merulam, & Cornelium Vitellium dedit, quas hic prudens prætereo. tamen cum Vitellio lubens legam, *Vulua enecto partu melior quàm edito.* differentia enim Vuluæ eiectitiæ & Porcariæ in illo erat, quod Vulua eiectitia diceretur, quæ aborsum passa erat, ideoque ab Athenæo ἐκβόλιος dicta. Porcaria verò quæ fœtum ediderat. Sed cùm bruta rarò abortum patiantur ab interna caussa, mulieres verò frequentissimè; vi cogebantur abortire sues: obseruauit hoc Plutarchus, oratione II. de esu carnium. *Alij verubus ignitis porcos iugulant, vt ferri tinctura, sanguis extinctus, atque diffusus carnem molliat, delicatamque reddat; alij vberibus suum fœtarum, instante partu insiliunt eaque calcant, vt sanguinem & lac, & tabum fœtus simul interfecti, inter matris dolores eximentes, proch Piacularis Iupiter! maximè inflammatam animalis partem vorent.*

Procaria verò est, quæ post suis partum tollitur, sed primiparæ optima, contrà verò effœtis à partu, præterquam eadem die suis occisæ, liuida est & macra, de hac audiendus Martialis.

Te fortasse magis capiat de virgine Porca,
Me materna grauis de Sue Vulua capit.

Itaque Porcaria in eo videtur differre ab Eiectitia, quod illa naturali partu edito, ex scropha tollebatur; hæc verò prius per violentiam necato & eiecto, exempta fuit. Tertia erat Vulua sterilis, de qua Cornelius Celsus lib.II.cap.XXIV. inter cibos, qui stomacho vtiles sunt, recenset, *ex sue vngulas, rostra, aures, vuluasque steriles.* Apitius etiam lib.VII. de re culinaria cap.I. *Vuluæ steriles, hoc modo præparentur, Laserem Cyrenaicum, vel Parthicum, aceto & liquamine temperato, & Vuluæ sterili apponito;* hæc videtur illa esse cuius Martialis suprà meminit.

Te for-

Te fortasse magis capiet de virgine Porca.

Quomodo autem ex virgine Porca,eximeretur Vulua,quæ aliquibus erat gratissima: castratione id factum crediderim. Plinius lib.VIII.cap.LI. *Castrantur fœminæ quoque, sicut Cameli post bidui inediam, suspensæ pernis prioribus, Vulua resc issa, celerius ita pinguescunt.*

Sed hæc omnia probabiliter dicta sint, si quis meliora adduxerit, gratiam illi habebimus. Plutarchus certè lib.VIII. Symp.quęst. IX.vt rem nouitiam,memorat suo tempore Vuluas pro iucundissimo edulio habitas fuisse, cum antiquiores illis vix vsi fuerunt. quod mirum,cum Martialis illo vetustior, Vuluam laudauit,vt citati eius versus docent. Sed & Sumen eius inter delicias annumeratur, quod nihil aliud erat præter mammam Suis fœtæ lacte plenam.Nonnius Marcellus. *Sumen propriè à sugendo dictum, nam & mulieris mammam, Sumen veteres dici voluerunt* quod & Martialis docet.

Esse putes nondum Sumen, sic vbere largo
Effluit, & viuo lacte papilla tumet.

Optimum erat Suis statim occisæ à partu, vt Plinius,dicit,si modo fœtus non hauserit. Romani enim luxus caussa, nunc fœtam, nunc lactentem suem cedebant, vt papillis lacte turgentibus vescerentur, vnde ab Imperat. Alexandro Seuero interdictum, (cûm P. R. quereretur caram esse Porcinam carnem,) *ne quis suminatam suem occideret*, vt auctor est Ælius Lampridius, hoc est,Lactantem, quam non occidi, intererat ad spem sobolis propagandæ. Videtur primo Abdomen vocatum, mox à Publio Mimorum Poëta, Suminis illi nomen inditum.Plinius lib. VIII.cap.LX *Hinc Censoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis Abdomina, Glandia, Testiculi, Vuluæ, Sincipitia, Verrina,vt tamen Publij Mimorum Poëtæ cœna, postquam seruitutem exuerat.nulla memoratur sine abdomine, etiam vocabulo Suminis ab eo imposito.* Quomodo tamen hoc verum sit non video, cum Lucilius illo vetustior,hoc nomine vsus fuit in Satyris.

Illum Sumina ducebant, atque Altilium lanx.

& ante Lucillum, Plautus in Captiuis,

Quanta Sumini absumedo, quanta Labes larido.

Laridum etiam subministrant sues, ab omnibus expetitum: veteres Succidiam vocabant. Nonnius Marcellus, *dicitur & Succidia, quod est Laridum*, Varro lib. II. de re Rustica cap. IV. *Quis enim fundum colit nostrûm, quin sues habeat: & qui non audierit patres nostros dicere, ignauum & sumptuosum esse, qui Succidiam in carnario suspenderit potius ab Lanario, quàm ex domestico fundo.* Dicta autem Succidia eodem auctore lib. IV. de lingua Latina, *à suibus concidendis, nam id pecus primum occidere cæperunt domini, & vt seruarent, salere.* Succidia itaque, seu Laridum, est caro suilla salita; quæ robustis hominibus conuenit, vt nautis, messoribus & militibus, ideoque inter castrenses cibos recensebatur, vt monent Ælius Spartianus in vita Hadriani: & Vulcatius Gallicanus, in Auidio Cassio: prisci Romani in Reipub. illa innocentia, in delicijs laridum habebant, (vt multi adhuc passim populi, quos luxus necdum corrupit) testatur hoc Iuuenalis Satyr. XI.

Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam, festis seruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere Lardum;
Accedente noua si quam dabat Hostia, carne.

CAPVT V.

Nefas olim Bouem occidisse. Heroum cibus bubula. Melancholicum succum generat. Vitulus Damalio dictus. Lactentes vituli præstantissimi. Iunices, siue iuuencæ.

BVbulæ carni etiam suæ dotes, & in vsu frequentiori quàm Suillæ, omni enim anni tempore mensas instruunt, non solùm apud plebeios, sed etiam apud Proceres; frequentissimè enim

enim illa veſcuntur recenti; contrà verò in Suilla accidit, quam pauci elegantiorum, niſi ſalitam vel fumo duratam attingunt; non negauerim tamen, quin alibi etiam recens in vſu ſit. Superioribus ſæculis, ætate nempe illa aurea, magnum flagitium erat, Bouem occidiſſe, vnde querela Poëtæ.

Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt,
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem.
Et guſtare manu vinctum domitumque iuuencum.

Varro libr. II. de re Ruſtica, de Boue loquens, *Hic ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſterio: ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, vt capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet.* Columella libr. VI. in procemio, *cuius tanta fuit apud antiquos veneratio, vt tam capitale eſſet, Bouem necaſſe, quàm ciuem.* quia ſceleſtum illis videbatur, animal illud ad menſas traducere, à quo plurima emolumenta, tum in agricultura, tum in victu perciperent.

Homerus cùm veterum Heroüm epulas deſcribit, Bubula carne aſſiduo illos vſos oſtendit. Aiacem certè poſtquam cum Hectore congreſſus fuit, Agamemnon Boum tergoribus virtutis cauſſa donat. Alcinoum etiam, licet delicatiori vitæ aſſuetum, & voluptatibus deditum, Bubula carne veſci narrat. Ananius verò, apud Athenæum lib. VII.

Βȣ̃ς δὲ πανθεὶς δοκέομεν, καὶ μεσέων νυκτῶν ἥδυς κ᾽ἡμέρης.

Bos verò ſaginatus, & medijs noctibus vt videtur, & interdiu cibus eſt gratiſſimus. itaque bubula olim etiam in honore fuit. Alimentum autem corpori ſuggerit, non mediocre, nec diſſipatu facile, ſanguinem tamen generat craſſiorem, ſed quantum ſubſtantiæ ſuæ craſſitie, Suillam ſuperat, tantùm Suillæ bubulas lentore vincũt, vt auctor eſt Galenus: quod ſi verò natiuo temperamento Melancholicus fuerit, qui largius ijs ſe impleuerit, melancholiæ vitijs proculdubio corripietur, qualia ſint lienis obſtructiones, Scabies, Cancer, Quartana. quæ tamẽ frequentius in calidioribus & ſiccioribus regionibus eueniunt, quàm in fri-

in frigidioribus; præſertim ſi iuniores boues bene ſaginati fuerint; nam de veteribus, vel opere Ruſtico multum exercitis, non eſt mihi hic ſermo; quoniam duriori carne prædití, & macilenti valde, quare etiam difficulter concoquuntur.

Commodiſſimus autem eſt bubulæ vſus, quibus ſtomachus eſt calidus, & qui valido opere aſſiduo exercentur. Hyeme potiſſimùm lautas epulas præbet, toto Galliæ & Belgicæ tractu. apud Britannos verò in maximo eſt honore, feruntque nuſpiam ſuauiorem bubulam eſſe. elixa frequentiſſimè in Belgica editur, aſſatur etiam nonnunquam, præſertim coſtæ.

Sale etiam bubulam condire, moris eſt & in annum ſeruare, cuius modicus vſus ſtomacho pituitam detergit, & potoribus ſitim accendit; frequentior verò eſus, melancholicas paſſiones inducit, non ſecus ac fumo durata, quæ Septentrionalibus populis in delicijs eſt.

Vaccæ etiam in macellum veniunt, ſed alimenti bonitate, longè Bubula inferiores, quæ etiam ſenio longè deteriores euadunt; qua de cauſſa, vix niſi à plebecula eduntur. inter illas tamen ſunt, quas lautiores non ſpernerent, Steriles nempe, quas Tauras veteres vocabant. Feſtus. *Tauras Vaccas, Steriles dici exiſtimabant, hac de cauſſa, quod non magis quàm Tauri pariant.* Homerus Odyſſ. γ. βοῦν στεῖραν vocat, ſeu *bouem ſterilem.*

Sed quantum iuniores boues, vetulos & vaccas ſalubritate & concoctionis facilitate ſuperant, tantum etiam Vitulina bubulæ eſt præferenda. euincitur enim illa natiua ſiccitas, ætatis humiditate; ita vt nulli quadrupedum generi ſalubritate cædat. Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri, videtur vitulum Damalionem vocare, *Tunc ille non quidem vilitatem propoſuit, ſed iuſsit ne quis ſuminatam, ne quis Lactentem occideret, ne quis vaccam, ne quis Damalionem.* Græca vox eſt δάμαλις, vnde Damalio, nam teſte Dionyſio Halicarnaſſæo lib. 1. Antiq. Rom. καλοῦντες τὸν δάμαλιν οὐΐτουλον. *Vocantes Damalim vitulum.* Cæterum plurimum intereſt, lactens ne ſit vitulus, an ſecus. Lactentes enim

enim ſucci bonitate, copia, & carnoſæ ſubſtantiæ bonitate, cum hœdis certare poſſunt. quod ſi verò vitulus ſub ipſis vberibus caſtretur, incredibile quantum teneritudinis carni hinc accedat. eruditior gula excogitauit toto ſemeſtri, aliquando etiam integro anno, vitulos ab omni pabulo depellere, & mero lacte nutrire; ſic enim pretioſiores & palato longè iucundiores euadere certum eſt. quod etiam apud Belgas noſtros factitatum ſcimus: Gandenſes inter omnes palmam ferunt. Hiſpani vitulinam carnem ſcitiſſimè *Terneram* indigetant. non ob aliud crediderim, quàm ob inſignem eius teneritatem. neque tamen omnis vitulina æquè commendanda, nam recenter edita, plurimum lentoris, & mucoſæ humiditatis obtinet quantoque magis à partu remoti ſunt vituli, ætateque proceſſerint, ſicciores euadunt. Auerroës inter Arabes acerrimi ingenij, ſuauitatem ſaporis, odoriſque fragrantiam in vitulina celebrat.

Vitulis ſuccedant Iuuenci vel Iuuencæ. quæ & Iunices dictæ, qua voce Perſius vſus eſt Satyra II.

Tot tibi cum in flammis Iunicum omenta liqueſcunt.

de maioribus enim victimis loquitur; illarum tẽperies ſiccior eſt quàm vitulorum, humidior verò quàm Boum, alimentum præſtant non illaudabile ante admiſſuram, mox degenerant.

CAPVT VI.

Ex Caprina carne multum alimenti, Thebanus Athleta eius vſu inuictus. Flamini Diali nefas Caprinam attingere. optimæ ſunt æſtate. Hœdi Lactentes. Melici. Luporum faucibus erepti, cur maximo in pretio.

CApris pauci in Belgica, vel ipſa Gallia veſcuntur, in Italia tamen, Hiſpania, & Africa, alijſque locis calidioribus vbi copioſi aluntur greges, frequentius illorum carne vtuntur.

tur. Hipp. lib.IV.de victus ratione in Acutis, dicit, *Caprinæ carni omnia mala inesse, quæ bubulæ* (quia melancholica accidentia propter succi crassitiem generat) *esseque magis flatuosam, ructusque copiosos generare, & Choleram parere.* Galenus etiam lib. III. de Alimentorum facul. cap.I. dicit capris præter succi malitiam accessisse, & acrimoniam; est enim animal natura sua valde calidum, vnde & grauis odor ex illo continuò exspirat. Clemens Alexandrinus lib.VII. Stromatum scribit quosdam opinari, Hircinæ carnis esum Morbo Comitiali conducere: Hippocrates tamen contrarium asserit libro de Morbo, Sacro, refert enim populos Libyæ, Mediterranea loca incolentes, si in Comitialem morbum inciderint, vix curari: quoniam Caprinis carnibus assiduò vescantur, & caprinis pellibus vestiuntur: accedit etiam illarum carnibus malitia, quam ex herbarum venenatarum esu contrahunt, vt sunt Veratrum siue Helleborus, & Cicuta, de priori Lucretius lib.IV.

Præterea, nobis Veratrum est acre Venenum,
At Capris adipes, & Coturnicibus auget.

Idem etiam lib.V. Cicutæ esu illas pinguiores fieri.

Quippe videre licet pinguescere sæpe Cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre Venenum.

Veteres etiam existimabant Caprinum genus nunquam integra sanitate frui. Varro lib.II. cap.III. *De emptione aliter dico, atque fit, quod Capras sanas, sanus nemo promittit, nunquam enim sine febre sunt.* Multum tamen alimenti hinc suppeditari sunt qui tradant; hinc Clitomachus Carthaginensis apud Athenæum lib.IX. refert, *Thebanum quendam Athletam, inuictis viribus fuisse, omnesque suæ ætatis homines robore superasse, quoniam Caprarum carnes esitaret aßiduò: vtpotè quæ succum gignant firmum & viscidum, & in mole corporis diu permanentem: ob sudoris verò graueolentiam dicterijs ab omnibus incessebatur.* Flamini etiam Diali non solùm Caprinam edere, sed tangere, aut nominare nefas erat, Plutarcho teste Rom. quæst.CXI. vel quod animal illud luxuriosum

& oli-

& olidum abhorrerent, siue quod morbidum timerent, nam & Comitiali morbo obnoxium ferunt, verebantur enim ne morbi contagio ad illos perueniret, qui carne illa vescerentur.

Hippocrates optimum illarum esum æstate, pessimum Autumno tradit,. siquidem æstiuo tempore melius illis alimentum, ex virgultis, germinibusque quæ passim tunc in vigore sunt, Autumno verò illa deficere incipiunt. carnis autem pręstantiam, ex alimenti bonitate conciliari, extra controuersiam est. exemplo sint vulpes, quæ Autumno ob vuarum esum, teste Galeno probatissimam carnem habent, aliàs ingratę.

Dispar multum Hœdorum natura, nam quantum matres succi prauitate peccant, tantùm fœtus alimenti præstantia salubritateque commendantur. inter Arabes, nonnulli sunt qui frigidas esse Hœdinas carnes asserunt: quod mirum, cùm parentes calidi & sicci ab omnibus ęstimentur. si enim orta suis attestantur principiis, quomodo dicemus Hœdos frigidos, cùm Hircus, capraque calidi sint temperamenti. quamobrem necessariò dicemus, idem esse discrimen inter Hœdos & capras, quod inter pueros & adultos; eodem nempe calore esse prędito; sed id discrimen esse, quod tenera ętate, vincente humiditate, Hœdorum calor temperatior ad tactum percipiatur, qui insequenti ętate paulatim excrescens, acrius manū feriat, eodem tamen semper caloris vtrobique gradu, in materia tantùm diuersa sese nobis offerente. Inter maximè salubres carnes ab omnibus annumeratur Hœdina, & eodem penè gradu cum vitulina reponitur; Auerroës verò pręfert, quatenus Hœdina meliores succos generet, quàm vitulina. in qua sententia, etiam Galenus est lib. de cibis Boni vel Mali succi cap. XII. alij diuersum sentiunt. Simeon Sethi facilè concoqui, & modicè nutrire, sanguinemque tenuem & humidum gignere auctor est, modò non sint vel partui nimis vicini, vel remotiores: illi enim nimia humiditate diffluunt, hi virosum

nescio

nescio quid ſpirant. Lactentes optimi ſunt & donec pabuli expertes, gratiam retinent. Iuuenalis Satyr. XI.

De Tyburtino veniet pinguiſsimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ,
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti;
Qui plus habet Lactis, quàm ſanguinis.

Neque ſanè hodie alius quam lactentium vſus, quos ſi diutius maternis vberibus patieris inhærere, experiere carnem iã durescentem, quæque viroſi aliquid referat, adeo vt iam parentum naturam incipiat referre: quod in vitulis nunquam percipies, etiamſi per plures menſes materno lacte alantur. Olim erant in pretio Hœdi Melici, qui ex Melo inſula aduehebantur, vt teſtatur Clemens Alexandrinus II. Pædagogici ca. I. Athenæus lib. I. Varro lib. II. de re Ruſtica c. III. *quidam etiam dant operam vt ex inſula Media (ſiue Melo,) capras habeant, quod ibi maximi ac pulcherrimi exiſtimantur fieri hædi.*

Sed maximè expetebantur à Guloſis, hœdi luporum faucibus erepti. Horatius in Epodis.

Vel Agna feſtis cæſa Terminalibus,
Vel Hædus ereptus lupo.

Et Martialis lib. X.

Paruus Onyx; vna ponetur cænula menſa;
Hædus inhumani raptus ab ore Lupi.

Cur autem veteribus tales erant gratiores, cauſſam reddit Plutarchus II. Sympoſiacorum quæſt. IX. quod Lupus ſuo morſu, carnem teneram, proindeq; delicatiorem reddat; feræ enim illius ſpiritus, vſque adeò feruidus & igneus eſt, vt etiam duriſſima oſſa in eius ſtomacho emolliantur: vetus Horatij interpres, ſimplicius credit; *ideo charos eſſe* Hœdos ereptos lupo, *quia Cariora*, inquit, *ſunt, quæ è periculis liberantur.* Varro in Satyra περὶ ἐδεσμάτων, inter cibos peregrinos, quos Romam profunda luxuries adducebat, Hœdos ex Ambracia nominat. Archeſtratus tamen apud Athenæum ex quo Varro deſumſit,

ſit, καπρὸν piſcem ex Ambracia laudat, de quo libr. III. cap. XXVIII.

CAPVT VII.

Agnina medicis damnatur. Agnus Curio. Verueces laudantur. Iſidori Etymologia frigida. Catulina caro. Manæ Genitæ canem Romani immolabant.

OVillum pecus in re cibaria varios præſtat vſus, quippe non ſolùm alimoniam ex carne eius multiplicem habemus, ſed Lac & Caſeum nobis exhibet; ſed Arietes, oueſque ingratum & inſalubre nutrimentum præbent, ab Hircina enim, arietum deterrima caro eſt, ſucci improbitate nulli ſecunda; oues verò elegantiorum menſis damnatæ, quod excrementitia illarum caro ſit, & ſucci parum probi; ſoli Verueces, Agnique laudem in re cibaria merentur.

Ouilla carne olim abſtinebant Ægyptij plerique, de quibus Iuuenalis Satyra XV. vbi illorum ſuperſtitiones perſtringit.

——— Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. nefas illic fœtum iugulare Capellæ.

Qua de cauſſa etiam in Geneſi ſcriptum cap. XLVI. *Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium.* Herodotus verò in Euterpe, dicit Thebanos & qui Iouis Thebani templum incolunt, ouibus abſtinere, capras verò immolare. Soli Lycopolitæ inter illos ouibus veſcuntur, vt auctor eſt Plutarchus libro de Iſide & Oſiride. *Sane ſoli omnium Ægyptiorum Lycopolitæ oues edunt, quia idem* λυκὸς *ſeu Lupus facit, quem pro Deo colunt.* Veteribus in pretio erat Agnina, & lautiorum menſas egregiè honeſtabat; ditiores verò hodierna die dubiis etiam cœnis inferunt; medici verò parum illam laudant, ſiquidem Agnina humidiſſima eſt, & excrementis ſcatet: non enim

illi quod Hœdinæ euenit, quæ bimestris maximè commendatur; quia excedens speciei siccitas, humidioris ætatis beneficio, quasi ad temperamentum reuocatur, quod in Agnis prorsus contrarium est; natiua enim eius humiditas, lacte magis exuberat, quam prouectiori ætate paulisper deperdunt. Hœdi etiam vt lactentes soli laudantur, ita etiam Agni salubriores censentur; si herbas depascantur, præsertim si pascua nacti fuerint sicciora, quemadmodum in Hispaniis passim sunt, odoratis herbis referta: quæ illorum carnibus siccitatem quandam imprimunt, & saporem non spernendum conciliant, tales non solùm sapidiores, sed multò etiam salubriores euadent. minus enim humidi, neque adeò mucosi erunt pabuli beneficio. Simeon Sethi, ab illis lædi quibus humidius est temperamentum, iuuari quibus siccius, quantòque Agni iuniores sunt, tantò difficiliùs carnes illorum concoqui. Caius Cæsar ideò fortè dicebat, rectè facere populos quosdam, qui Agnina carne abstinebant, quoniam insuauis esset, vt auctor est Philon Iudæus. lib. de Legatione ad Caium.

Auerroës lib. v. colliget cap. XXXII. dicit Agnos esse multarum superfluitatum, præterquam in terris calidioribus; quod ob regionis caliditatem, humiditas illa temperetur.

Plautus in Aulularia Agni Curionis meminit.

Megad. *Volo ex te scire qui sit Agnus Curio*

Euc. *Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macer,*
Quin exta inspicere in sole etiam viuo licet.
Ita is pellucet quasi laterna Punica.

Soli verueces in salubri victus ratione laudem merentur. ita dicti, teste Varrone, *quod demptis testiculis natura illorum versa sit.* fælicior Etymologia, quam Isidori lib. XII. originum. *Veruex vel à viribus dictus, quod cæteris ouibus fortior sit; vel quod sit vir* .i. *masculus, vel quod vermes in capite habeat; quorum excitati pruritu, inuicem se concutiunt, & pugnantes cum magno impetu feriunt.* Succi sunt boni, abundè nutriunt, & carnis teneritudine cococtu

ctu faciles; non calore, non frigore excedunt, sed ad temperatam naturam proximè accedunt: qua de caussa vniuersa Hispania, Gallia, Germania, Britannia & Belgica, hac carne impensè gaudent. Italia verò Veruecina parum gloriatur, nisi quibusdam locis, ex pascuis fortè, vel maiori cura, nobilitas aliqua accesserit. Mirum certè videri posset, quod cum nullæ sint tum blandæ escæ, adeoque suaues, quarum gratia non exolescat continuò: paucos tamen reperies qui veruecinam fastidiant: vnde mirabilem huius animantis fœcunditatem admirari licet, quod quotidianis macellis valeat sufficere, quippe plebs æquè ac locupletes, liberaliter hac carne vescuntur. Mauritanorum Medici, huic carni auctoritatem quam in cibis tenet, conciliasse videntur, nam apud veteres, siue Græcos siue Latinos, parum in honore erat.

Catulinas etiam carnes, comperio apud antiquos in vsu fuisse, Galenus lib. I. de Alim. facul. cap. I. *quid iam loquar de Canibus, quos & ipsos iuuenes & pingues, ac potissimùm cùm castrati fuerint, quædam gentes frequentissimè mandunt*. Ananius Poëta, apud Athenæum lib. VII. canes, cum lepore & vulpe, inter cibos refert. Hipp. grauissimus auctor, idem pluribus in locis asserit. lib. verò II. de Diæta & facultatem commemorat: *Caninæ calefaciunt & siccant, & robur inducunt, non tamen aluo secedunt, catulinæ verò humectant & secedunt.*

Romanos etiã eandem esitauisse, Festus Pompeius docet: *Catulinam carnem esitauisse, hoc est comedisse Romanos, Plautus in Saturione refert.* nec solùm illorum mensis sed & Deorum sacrificiis adhibitos fuisse, Plinius auctor est lib. XXIX. cap. IV. *Catulos lactentes, adeò puros existimabant, ad cibum, vt etiam placandis numinibus, hostiarum vice vterentur iis. Genito Mane, Catulo res Diuina fit, & in cœnis Deûm etiam ponitur Catulina.* quo loco monuit iam pridem Cl^mus^. Lipsius lib. II. Electorum cap. VIII. legendum esse, *Genitæ Manæ*, ita enim Deæ nomen, cui Catulo sacrificabant. Plutarchus morem hunc explicat quæstionum Ro-

manarum, LII. *Cur Manæ Genitæ canem immolant, votoq́; petunt, ne quis domi natorum bonus fiat? an quod hæc Dea ortui ac partui præest, interitui obnoxiorum ac fluxorum corporum; vt igitur Græci Hecatæ, sic Romani Genitæ canem immolant, pro domi nascentibus. Argiuos etiam, Socrates ait, cane Lucinæ rem sacram facere, ob facilitatem pariendi. Votum autem, quid si non ad homines pertinet domi nascentes, sed ad canes? vt hos optent non bonos aut placidos, sed iracundos fieri & terribiles.* Sextus Empiricus lib. III. Pyrrhoniarum Hyppothyseon, refert *Caninas carnes gustare, apud plerosque profanum censeri, at nonnullos ex Thracibus iis vesci.* Diocles etiam antiquissimus Medicus, quibusdam ægrotis illas exhibuit. Festus Pompeius. *Catulinam carnem esitauisse hoc est comedisse Romanos, Plautus in Saturione refert.*

Porphyrius libr. I. negat Græcos Catulinam carnem comedisse. Romani etiam canem Caniculæ syderi immolabant. Festus, *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longè ab ea, ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, vt fruges flauescentes ad maturitatem perducerentur,* Sed nostra ætas illas adspernatur, cùm tamen peioribus quidam vescantur; non desunt enim, qui Feles præpingues, media hyeme necatas in deliciis habent.

O Sæclum insipiens & inficetum.

CAPVT VIII.

Aprorum laudabilis caro. Leporariis inclusi ad saginam. Palestritæ. Pasti. Vernæ. Milliarij. Solidi mensis appositi. In M. Antonij culina octo visi cœnæ tempore. in Carani Conuiuio, singulis conuiuis singuli appositi.

DE domesticis quadrupedibus, quæ homini alimentum præcipuè subministrãt, dictum hactenus; nunc de syluestribus,

ſtribus, feriſque animantibus agendum: primum locum ſibi vendicant Apri, vt Suillo pecori quaſi reſpondeant, tum quia nobilitate cętera facilè ſuperant. à domeſticis ſuibus in eo differunt, quod alimentum præbeant magis ſiccum, vt reliqua omnia ſylueſtria, copia enim exercitij, non diffluit illorum caro tanta æruina, proindeq; minus etiã excrementoſa eſt: quæcumq; enim ſaginantur inerti otio, iis pinguedinis plus, cęteris verò per continuos motus, & cœli liberioris beneficiũ, caro magis compacta ſolidaq; euadit; itaque Apri in eo ſues ſuperant, quod omnes eius dotes habeãt ſupra memoratas, vitiis verò carẽt, quæ ex nimia alimẽti humiditate proueniũt; qua de cauſſa Hipp. illam valdè laudat paucis verbis. l. II. de Diæta. ἡ σὰρξ συὸς ἀγρίου ξηραίνει, καὶ ἰσχὺν παρέχει, καὶ διαχωρέει. *Caro Apri deſiccat, robur addit, & per aluum ſecedit*, quem imitatus Auicenna, dicit leuiorem eſſe carnibus domeſticorum, fortis nutrimenti, & plurimi atque velocis digeſtionis. qua de cauſſa, veteres vt menſis ſuis paratas ſemper haſce delicias haberent, Leporariis ſiue θηριοτροφείῳ captos includebant, & data opera ſaginabant; cuius rei Varro meminit lib. III. de re Ruſtica ca. XIII. *Vidiſti ad buccinam inflatam, certo tempore Apros & Capreas conuenire ad pabulum, cum è ſuperiore loco, è palæſtra Apris effunderetur glans, Capreis vicia, aut quid aliud.* tales Apri, vocantur à Martiale, Palæſtritæ.

——— Et Concubinis,
Partitur Apri glandulas Palæſtritæ.

Erat enim Palæſtra etiam pars villæ, vt alibi docet Varro. Idem Poëta Paſtos, à paſcendo vocat.

E Cauea fugiat, ne malè Paſtus Aper.

Alibi etiam Vernas vocat, quaſi in propriis fundis natos.

Ibi illegatas mollibus Damas plagis,
Mactabis, & Vernas Apros.

Aliquando & Milliarij dicti, quod ſagina in magnam molem euaderent, & mille libras penderent: Seneca epiſtola. CX. *Non*

magnam

magnam rem facis, quod viuere sine apparatu Regio potes, quod non desideres Milliarios apros. quorum & Varro meminit, lib. III. de re rustica cap. II. præferuntur tamen illi, qui in syluis educantur, sunt enim ficciores & minus pingues. multum enim interest, in montibus an in planis, in palustribus an siccis locis pascantur. Montanos præponunt Medici, quibus & erudita gula subscribit, paucioribus enim excrementis illorum carnes scatent. Catius certè doctus ille Lurco, apud Horatium lib. II. Satyr. IV. Aprorum discrimen, à pabuli differentia egregiè commemorat.

Vmber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curuat Aper lances, carnem vitantis inertem.
Nam Laurens malus est, vluis & arundine pinguis.

Probat enim Aprum in Vmbria educatum, qui glande iligna sit pastus, è contra Laurentem damnat, quod in palustri solo natus & nutritus sit; prior enim carnem magis solidam, alter pinguiorem ac magis fluidam habet.

Romani magnificentiæ, vel insanæ potius luxuriæ caussa, solidos Apros mensis inferebant, quos Iuuenalis Satyra prima perstringit.

——— *Quanta est gula, quæ sibi totos*
Ponit Apros? animal propter Conuiuia natum.

Cuius luxuriæ auctorem fuisse P. Seruilium Rullum refert Plinius lib. VIII. cap. LI. *Solidum Aprum, Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem Agrariam promulgauit. tam propinqua origo; nũc quotidianæ rei est, & hoc Annales notarunt, horum scilicet ad emendationem morum; quibus notata quidem cœna, sed in principio, bini ternique pariter mandebantur Apri.* Plutarchus in vita M. Antonij, auctor est, in eius culina cœnę tempore, octo fuisse Apros, nec multis quidẽ conuiuis paratos. Sed maius est quod Athenęus, recensens celebre conuiuium Carani Macedonis, dicat vnicuique conuiuæ integrum Aprum appositum. ἐρυμάνθειοι τῷ ὄντι

σύαγροι,

σύαγροι, ἐπὶ πινάκων τετραγώνων χρυσομίτρων, σικύναι ἀργυραῖς διαπεπερονημένοι περιεφέροντο ἑκάστῳ. *Apri Erimanthei cuique circumferebantur, in quadratis lancibus auro præcinctis, argenteis iaculis transfixi.*

Moris etiam fuit Apros, & maioris formæ feras, pomis rapulis, & lactucis cingere, & mensæ inferre. Seneca lib. de Prouidentia cap. IV. *Si ingenti pomorum strue cingeret primæ formæ feras, captas multa cæde venantium.* Vocat primæ formæ feras, Apros magnos & Milliarios Horatius lib. II. Satyra VIII.

In primis Lucanus Aper, leni fuit Austro
Captus, vt aiebat cœnæ pater, acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Peruellunt stomachum.

Nostro æuo gratulor, quod necdum ad tantam insaniam luxus se propagauit, parte enim Apri vel lautissima conuiuia instruuntur. caput verò eius, Huram Galli vocant, apud omnes in maximo est pretio. quod & olim videtur in honore fuisse: siquidem refert Macrobius, lib. III. Satur. in cœna aditiali Metelli Pontificis Max. fuisse, *sinciput Aprungum.*

Sed Apri Lumbus apud veteres maximo erat in pretio, quem Aprungum vocabant, cuius tenera durities commendata, ipsi etiam Calli nomen dedit, quod Plinius docet lib. VIII. ca. LI. *Iam Catonis Censoris orationes, Aprungum exprobant Callum. in tres tamen partes diuiso: media ponebatur Lumbus Aprungus appellata.* vnde Martialis inter Rectæ cœnæ delicias, Lumbi Aprungi meminit.

Ter poscit Apri glandulas, quater Lumbum.

Calli verò Aprungi non semel Plautus meminit, in Pœnulo.

Quid opus est verbis? Callum Aprungum callere
æquè non sinam.

CAPVT IX.

Leporina caro Melancholicum ſuccum generat. Somnos conciliat. tenuem ſanguinem habet. Laurices. Armi leporum in pretio. formæ venuſtas leporis eſu conciliatur. Cuniculus olim Hiſpaniæ proprium animal.

MAgnus etiam Leporinæ carni quondam honos habitus, adeo, vt multi illi palmam inter quadrupedes dederint, quorum ſententiæ Martialis ſubſcribit.

Inter aues Turdus, ſi quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Dicitur autem Lepus ſecundum Iſidorum lib. 12. Originum, *quaſi Leuipes quia velociter currit*, quæ opinio etiam L. Ælij fuit à Varrone reiecta lib. III. de re Ruſtica cap. XII. *L. Ælius putabat ab eo dictum Leporem à celeritate, quod Leuipes eſſet, ego arbitror à Græco vocabulo, quod eum Ædes Bœotij* λέπορον *appellabant.*

Triplex autem Leporum genus ſtatuit Varro, vnum vulgare quod paſſim occurrit, ſecundum quod in Gallia ad Alpes naſcitur, vt etiam in frigidioribus regionibus, candidum prorſus: tertij generis eſt, quod in Hiſpania naſcitur quem Cuniculum vocant. à primo genere auſpicabor, generat autem ſanguinem craſſum & Melancholicum, ſucci tamen bonitate bubulam, & ouillam carnem ſuperare auctor eſt Galenus. obſtructiones iecoris & ſplenis facere, pulmoniq́ue nocere, & vigilias inducere, Simeon Sethi prodidit. Sed pauci credent vigilias Leporinæ eſu induci, cùm Cato apud Plinium lib. XXVIII. cap. XIX. *Somnos fieri ſumpto in cibis Lepore arbitretur.*

Sed quomodo poteſt Leporis caro, melancholicũ adeo ſuccum gignere, vt multis locis Gal. tradit; cùm ſanguis eius, inter cætera animantia, ſuauitate ſuperet. lib. enim III. de aliment. facult. cap. XVII. dicit ſanguinem ad concoquendum eſſe difficilem,

cilem, præcipuè si crassus sit & Melancholicus, qualis est Bubulus; Leporinus autem vt suauissimus passim celebratur. Sed non consentiunt perpetuo cum sanguine membra: nam Bubulæ ius pinguissimum & suauissimum est, caro verò arida: sic lac vaccinũm butyro abundat, contra carnis naturã. accedit etiam, pauidissimis animalium, sanguinem esse tenuem & ichorosum. quod Hippocrates monuit in Epidimijs, *Sanguinẽ pauidorum esse ichorosum.* Aristoteles etiam II. de Historia Animalium dicit, *Ceruis, Lepori, & Damis, sanguinem esse tenuissimum;* sunt autem hæc timidissima, nam vt calore sanguis concoquitur & crassescit; sic frigore diluitur & humescit, vt in Cachexia, & Hydrope Anasarca videre est. Itaque non repugnat, carnem esse melancholicam, siue frigidam & siccam, & sanguinẽ esse tenuem; siquidẽ tenuitas hæc frigiditatis est soboles; quod dulcedo & fibrarum carentia ostendunt, nam vt valdè dulcia calorem, ita moderatè dulcia frigus referunt. Plura apud Menardum lib. XIII. epist. IV. Hipp. lib. II. de Diæta *Leporinam carnem siccam esse, aluum sistere, & vrinam aliquantum ciere auctor est.* quod etiam à Cornelio Celso lib. II. cap. XXX. asseritur. Gal. etiam lib. de attenuantis victus ratione carnem eius vtilem esse ad victum exsiccantem, sed non ad attenuantem prodit; quæ omnia arguũt, carnem eius siccam esse & frigidam. iuniores tamen Lepores salubriores multo sunt. ganeæ periti bimestres & trimestres pretiosiores, longèq; suauiores existimant, seniores prorsus damnantur, quantò enim ætas magis processit, tantò sicciores deterioresque redduntur. Plinius lib. IX. cap. LV. *Fœtus ventre exectos, vel vberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent: Laurices vocant.*

Romani captos Lepores, septis claudebant, quæ ideo Leporaria vocabant, mox & caueis inclusos saginabant, sed minus palato erant grati.

Veteres, Leporis armos cæteris partibus præferebant, vel Horatio teste.

Fœcundi Leporis sapiens sectabitur armos.

Idem libro II. Satyra VIII.

Et Leporum auulsos vt multo suauius armos
Quam si cum lumbis quis edit.

Nostra ætas lumbos probat, seu spinæ mediæ partem illam callosam; nec immeritò, armi enim ficciores & parum Carcanosi, contraria omnia circa spinam. Sed non caret admiratione, cùm omnes leporum capturæ inhient, omniumque illi prædæ nascantur: nam volucres, feræque & homines illos venantur, gulæ tamen populationi resistere. sed natura tantam illis fœcunditatem tribuit, vt genus extingui non possit. superfœtant enim teste Herodoto, adeò vt aliud Lepores educent, aliud in vtero pilis vestitum, aliud inueste, aliud inchoato partu gerant. Olim etiam percrebuerat, esu Leporis venustatis decorem conciliari, & in septimum diem prorogari, vnde facetè Martialis, Gelliæ deformitatem exprobrat.

Cùm Leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus Marce diebus eris.
Si verum dicis, si verum Gellia mandas,
Edisti nunquam Gellia tu Leporem?

Vnde etiam Alexandro Seuero Imperatori, quia Leporum esu impensè delectaretur, versus hos obiectos fuisse, auctor est Ælius Lampridius.

Pulchrum quod vides esse nostrum Regem,
Quem Syrum sua detulit propago;
Venatus facit, & Lepus comesus,
Ex quo continuum capit Leporem.

Plinius etiam lib. XXVIII. cap. XIX. non omninò hoc fabulosum autumat; *Somnos fieri Lepore sumpto in cibis Cato arbitratur, vulgus & gratiam corporis in septem dies, friuolo quidem ioco, cui tamen aliqua subesse debet caussa, in tanta persuasione.*

Leporum generis etiã sunt Cuniculi, Græcis quondam vix noti. Gal. enim lib. III. de alim. facultatib. c. I. propriũ Hispa-

niæ

niæ animal credit. *Non igitur opus erit amplius pluribus exequi animalia omnia, quæ apud ſingulas gentes propriè naſcuntur. cuius generis eſt in Iberia animalculum, quod Lepori eſt ſimile, quodque Cuniculum nominant.* Plinius etiam videtur aſſerere, ipſum nomen ab Hiſpanis inditum. *Leporum generis ſunt, & quos Hiſpani Cuniculos appellant, fœcunditatis innumeræ.* Vnde & in antiquis numiſmatibus Hiſpaniæ, Cuniculus appingitur. & Catullus. *Cuniculoſam Celtiberiã*, vocat. noſtro verò ſęculo vniuerſa ijs Europa ſcatet. Dicti autem Cuniculi, à Varrone lib. III. c. XII. *Quod ſub terra Cuniculos ipſi facere ſolent, vbi lateant in agris.* Hinc Martialis,

Gaudet in effoßis habitare Cuniculus antris,
Monſtrauit tacitas hostibus ille vias.

apud Baleares quondam tanta illorum frequentia fuit, vt coacti fuerint militare præſidium à Romanis, aduerſus illorum prouentum petere, vt teſtantur Strabo, & Plinius.

In epulis vel maximè opiparis, ſummam gratiam obtinent, præſertim feri & tenelli, nam qui in vrbibus aluntur licet præpingues, duriore carne ſunt, nec palato placent. parum à Leporum natura diſtant, carne tamen ſunt candidiore, nec adeo ſicca; vetulorum prædura, & ingrata, Iuniorum prætenera, & quæ ſola commendatur.

CAPVT X.

Galenus Ceruinam valde damnat. Simeonis Sethi opinio. Febribus non tentari qui ceruina veſcuntur. Aſinarum pulli. Onagri. Capreæ. Damæ. Pygargi.

INter epulas quæſitus & Ceruis honor, quos vulgus magnis laudibus extollit; præſtant Hinnuli, quamquam & adultis ſua laus; æui diuturnitas in cauſſa eſt, vt vel in trimatu commendari poſſunt, quo tempore, necdum temperamenti ſui ſiccitatem iuſtam videntur adepti. Galenus lib. de victus

ratione attenuante, mirum in modum à mensis nostris Ceruos abigit, proximè enim alimenti prauitate, ad Asininam accedere dicit, quod etiam lib. III. de Alim. facult. confirmat. Simeon Sethi, *mali succi esse Ceruinam, difficile concoqui, & bilem atram gignere. monet etiam ne quis æstate, illa vescatur, quoniam tunc temporis serpentes vorant; quare illorum caro virosum sapit, ac noxia est, tutiusque per hyemem assumi, meliusque concoqui, propter internam ventriculi caliditatem auctiorem; quod si non probè concoquatur, crassum humorem generare, iecurque ac lienem obstruere, si quis verò frequentius illa vtatur, corpus tremulum euadere.* Plurimi vanissima credulitate sibi persuadent, Ceruorum esu, vitæ spatium in multos annos posse produci, quia animal illud longæuum, ab omnibus credatur. quasi illius viuacitas in humanam speciem transire posset? aliqui verò crediderunt, febribus non tentari, qui carne hac vsus fuerit, nec nouum hoc figmentum; Plinio id notum fuit lib. VIII. cap. XXXII. *Febrium morbos non sentit hoc animal, quin & medetur huic timori. quasdam nos Principes fœminas scimus, omnibus diebus matutinis, eam degustare solitas, longo æuo caruisse febribus, quod ita demum existimant ratum, si vulnere vno interierit.* Lautiores, cornua exorientia molli plumata lanugine, necdumque in duritiem concreta, in vsum mensarum verterunt, elixantur primum, mox in frustula concisa, in sartagine friguntur, Regum is cibus habetur. quis hoc primum excogitauit? cuius hoc portentosæ gulæ inuentum? vt Cornua quæ nullum penè saporem habeant, inter raras & exquisitas delicias referant.

Quia Galenus lib. de Attenuanti victus ratione cap. VII. Asininam carnem proximè ad ceruinam accedere dixit; etiam de illa aliquid dicendum nam & olim apud quosdam in vsu fuere, vt Alexandriæ. Galenus lib. III. de Alimentorum facultatibus damnat illam vt pessimam, idem tamen lib. I. de facultatibus Aliment. refert Alexandriæ incolas carnibus Asinorum vesci, qua de caussa plurimos in ea ciuitate fuisse Ele-

phantiasi

phantiasi affectos, seu Leprosos, testatur Auicenna. non defuere tamen qui pullos Asinorum in delicijs habuerunt. Plinius lib.VIII. cap. XLIII. *Pullis Asinorum epulari Mecœnas instituit; multùm eo temporis prælatos Onagris: post eum interijt auctoritas saporis.* Sed Asininam, bonitate carnis Onagri longè superant, nam Galenus lib.III. de Alim.facult. cap.I. Agrestium Asinorum, siue Onagrorũ, bono habitu prędìtorum & iuuenum carnem, ceruinæ proximam dicit; idem asserit Oribatius collect.lib.II.cap.XXVIII. Xenophon etiam lib.I.de expeditione Cyri, refert carnes Onagrorum, quos in venatione ceperant, ceruinis similes, verùm teneriores. Sed Plinius lib.VIII. cap. XLIV. pullos eorum commendat. *Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui; pullis eorum seu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos Lalisiones appellant.* Martialis lib.XIII.epigr.XCII.

Dum tener est Onager, solaque Lalisio matre
Pascitur: hoc infans, sed breue nomen habet.

De Capris feris dicendum modò, quarum genus numerosissimum est, quod in plurimas similitudines transfigurantur. sunt inter illas Capreæ, Rupicapræ, sunt Ibices, pernicitatis mirandæ; Damæ, Pygargi & Strepsicerotes;

Capræ Gręcis Δορκάδες ab acutissimo visu dictæ; quidam easdem cum Capreolis statuunt. alij diuersum animal faciunt. Cornelius Celsus inter alimenta quæ valdè nutriunt, recenset. Palamedes Eleaticus apud Athenæum, non insuauem illarum carnẽ asserit. Simeon Sethi melioris esse succi Capreas, quàm cætera agrestia animalia, magnamque habere cum humana natura familiaritatem; humidis verò corporibus multisque excrementis laborantibus prodesse: Coli doloribus & Comitiali morbo, neruisque sua siccitate conferre, licet ventrem morentur. vitibus gaudent, easque auidè depascuntur. Horatius lib. II. Satyr. IV.

Vinea submittit Capreas non semper edules.

Non tamen intelligendus Poëta, quod Capreæ in vinetis educentur.

centur, sed quod è vicinis syluis pabuli caussa eò progressi, in vinetis capiantur. ideò etiam Virgilius lib. II. Georg. monet vitibus sepem obijciendam, ne ab animalibus feris infestetur, siquidem

Syluestres Vri assiduè, Capreaque sequaces
Illudunt, pascuntur oues, auidæque iuuencæ.

Hîs affines sunt Damæ, quos naturæ periti, parum à Rupicapris distinguunt: his enim cornua in dorsum adunca, Damis erecta. animal natura sua timidum, fugaxque, vt meritò de ijs Poëta dixerit.

Imbelles Damæ, quid nisi præda sumus.

Eandem penè cum Capreis alimoniam præbent, exiguum enim est inter illas discrimen, alimentum quod ex illis desumitur, siccius & melancholicum est.

Pygargi etiam ex Caprearum syluestrium genere sunt, de quibus Iuuenalis Satyra XI.

Sumine cum magno, Lepus atque Aper, & Pygargus.

Vbi Scholiastes vetus. *Pygargus fera est, specie Cerui, quæ retriores partes albas habet, & ideò Pygargus dictus, quia Græcè nates πυγὴ dicuntur.* retriores partes dicit, quas nos Latinè posteriores vocamus.

CAPVT XI.

Cochlea domiporta. Viuaria à Fuluio Hirpino instituta. illarum varia genera. Glires syluestres saginati. diuersi prorsus à domesticis nostris. Glirarium.

PRiusquam ad alimenta pergam, quæ ex singulis quadrupedum partibus desumuntur, necessarium duxi de Cochleis pauca dicere; nam cum neque inter volatilia, neque inter aquatilia de his locus sit dicendi, satius est nunc illarum dotes percurrere: mox & Glirium facultates memorabimus.

M. Ci-

M. Cicero festiuè Cochleam depingit, *Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam*; quod postremum ab illo elegantissimè adiectum, vt Testudinem excluderet; Hesiodus φερέοικον dicit, cuius rei caussam, lepidissimè Anaxilaus Comicus apud Athenæum lib. II. explicat.

Ἀπιστότερος εἶ τῶν κοχλιῶν πολλῷ πάνυ,
οἳ περιφέρουσ᾽ ὑπ᾽ ἀπιστίας τὰς οἰκίας.
Es diffidentior multo quam Cochlea,
Domum quæ circumfert, alieni incredula.

Græcis olim frequens edulium: Romanis verò etiam inter delicias erat, adeò vt & viuaria instituerint, quibus cochleas alerent, quod à Fuluio Hirpino, in Tarquinensi primum factum fuisse, prodit Plinius lib. IX. cap. LVI. *Cochlearum viuaria instituit Fuluius Hirpinus in Tarquinensi, paulò ante ciuile bellum, quod cum Pompeio Magno gestum est, distinctis quidem generibus earum.* Varro lib. III. de re Rustica cap. XIV. diffusè docet, quomodo seruandæ & saginandæ sint: *has quoque sagineare solent, ita vt ollam cum foraminibus incrustent sapa & farre, vbi pascantur, quæ foramina habeat vt aër intrare possit, viuax enim hæc natura.* Cuius artis gloria, in eam magnitudinem perductæ sunt, vt octoginta quadrantes caperent singularum calices, vt dicebat Plinius. varia autem illarum erant genera, secundum Varronem. Albulæ quæ minutæ, atque ex Reatino agro afferebantur: maximæ quæ ex Illyrico, mediocres quæ ex Africa, ex his maxima Solitanis nobilitas, quæ adeo amplæ erant, vt earum calices quadrantes octoginta capere possunt. de Africanis Statius Papinius lib. IV. syluarum.

Nusquam Cyniphijs vagata campis,
Curuarum domus vda Cochlearum.

Nostro æuo ferunt in scrobibus seruari, vt Hybernis mensibus exornent mensas, muco enim illo suo, lentoque humore diutius durare possunt; palmam obtinent, quæ in vinetis & fruticetis reperiuntur; sed cùm vites gemmare incipiunt, fru-

ticesque turgere, perit illarum gratia. apparandi ratio satis est operosa; frequenter enim aqua abluuntur, vt mucus ille, lentorque omnino tollatur, deinde aquæ incoquunt, atque rursus abijciunt; aliamque superfundunt, iterum coquentes, vt carnis durities aliquo modo edometur. frigunt mox alij in sartagine, alij ipsis in testis adiectis varijs condimentis elixant. Auctor est Galenus, ipsarum carnem esse duram, eoque concoctu difficilem; sed quæ à ventriculi calore superata validè nutriat. illarum succus ventrem subducit, si quis verò liberalius ijs se impleuerit, atram bilem impensè cumulabit; posteriores Medici, Phtisi laborantibus, tabidisque, & emaciatis magnificè conferre asserunt. Plinius, compertum esse scribit, mederi eas stomacho, sed in aqua eas subferuefieri intacto corpore oportere. mirum est Cornelium Celsum, Cochleas inter cibos referre imbecillissimæ materiæ, cùm cæteri scriptores potenter nutrire scribant.

Horatius, potoribus cochlea excitari appetitum, ex Catij sententia scribit.

Tostis marcentem Squillis, recreabis & Afra
——— Potorem Cochlea.

Cochleis subiungam Glires, non quidem damnosum illud spurcumque animal, quod nobis inuitis domus sæpè oberrat, & supellectilem arrodit, vulgus Rattam, vel Murem maiorem nominat; sed aggreste est animalculum quod syluas incolit, muribus cognatum. nam olim in opiparis Romanorum cænis in pretio fuit. Gal. III. de Alim. facult. de his videtur loqui, *seu aliud quoddam inter agrestes mures, ac Myoxos, ac eos qui Sciuri, appellantur: animal est medium, quod in eadam Italiæ regione & alijs plerisque regionibus manditur.* horum etiam viuarium instituere Romani, quod Glirarium Varro nominat; cuius primus auctor fuit Fuluius Hirpinus, quos in dolijs saginare docuit. *in hoc dolium, inquit, addunt glandem, aut nuces Iuglandes, aut Castaneam, quibus in tenebris cùm cumulatim positū est, in dolijs fiunt pingues;* Somno enim

no enim pinguescere mirum in modum, testantur scriptores, Martialis.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Sic lib. 3. epigr. somniculosos vocat.

Somniculosos ille porrigit Glires.

Mensis olim, Censorum legibus interdictos fuisse, vt exoticas delicias refert Plinius, lib. VIII. cap. LVII. *Glires Censoriæ leges, Princepsque M. Scaurus in consulatu, non alio modo cœnis ademere, quàm Conchylia, aut ex alio orbe conuectas aues.* Esse autem Glires illos, agreste & non domesticum animal, clarè testatur Plinius citato loco. *Qua in re notatum; non congregari, ni populares eiusdem syluæ, & si misceantur alienigenæ, amne vel mōte discreti, interire dimicando.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. obseruat suo tempore etiam in vsu fuisse, Gliribus vesci, *Poscuntur etiam in conuiuijs aliquoties trutinæ, vt appositi pisces, & volucres ponderentur, & Glires: quorum magnitudo sæpius delicata, non sine tædio præsentium, vt ante hæc inusitata, laudatur assiduo.*

CAPVT XII.

Ακροκῶλια. Trunculi. Suilli pedes febricitātibus concessi. rostrum putredinosum quid exhalet. Cerebrum veteribus interdictum, tanquam res sacra, Spinalis Medulla nihil cum cæteris commune habet.

DE quadrupedum præcipuis partibus nunc dicendum, nam magnum inter illas discrimen, ab extremis autem auspicabor, quas Galenus, τὰ ἀκρέα μόρια vocat, Eubulus verò, & Alexis Comici apud Athenæum, ἀκροκώλια, Cornelio verò Celso lib. II. cap. XX. elegantissimè Trunculi dicuntur, quod extremæ illæ partes à reliquo corpore in macello detruncantur, qua voce etiam in Aristotele vertendo vsus fuit, vtriusque

Linguæ doctiſſimus Theodorus Gaza. in antiquis etiam Gloſſis ſcribitur, ſed corruptè, Trungulus, κολοβὸς, ἢ κόλος, ſcribendum enim vt pridem monuit Caſaubonus, Trunculus, κολοβὸς, ἔνιοι κόλος, *mutilus, truncatus*. Sunt autem potiſſimùm excarnes partes. pedes, roſtra, & aures: quas plerique in aqua elixas, mãdunt cum aceto, alij in patinis condiunt: ſed cum partes hæ corporis extremæ, exiguum valdè pinguedinis, carniſque habent, neruoſa & cutacea natura in ijs ſuperat: non tamen, teſte Galeno, tales hi nerui cutiſue ſunt, quales in reliquo corpore, nam in excarnibus magis ſunt exercitata, eoque etiam magis lenta. quare corpus quidem minus alunt, ob lentorem tamen facilius per aluum ſecedunt. Suilli autem pedes, inter omnes ſalubritate antecellunt, adeo vt febricitantibus, Galenus eos ex ptiſana coctos lubens conceſſerit ægrotis, lib. VII. Methodi Medendi. I. ad Glauconem, alijſque in locis frequenter; meliores autem ſunt pedes, quam roſtrum, ſiquidem illi in frequenti motu ſunt, minuſque excrementi colligunt, roſtrum verò vt & oris partes cęteræ, putredinoſum quid, & graueolens habẽt ex reliquijs ciborum, in dentium interſtitijs relictis; qua de cauſſa docet Galenus: partes ad os, & vrinæ vias, & ſedem ſitas, eſſe calidas & humidas præter naturam, ideoque putredini obnoxias. Roſtrum verò, auribus præſtantius, cùm enim illæ ſola cute & carthilagine conſtant, quæ in perfectis animantibus omnino confici non poſſunt; in ijs verò quæ adhuc augeſcunt, ſi in ore dentium attritu bene leuigata fuerint, & in ventriculo à calore noſtro ſuperata, exiguum omnino corpori alimentum ſuppeditabunt. Suillis autem trunculis frequentiſſimè veſcimur, aliorum autem animantium pedibus tantum, raro enim quis auribus vel roſtro veruecinis, aut vitulinis menſas inſtruit; pedibus verò frequentiſſimè veruecinis Galli & Belgæ, elixis frigidis cum aceto vtuntur, & virenti Apio inſpergunt. Vitulinos verò & Bubulos, varijs modis præparant condiuntque.

Poſt-

Poſtquam de extremis partibus egimus, de Cerebro locus erit dicendi. Antiquis illud tanta in veneratione erat, vt Philoſophi illius eſum omnino interdicerent; vnde Pythagoricum ſcitum, μὴ ἐσθίειν ἐγκέφαλον, *Cerebrum ne mandito*, quod par flagitium eſſe crederent, ac ſi quis fabam roderet. Athenæus verò hanc cauſſam adfert, cur veteres Cerebella non guſtarent διὰ τὸ τὰς αἰσθήσεις ἁπάσας σχεδὸν ἐν αὐτῷ εἶναι. *quod omnes propemodum ſenſus in illo inſint.* adde, apud veteres caput habitum fuiſſe rem ſacram, ideo per caput iurabant; & capite edita ſternutamenta adorabant vt ſacra. quidam verò Cerebro abſtinuiſſe ferunt, quod illud abominarentur. Plutarchus lib. VIII. ſympoſiacon. quæſt. IX. *quin & Cerebrum antiquitus abominabantur, & proijciebant: vnde factum, vt Achilles iratus Agamemnona illi comparauerit.* noſtro æuo qui rerum cunctarum eſt orbis, inter præcipuas & lautiores epulas, quorundam animalium Cerebrum annumeratur, vt Vitulorum, Hœdorum & Leporum; Medicis verò parum id probatur, eſt enim naturæ pituitoſioris, ſimul etiam ſucci craſſioris, qui difficilè concoquitur, & tardè permeat, namq́ue ex mollitie ipſius, iudicium ferentes, ægris tanquam ἄφθαρτον, illud exhibent; immane quantum aberrent; nam vt Galenus refert, præter citata incommoda, etiam nauſeam mouet, quin immò ſi cui vomitum volumus inducere, à cibo illud pinguiter coctum, poſtremis epulis exhibendum. minimè verò præbendum illis, quos ἀποσίτους veteres vocant, quod inappetentia laborant: facilè enim is cibus Stomachum ſubuertit. prudentius faciunt qui illo abſtinent; niſi forſan Aromatibus illud pro cuiuſque palato condiant: quod naturam eius excrementitiam temperent, & minus noxæ inde corpori adueniet, quod ſi tamen à ventriculo bene conficiatur, alimentum non ſpernendum præſtabit. Cerebro continua eſt ſpinalis Medulla, quam tamen omnes perperam Medullam vocant, cum oſſium medulla, non modo ſpinali hac,

verùm etiam Cerebro ipſo ſit humidior,& pinguior,vt auctor eſt Galenus;accedit quod illa nec oſſa nutriat,nec funditur aut liquatur,vt cęteræ medullæ,ſed durior non ſolùm illis eſt, ſed & ipſo Cerebro: Medullæ verò nomen illi inditum, quod in ſpinæ oſſibus contineatur,coloremq́ue medullæ referat, pinguedinis verò minimum habet:quo fit vt nauſeam non prouocet,quin ſi probè in ſtomacho conficiatur,valenter nutrit.quæ verò alijs in oſſibus continetur Medulla, Cerebro dulcior & pinguior multò eſt,adeo vt ſi ea inter ſe comparando guſtaueris,videbitur Cerebrum auſteri aliquid habere: crurum Bubulorum potiſſimum in pretio eſt, quam varijs cibis permiſcere, iam pridem ganea docuit.nauſeam prouocat liberalius aſſumpta,valde autem nutrit,ſi in ſtomacho perficiatur.

CAPVT XIII.

Bubula lingua cæteris præfertur. Glandulæ variæ. Vitulorum maximè laudabiles. Glandia. Teſtes Gallinaceorum; Suillum Hepar, συκωτὸν.

LInguæ ſubſtantia laxa & ſpongioſa eſt, nec ad edendum inſuauis; Suillam & Bubulam culinæ cæteris præferunt, vtramque variè præparant,nunc elixam,nunc aſſam apponentes, ſed non ſine pipere aut caryophyllis, hæc enim gratiam linguæ conciliant,& carnem natura ſua fluentem, acrimonia hac egregiè temperant. Bubula verò hanc prærogatiuam habet,quod in annuos vſus ſeruetur penſilis,ſale & fumo durata: hac vini potores nihil lautiùs habent, ad ſitim & orexim excitandam; vinum enim iucundioris pretioſioriſq́ue guſtus, ab huius eſu gula promittit, ſed ex rara & ſoluta linguæ ſubſtantia, alimentum corpori prouenire minimè ſolidum poteſt, quoniam ſanguis inde fluxilis,& pituitoſus generatur, ex quo & caro eiuſdem naturæ,

Quantùm Lingua à carnis ſubſtantia, tantum glandulæ à Linguæ ſubſtantia receſſerunt, vt teſtatur Galenus III.de Alim. facult.cap.v.variæ illæ ſunt, quædam enim actionem, quædam vſum habent tantùm. Actionem habent, quæ in mammillis, lactis generationem efficiunt,tales etiam ſunt quæ in ore ſunt,Pariſthmia dicta, quæ pituitam aut ſaliuam generant. Vſum verò ſolum habent, quæ vaſorum diuiſionibus ſubſeruiunt, ſiue ad vaſa fulcienda, ne multiplici diuiſione rumpantur,quales in axillis, inguinibus & collo ſunt: ſic ſub ſterno glandula eſt quam Thymum vocant, quæ diuiſionem Venæ Cauæ aſcendentis firmat: & quia Thymi florentis capitellum refert, ita vocatur.in recentibus fœtibus maior, quod teneriora ſint vaſa,in creſcentibus autem decreſcit. omnibus autem commune eſt,vt ſuaues in cibo,ac friabiles ſint. Mammillares autem cùm lac habeant, de ipſius etiam dulcedine quippiam referunt;tumque à nepotibus maximè expetuntur, reliquo tempore minus gratæ,quippe exuccæ iam,& expreſſo ſucco arefactis ſpongijs non abſimiles. noſtro æuo principatum obtinent,quæ vitulis prope collum extrahuntur, lacteo enim colore conſpicuæ,& ſuauiſſimo ſapore ſummaque teneritudine præditæ, ægris innoxiè permittuntur.An hoc in genere cenſenda ſunt Glandia veteribus celebrata,Legibus Cenſorijs interdicta, nihil auſim aſſerere,cùm incertæ ſint auctorum ſententiæ.Alij enim volunt Apri partem eſſe iuxta ceruicem,vel ipſam ceruicem, in hac enim Glandulæ poſitæ ſunt, ſic Plautus in Captiuis.

Aripuit gladium, pertruncans tribus tergoribus Glandia,

Apud Martialem tamen vocantur Glandulæ.

Partitur Apri Glandulas Paleſtritæ.

Alimentum autem quod ex illis prouenit, ſi probè à ventriculo ſuperetur,carnium naturæ proximè accedit,quod ſi non exactè concoquantur, duriores ſuccum crudum,humidiores verò pituitoſum aggenerant.

Ex genere Glandularum ſunt Teſtes, ſed longè ab illarum ſuauitate ſalubritateque remotæ, ob naturam enim ſeminis quod in illis generatur, viroſum neſcio quid redolet; quare inter eligantiorum cibos, rarò gratiam inuenerunt; difficilis autem ſunt concoctionis & praui ſucci, quod ſi tamen à valido calore innato edomentur, non exiguam alimoniam corpori præbent. Soli autem Gallinaceorum teſtes, præcipuèque altilium, ſuauiſſimi ſunt & egregiè nutriunt Galeno auctore, adeò vt ægris etiam frequentiſſimè illos exhibeat.

Quidam & Renes inter Glandulas annumerant; quod glanduloſum quid obtineant, eiuſdem penè prauitatis, vel bonitatis gradum, cum teſtibus obtinent, nam odore ſuo ſucci naturam produnt, non ſecus ac teſtes. Cùm enim lotium continuo per illos permeat, non mirum eſt, ſi ſucci prauitatem ab illo contrahant, quare & concoctioni inſigniter aduerſantur: ſuccum gignunt craſſum & prauum. in nouellis tamen quadrupedibus, priuſquam coëundi deſiderio tenentur minus noxæ eſt, quare Hœdorum, Vitulorumque renibus citra magnum aliquod incommodum, veſci poſſimus. cęterorum verò, ruſticis, meſſoribuſque relinquendi, qui validis laboribus vel deteriores cibos facilè ſuperant.

Succedunt nobiliora viſcera, inter quæ primum locum iecur obtinet, & ad naturam ſanguinis proximè accedit: ſiquidem iecur nihil penè aliud eſt, quàm ſanguis craſſior redditus, & quaſi concretus; nam & primum eſt ſanguinis generandi inſtrumentum; qua de cauſſa etiam animalium omnium iecur craſſi eſt ſucci, & ad coquendum difficile, & tardè venas permeat, vt Galenus optimè cenſuit III. de alim. facult. cap. XI. meliora autem, vel deteriora ſunt, ſecundùm animalis cuiuſque naturam, quare vt ſues quadrupedum cætera, alimenti bonitate ſuperant, ita etiam Suillum Hepar, cæteris præpollet. Longè autem præſtantiſſimum erit, ſi Sues antea caricis paſtæ fuerint, quo cibo iecur ampliſſimum iucundiſſimumque euadit,

dit, quod Græci συκωτὸν, seu ficatum appellant, iecur enim dulcibus intumescit, & multo præstantius euadit Galeno teste. inuentum hoc fuit M. Apicij. Plinius lib. VIII. cap. LI. *adhibetur & ars iecori fœminarum sicut anserum, inuentum M. Apicij, ficocarica saginatis, ac satie necatis repente, Mulsi potu dato.*

Græci solebant frixa iocinera, omento vel epiploo inuoluta, mensis inferre, vt obseruat Athenæus lib. III. nostro sæculo Vitulinum in cibo præfertur, assum frixumque, cum embammate, quod aceto saccharoq; & cinnamomo conditur, vel etiam ex mali Medici liquore manditur. Aliqui iussulentum apponunt, variis condimentis paratum.

Lien sapore est ingratus, acerbitas enim in eo quædam, quę melancholicum succum, cuius præcipua sedes est, resipit, quare rarissimè mensas subit.

Pulmo verò ad coquendum est facilior, rarus enim natura sua, & spongiosus est, alimentum tamen pituitosum exhibet, & nutriendi facultate iecori inferior.

Cor substantia constat dura & fibrosa, quod difficilè à Stomacho superari potest, si tamen probè concoctum fuerit, alimentum non paucum, neque mali succi præstabit.

CAPVT XIV.

Homerus Caprarum sanguinem laudat. Isicia difficilis sunt concoctionis. Tomacula, Tuceta diuersa ab Isiciis. Botulus. Lucanica diuersa à Botulis. Phalisci. Silicernium. Hilla. Apexabo. Longano.

VEntres & intestina, membranosæ partes sunt, & frigidioris naturæ; quare priusquam probè concoquantur, tempore & valido calore innato indigent: succum tamen generabunt crudiorem, quare etiam rarò à prudentioribus ad

mensas aduocantur, sed plebeculæ tantùm in deliciis sunt.

Sanguis verò omnis ad concoquendum est difficilis, præcipuè crassiùs & melancholicus, qualis est bubulus: Galenus leporinum vt suauissimum commendauit, Homerus verò Caprinum, vt præcipuæ suauitatis laudauit, sæculi sui morem sequutus; procos enim Penelopes, inducit ventres Caprarum sanguine & adipe plenos deuorare. nostra ætate Porcinum cæteris præferri video, quem cum adipe & Aromatibus, intestinis claudunt, atque inter delicias habent: cuius occasione dicenda quædam de Isiciis, Botulis, Lucanicis, aliisque farciminibus.

Isicium carne minutim incisa cum aruina permixta constat: dicitur autem Isicium, tanquam, Insicium, quod insecta caro est, Varroni Insicium scribitur lib. IV. de lingua Latina; Græci ἴσικον & ἰσίκιον vocant. Athenæus libro IX. dicit ἰσίκια, τὰ ἐκ σαρκῶν εἰς λεπτὰ κατακνιζομένα καὶ μετὰ πεπέριδων συμπλαττόμενα, *Ex carnibus minutim tritis ac cum pipere subactis.* quæ non solùm ex carnibus, sed ex piscibus variis ita concisis parabantur, vt docet Apicius lib. II. de quibus opportuniore loco agemus. erant autem omnia Aromatibus vel herbis odoratis condita, vulgus *salzisas* vocat, & maximis deliciis annumerant. quorum præcipua virtus, lapsam orexim excitare, & sitim accendere, aliàs enim non facillimæ est cõcoctionis, licet diligens tritura quidquid graue in carne erat absumserit. Caussam reddit Disarius apud Macrobium lib. VII. cap. VIII. *quia leuitas illa quam tritura præstitit, effecit vt innatet in ventriculo, nec adhæret corpori ventris, cuius calore digestio promouetur: sic & mox tritum atque firmatum, cum in aquam coniicitur natat; ex quo intelligitur, quod idem faciens in ventris humore, subducit se digestionis necessitati, & tam serò illic coquitur, quàm tardius conficiuntur, quæ vapore aquæ, quàm quæ igne soluuntur. Deinde dum instantius teritur, multus illi flatus inuoluitur, qui prius in ventre consumendus est, vt tum demum conficiatur, quod remansit de carne iam liberum.*

Ioan-

Ioannes Britannicus ad Satyram x. Iuuenalis credit Iſicia eadem eſſe cum Tomaculis, quæ nomen à ſectione, non ſecus à Iſicia, habent, quam τόμην Græci dicunt, quæ vt plurimum iecore & pulmone Porcino conſtarent; ſed non poſſum eius opinioni ſubſcribere: certum enim eſt Tomacula, vel vt Varroni placet Tomacinas, partes eſſe aliquas porci certo modo ſectas, Iuuenalis Satyra x.

Vt tamen & poſcas aliquid, voueaſq; Sacellis,
Exta, & candiduli diuina Tomacula porci.

Nemo enim Iſicia offert aut vouet Diis. Scholiaſtes vetus, *Tomacula, porci pinguia quædam viſcera.* Martialis innuit moris fuiſſe calida venundari.

Quod fumantia qui Tomacla, raucus
Circumfert tepidis coquus popinis.

Hinc Petronius in Trimalcionis Guſtatione, *fuerunt & Tomacula, ſuper craticulam feruentia argenteam poſita.*

Tomaculis addenda ſunt Teniacæ, Varroni dictæ quæ erant oblongæ offæ inſtar tæniæ ſectæ, quas Græci σχελίδας καὶ πλευρίδας vocant. Sed nihil illis, vt nec Tomaculis, cum Iſiciis aut Lucanicis commune.

Tucetum, idem cum Iſicio dicit Hadrianus Iunius, *Tucetum* inquit, *micæ carnium cum aruina minutimq; inſecta ilia, idem cum Iſicio.* Veteres Grammatici aliter videntur de hac voce ſentire. Tucetum enim ζωμὸν παχὺν vertunt. i. ius craſſum, quorum opinioni videtur Perſius fauere Sat. II.

——— *Sed grandes patinæ, Tucetaq; craſſa*
Annuere his ſuperi vetuere, Iouemq; morantur.

Quo loco Scholiaſtes. *Tuceta apud Gallos Ciſalpinos bubula dicitur, condimentis quibuſdam craſſis oblita ac macerata, & ideò toto anno durat. ſolet etiam porcina eodem genere condita ſeruari.* quid hæc cum Iſiciis, Lector diſpiciat. Fulgentius libello de priſco ſermone, longè aliter ſentit. Tuceta, inquit, dicuntur eſcæ Regiæ. Callimorphus Piſæis: *Ambroſio redolent Tuceta ſapore.*

Maiorem cum Isiciis affinitatem habent Botuli, Lucanicæ, aliaque farcimina, quare commodè nunc de illis agemus. Botulus vel Botellus, vt Apicius vocat, farciminis genus quod quia per bolos farciebatur, ita dictum, vt auctor est Festus. Ex sanguine autem paratos fuisse, auctor est Tertullianus, Apologetico aduersus gentes. *Deniq; inter tentamenta Christianorum, Botulos etiam cruore distentos admouetis, certissimi scilicet, illicitum penes illos per quod exorbitare eos vultis.* antiquioribus tamen aliter paratus erat. Apicius lib. III. de re culinaria cap. V. *Botellum sic facies, ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cæpam & porrum concisum, Thusq; crudum admiscebis, cum Pipere modico, atque intestinum denique farcies adiectoq; liquamine & vino decoques.* diuersis itaque modis Botuli parabantur, nunc ex sanguine, nunc ex aliarum rerum miscella, ab his videtur Gallicum nomen, *Bodin*, fluxisse. & quemadmodum nostra tempestate. Brumali tempore potissimum, ex sanguine porcino, cum aruina, variisque aromatibus permixtis confecta; amicis mittuntur, ita etiam apud veteres Saturnalibus solebant missitari; auctor est Martialis lib. XIV.

Qui venit Botulus, medio tibi tempore Brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

Idem lib. V. Epigr. LXXV. obseruat Botulos cum pultibus, inferri mensis.

Et pultem niueam premens Botellus.

Affinis Botulo est Lucanica, quæ ita dicta, quod à Lucanis populis illius parandi modum didicerant milites, vt auctor est Varro lib. IV. de lingua Latina, ex carne porcina minutim concisa potissimum constabat, aliis permixta condimentis. lubet eius compositionem ex Apicio producere. *Lucanicarum confectio, similiter vt suprà scriptum est conficitur, teritur piper, cyminum, satureia, rutha, petroselinum, condimentum baccæ lauri, & liquamen, admiscetur q; pulpa bene contusa, ita denuo cum ipso subtrito fricetur cum liquamine, admixto pipere integro, & abundanti pinguedine, & nucleis*

nucleis farcies intestinum, perquam tenuatim perductum, & sic denique ad fumum suspenditur; ex quibus possumus non ineptè suspicari Lucanicam esse quam Itali paulum mutato nomine *Luganiga*, Hispani *Longaniza* vocant; nam qui Botulum cum Lucanica vult confundere, omnino mihi cæcutire videtur. Martialis hoc Farciminis genere, pultes coronari scribit. libr. XIII.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

Phalisci vel Falisci, etiam farciminis genus, Falerios populos agnoscit auctores; maius illud videtur fuisse, ventrem enim farciebant vt Varro innuit, vnde Statius Syluarum IV. graues Phaliscos vocat.

Non Lucanica, non graues Phalisci.

Apertius verò Martialis.

Et Lucanica, ventre cum Phalisco.

His etiam adnumeratur Silicernium. Festus. *Silicernium genus erat farciminis, quo fletu familia purgabatur, dictum autem Silicernium, quia cuius nomine ea res instituebatur, is iam silicem cerneret*. Cæcilius. *Credidi silicernium eius me esse esurum*. eius etiam Arnobius meminit, *quid, inquam, sibi hoc volunt, Apexabo, Insicia, Silicernium, Longano? quæ sunt nomina & farciminum genera, hircino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.*

Hilla vel Hila, vt aliquibus placet, tenuissimum intestinum farctum. Hila ab Hilo dicta, id est minimo. Nonnius verò Marcellus, non ab Hilo vult Hillam dici, *sed quod Hillas intestina veteres dixerunt, vnde Bohilla oppidum in Italia (quod post Bouilla dictum) quod eo bos intestina vulnere trahens aduenerit*, non dissentit multum ab hoc etymo Festus Pompeius in dictione Hira. *Hira, quæ diminutiuè dicitur Hilla, quam Græci dicũt* νῆστιν, *intestinum est quod ieiunum vocant*. certissimum est, farcimen esse quoddam tenuius, variis condimentis paratum quod appetitum excitat, monuit hoc Catius apud Horatium

——— *Perna magis, ac magis Hillis,*
Flagitat in morsus refici.

Quod verò in Hillis eminet, Apexabo dicitur, Varro: *quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo quod vt in capite Apex, Apexabo dicta.*

Aliud Farciminis genus erat Longano, vel Longao aut Lõgabo. Varro: *Tertium Fartum est Longabo quod longius quã duo illa:* de quo & Arnobius citato loco. Isicia autem omnia & varia farcimina, irritamenta potius sunt gulæ, quàm salubris cibus, omnia enim difficilis sunt concoctionis, propter variam miscellam, qua constant.

CAPVT XV.

Γαλακτόποται. *Lac temperatum est, ita tamen vt ad frigidum magis quàm calidum inclinet. Plinij & Varronis iudicium de Lactis natura reiectum. Cur caprinum Lac minus bubulo ventrem moueat. Lac Asininum Podagricis prodesse. Celsus emaculatus.*

POstquam de quadrupedum carnibus, earumq; extremis partibus egimus, de Lacte dicendum superest, vtpote quod ex animalibus prouenit, & egregiam alendi facultatẽ habeat; nihil enim aliud est Lac, quàm sanguis concoctus, atque in alborem, à frigidioribus animalis partibus, mãmillis nempe conuersus. illud enim nõ solùm agrestes abundè pascit, sed etiã elegantiorum mensas iucundis numerosisq; dapibus exornat; multis etiam nationibus apud quos Cerealiũ erat penuria, victum olim præstitit, vnde & Nomades, Getæ, Schytæ γαλακτόποται dicti; & nostro æuo Septentrionalium plerique, Lac in deliciis habent: quod Belgicæ populi abundè testari possunt, aliæque mitiores gentes, quæ nitidiorem viuendi normam habent,

habent, numerosa fercula ex lacte concinnant.

Natura Lactis adeò temperata creditur, vt in caloris & frigoris mensura, nullum penè excessum habeat. Galenus enim lib.v.de simpl.Med.facult.c.xx.mediā dicit temperaturam habere, inter sanguinem & pituitam,ita tamen,vt magis ad sanguinis quam Pituitæ naturam accedat, sed lib. IV. de simpl. facul.ca.xv.manifestè docet,ad frigidam magis inclinare. Verba eius sunt. *Cæterum etsi lac dulce sit gustu,tamen ex sese nunquam amarum efficitur: vincitur enim in eo,à frigore magis caliditas,quàm ipsa vincat,proinde etiam repositum acescit;ex tribus enim substantiis, qualitate dissidentibus, velut suprà quoque dictum est, constat; prima quidem crassa, ex qua caseus conficitur, altera pingui,ex qua butyrum.& tertia aquosa quod serum nuncupamus;verùm ex hisce,pinguis quidem vel maximè temperata est, crassa verò paulum ab ea declinat, at excrementum illud serosum, frigidum & humidum est; quare lac vniuersum, à modicæ caliditatis corpore longo interuallo relinquitur, quapropter ex se acescit potius, quàm amarescit.* Qua de caussa Auicenna, laudat Ruphum Ephesium, quod dixerit lac nocere Phlegmaticis, quoniam illorum caliditas,non conuertit ipsum in sanguinem, sicut oportet.

Magnum tamen in illo est discrimen,aliud alio præstantius, pro animalium natura, pascuis, & anni tempestate. probatissimum verò,quòd nulla externa qualitate imbutum,quam neque gustu, neq; olfactu referat; quod in vngue hæreat, neque statim diffluat:candidum sit, vel vt Aristoteli placet, quod liuidum colorem quadantenus referat:tale verò in animale sano, & florentis ætatis, bonisque pascuis nutrito reperitur; quò verò longiùs ab hisce dotibus abierit, tantò inutilius censebitur.

Sed maxima diuersitas ex animalibus ipsis oritur, siquidem Vaccinum Lac, crassissimum & pinguissimum est; liquidissimum autē minimeq; pingue camelorum;mox equarum,deinde asinarum; mediæ autem consistentiæ est Caprarum, hoc autem

autem crassius est ouillum. recepta est hæc ab omnibus penè Medicis differentia; à qua tamen Plinius & Varro diuersi sunt, ille enim libro XXVIII. capite IX. dicit *efficacißimum esse Asininum, Bubulum maximè ventrem soluere.* Varro autem libro II. de re Rustica capite XI. *ouillum maximè alere, deinde caprinum, quod autem maximè perpurget est equinum, tum Asininum, deinde Bubulum, tum Caprinum.* Certum enim est Asininum minimum alimenti exhibere, quia plus seri habet quàm Bubulum, quo enim lac pinguius crassiusque est, eo plus alit. quo plus seri illi inest, maximè aluum mouet; itaque contra Plinium & Varronem sentiendum est, plurimum alimenti ex Bubulo suppeditari (de Humano enim non loquimur, quod inter omnia maximè nos alit & naturæ nostræ maximè conuenit.) vnde etiã non video, qua ratione ductus Varro, Bubulo ventrem magis solui, dicat quàm Caprino, cũ illud multo crassius sit, minusq; seri, quã Caprinum habeat. Sed mirandum ab Aëtio scriptum esse Tetrabili, I. l. II. c. LXXXVII. Caprinum Lac, ad purgandum debilius esse bubulo, cùm tamen constet illud plus seri habere: sed video idem Dioscoridi placuisse lib. II. cap. LXIII. cuius rei caussam reddit, *quia,* inquit, *Capræ multo adstringente pabulo vtuntur, quercu, lentisco, olea, & terebintho, quam ob caussam etiam stomacho est vtile,* itaque non mouet minus aluum sua natura, sed ratione pabuli quod adstringentis materiæ est.

Optimum itaque lac, teste Galeno, omnium ferè quæ mandimus optimi est succi; sic & Varro, *Omnium rerum quas cibi caussa capimus, linquentiũ maximè est lac alibile;* vnde refert Athenæus l. II. Philinum quendam toto vitæ decursu, nec cibo nec potu alio vsum fuisse quàm Lacte. quod verò vitiosum, improbi admodum succi est, & morborum Iliadem vescentibus adfert. tutissimum illud censetur, in quo serum abundat, nam pauciores inde noxæ, etsi frequentissimè quis eo vtatur; contrà verò, exiguo sero præditum, non impunè sumitur, renibus enim nocet, præsertim calculo obnoxiis, iecur verò ac Mesente-

ſenterij venas obſtruit, aluum ſiſtit & humores craſſos gignit: ſeroſum verò, ventrem prolicit & craſſos humores attenuat.

Omne autem lac, Thoraci atque pulmonibus amicum, capiti verò niſi quibus illud valdè firmum, aduerſatur, Hypochondrijs etiam non eſt commodum, quia leui de cauſſa, illa inflantur & obſtruuntur, plurimis etiam in ventriculo in flatum conuertitur, nonnullis etiam coagulatur, quare cum melle aut ſale ſumendum, vt noxam euadant.

Hippocrates paucis verbis, more ſuo, recenſet quibus morbis proſit vel aduerſatur lib.v. Aph. LXIV. *Lac dare caput dolentibus malum: malum verò & febricitantibus, & quibus Hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis. malum autem quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt deiectiones, & quibus ſanguinis multi deiectio facta eſt: Conuenit autem tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in febribus longis & paruis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis adfuerit; & præter rationem conſumptis.*

Dentibus verò, & gingiuis inimicum eſſe omnes ſcriptores aſſerunt, illas enim fluentes reddit, dentes verò putredini & eroſioni opportunos. quare illo hauſto, vino diluto iubet Galenus os eſſe colluendum, aut meraciori, ſi patiatur caput: cui ſi mel additum fuerit, efficacius erit.

Vſus etiam lactis ad omnia intus exulcerata, maximè verò renes, veſicam, fauces & pulmones conuenit. quibus tamen vitijs, Aſininum cæteris præfertur, propter tenuitatem partium. Plinius refert lib.XXVIII. cap.IX. in Arcadia Pthiſicis, Syntecticis, & Cachectis bubulum maximè profuiſſe, cuius rei cauſſam refert lib.XXV.cap.VIII. *Arcades quidem non Medicaminibus vti, ſed Lacte circa ver, quoniam tunc maximè ſuccis herbæ turgeant, medicenturque vbera paſcuis, bibunt autem vaccinum, quoniam boues omniuoræ ferè ſunt in herbis.* Sed fides ſit penes auctorem. Medicorum filios longa experientia docuit, Aſininum palmam in illis affectibus obtinere; idem etiam Plinius inſigne beneficium Aſinino adſcribit. *Sunt inter exempla qui Aſininum*

 bibendo,

bibendo, liberati sunt Podagra chiragrave. Confirmat hoc Cornelius Celsus lib. IV. cap. XXIV. *quidam etiam cum Asinino lacte epoto se eluissent, in perpetuum hoc malum euaserunt*; quo loco legendum, *cum Asinino lacte epoto se aluissent*, litterulæ vnius mutatione, claudicantem sententiam restituimus; quid enim est, eluere se epoto lacte. In Ardentibus etiam Febribus, hoc lacte ægros purgabant Medici vetustiores. Hipp. lib. IV. de Ratione victus in Morbis acutis. *Verùm si ad hæc non aperiatur, Lacte Asinino cocto purgabis.* Gal. in commento dicit Hipp. in talibus febribus ad Lac Asinæ confugere, tanquam tutissimum medicamentum, cùm cætera omnia purgantia acria sunt, illud verò omnis acrimoniæ expers, humiditate sola abundare, qua ventrem soluit.

CAPVT XVI.

Oxygala. Melca & eius præparatio. Aphrogala. Colostrum, vel Colostra. προτόγαλα, πυαρίτης, πυριέφθις. *Colostratio. Schiston.*

De Lactarijs quibusdam operibus, quorum frequẽs apud Scriptores mentio, aliquid dicendum, & primũ de Oxigalacte: Græci ὀξύγαλα vocant, Latinè Lac acidum dixeris; fit autem illud, certa quadam Lactis præparatione, per quam sola caseosa substantia relinquitur, eaq; ipsa non omnino eiusdem naturæ, cuius ab initio fuit; verùm multò frigidior, vt ægerrimè, nec nisi à vẽtriculo valdè calido concoquatur: non enim vt refert Galen. lib. III. de Alim. facult. calidam & acrem seri qualitatem retinet, neque pinguem & calidam butyri, sed sola in ipso reliqua est Caseosa pars, quare frigidum est, & crassi succi, & crudos humores generat. Columella modum præparandi Oxygala docet lib. XII. cap. VIII.

Oxygala sic facito, ollam nouam sumito, eamq; iuxta fundum terebrato, de-

to, deinde cauum quum feceris, surculo obturato, & lacte ouillo, quam recentissimo vas repleto, eoque adijcito viridium condimẽtorum fasciculos, Origani, Menthæ, Coriandri, Cæpæ, has herbas ita in Lacte dimittito, vt ligamina earum extent: post diem quintum, surculum quo cauum obturaueras eximito, & serum emittito. cum deinde lac cœperit manare, eodem surculo cauum obturato, intermissoque triduo, ita vt dictum est, serum emittito, & fasciculos condimentorum exemptos adijcito, deinde exiguum aridi Thymi, & Cunilæ aridæ super lac stringito. concisiq; sectiui porri quantum videbitur adijcito, & permisceto, mox intermisso biduo, rursus serum emittito. Cauumque obturato, & salis triti quantum satis erit, adijcito & misceto: deinde operculo imposito & oblinito, non ante aperueris ollam quam vsus exegerit.

Hoc modo Oxygala præparatum calidiorem facultatem videtur obtinere, quam ab herbis calefacientibus proculdubio acquirit. Galenus auctor est, Oxygala dentes non lædere sicuti lac, nisi quibus natura frigidiores; sic etiam frigidiori vẽtriculo summopere aduersatur, calidiori verò egregiè confert, quin immò si niue refrigeratum fuerit, sine vlla molestia assumitur. Melca etiam (Lactarium opus est, veteribus celebratum, nobis vix notum. huius Galenus meminit lib. VII. Meth. Medendi cap. IV. de curatione intemperiei calidæ vẽtriculi. *Cibos præterea ad eundem modum refrigeratos identidem me illis permittere vidisti, in quibus est & quam Melcam vocant, vnus is quoque Romæ laudatorum ciborum, veluti etiam Aphrogalam.* sic etiam lib. de cibis boni & mali succi cap. XXI. *dantur quoque Præcocia, & Persica, & quæ Romanis Melca dicitur, refrigerata tamen, nec non spuma Lactis quæ à Græcis Aphrogala nominatur.* Paulus Ægineta lib. IV. c. XXVII. de ciborum inappetentia. *panem igitur ex posca dare his conuenit, & ipsam Poscam bibendam, & oxygala, & apud Romanos Melcam appellatam, est autem obsonium quoddam ex lacte.* mirum est ne nomẽ quidem huius laudatissimi cibi, apud quenquam Latinorum extare. Modus tamen præparandi extat apud Constantinum Cæsarem Geoponicorum. lib. XVIII. cap. XXI. ex sententia Paxami.

Præparatio Melcæ extemporalis, & præstantior fit hoc modo, nimirum si in fictilia vasa noua, acetum acre immiseris, posuerisq́ ipsa in calidum cinerem, aut ad lentum ignem, id est ad prunas: & vbi paulatim efferbuerit acetum, vt à vasis combibatur, vasa de prunis detraxeris, & in eadem vascula lac miseris, atque ipsa in arculam aut cistam, aut vbi immota maneant deposueris, sequenti enim die Melcas multo præstantiores habebis, quam sunt quæ multa arte parantur: vascula tamen, postquam semel atque iterum ipsis vsus fueris, permutabis.

Hinc colligere possumus Melcam nihil aliud esse, quam lac repositum in fictile nouum, feruenti prius aceto perfusum: inde autem sequestrationem seri à crassiore Lactis substantia fieri constat: quam in grumos concrescere verisimile est, similemq́ue obsonij speciem fuisse, quæ Gallis, *du Laict caille* dicitur, quæ insignem vim refrigerandi æstiuos calores habet.

Succedit Α᾿φρόγαλα siue spuma lactis, aut spumosum lac vocare licet, à Galeno etiam inter lactarias delicias cum Melca nominatur, cuius tamen mentio vix apud priscum aliquem scriptorem exstat. Suspicari licet, lac esse eo vsque agitatum vt totum in spumam versum sit, si vim verbi persequi volumus: hodierna die frequens id edulium in opiparis cœnis apponitur, Niuem vulgus indigetat, quia in patinis exstructũ niuis floccos referre videatur. Lac itaque spumosum est, quod adeo in longis vasis concutitur, vt nihil iam præter spumã appareat. alioquin etiam cremorem ipsum lactis, seu florem supernatantem intelligere possumus, quem alij lactis caput vocant; fluit enim in lactis superficie recẽter mulcti, repositique, quã primum refrixerit supernatans, palato acceptissima pars: pinguissimus lactis quasi cremor & flos, quem ex multis vasculis colligentes, cum Saccharo & aqua rosacea, in capitis morem patinam exstruunt. ventriculo æstiuis caloribus squallenti egregiè prodest; nisi pinguedine sua laxaret eius os.

Colostrum vel Colostra, Lac dicitur primum à partu, quod sponte

ſponte & abſque coagulo concreſcit, cũ noua olla exceptum, ſuper calidis cineribus aliquantulum calefit. Plinius lib. XXVIII. cap. IX. *Eſt autem Coloſtra, prima à partu ſpongioſa denſitas lactis.* apud Athenæum lib. XIV. Philippides πυελέφθην vocat alijs πυαρίτης vel χυτεύτης dicitur. Aëtius Tetr. I. lib. II. cap. XCIX. πρωτόγαλα vocat, *Primarium lac ſiue πρωτόγαλα quod ſtatim à partu mulctum eſt, id calido cinere modicè calefactum, citra coagulum ſtatim concreſcit, veteres πυελάτην vel πυελέφθην vocabant, comeditur autem cum melle. nam abſque melle, ægrius concoquitur, & craſſioris ſucci eſt.* in delicijs autem fuiſſe, Plautus oſtendit in Pœnulo;

Mea Coluſtra, meum cor, meus molliculus caſeus.

Sed manifeſtiùs Martialis.

Surripuit Paſtor, quæ nondum ſtantibus hœdis,
De primo matrum lacte, Coloſtra damus.

Quod tamen lac, ſi animalia ſtatim à partu guſtauerint, illis noxium. Plinius lib. XI. cap. XLI. *Aſinæ prægnantes continuò lacteſcunt, pullis earum vbi pingue pabulum, biduo à partu maternum lac guſtaſſe lethale eſt. genus mali vocatur Coloſtratio.* Palladius in in Nouembri, Titulo XIII. *Sed agnus ſtatim natus, vberibus maternis admouendus eſt: manu prius tamen exiguum lactis, in quo ſpiſſior eſt natura, mulgendum eſt: quod paſtores Coloſtrum vocant. namque hoc agnis niſi auferatur, nocebit.* vnde etiam nuper editis infantibus, nutricis lac potius exhiberi conuenit, quam Matris primis diebus, quoniam hoc eo tempore exitioſum eſt, ſiquidem illud genitum eſſe Medici aſſerunt, ex ſanguine, à quo iam optima pars ſecreta erat, ad Infantis nutritionem, intra vterum: ideoq; exugi debet & abijci. qui enim tali lacte vtuntur infantes, Coloſtrati fiunt, varijſque morbis obnoxij vitam viuunt.

Erat etiam lactis genus quod ſciſſile, Græci γαλά σχιστὸν vocarunt, eſt ſeroſa lactis portio, certò quodam modo exempta, ſegregataque à caſeo. modum parandi ſchiſton docet Plinius lib. XXVIII. cap. XI. *Medici ſpeciem vnam addidere lactis generibus,*

quod Schiston appellauere, id fit hoc modo, fictili nouo feruet, Caprinum maximè, ramisque ficulneis maximè recentibus miscetur, additis totidem cyathis Mulsi, quot sint heminæ lactis, cùm feruet: ne circumfundatur, præstat cyathus Argenteus cum frigida aqua demissus, ita ne quid fundat. ablatum deinde igni refrigeratione diuiditur, & discedit serum à lacte quidam, & ipsum iam multo potentißimum decoquunt ad tertias partes, & sub dio refrigerant. Paulus Ægineta lib. I. cap. LXXXIV. videtur lac scissile appellare, serosam lactis portionem à caseo separatam, cui mellis momentum, aut oxymellitis, subducendi ventris gratia admistum sit. Gal. lib. V. de simpl. medicament. facultatibus, dicit fuisse qui ita vocarunt lac scissile, quod Calculis marinis, aut ferro candenti immissio incrassatur, alui profluuijs & Dysenterijs vtilissimum.

CAPVT XVII.

Caseus à coagulo acrimoniam contrahit. Vetusti casei damnantur. Vulgare iudicium de casei præstantia reiectum. Hippace. Athletæ olim caseo ex calathis victitabant.

OMni lacti triplex inest substantia, serosa quæ tenuissima, caseosa quæ crassissima, & Butyrosa quæ pinguissima. Serosa pars acrimoniam aliquam habet, cuius beneficio aluum soluit, caseosa verò frigida & humida est, butyrosa moderatum calorem habet; vbi verò coaguli opera, tenuior lactis pars à crassiore sequestratur, remanet caseus, qui ex pinguiore & crassiore lactis parte constat, nisi quis primo butyrum abstulerit, sed tales casei ingrati, & omnis pinguedinis expertes erunt.

Contrahit autem caseus omnis ab iniecto coagulo acrimoniam, humiditatemque deponit. (est enim coagulum, lac in ventriculo corruptum, quod per putrefactionem, acrimoniam acquisiuit & calorem alienum.) præsertim si inueterauerit, tunc

tunc enim manifestè acrior calidiorque euadit; qua de caussa, magna est differentia, inter recentem & vetustum caseum. recens enim & mollis, duratis & veteribus salubritatis caussa præferendus. teste enim Dioscoride, magis alit, stomacho vtilis, corpus auget, aluum leuiter emollit, & facillimè digeritur; minùs verò nutrit si sale aspersus fuerit, & stomacho inutilis. Vetustos caseos Galenus damnat, quod acredine sua, quam à coagulo contrahunt ad concoquendum efficiuntur difficiles. Et licet alijs crassioribus cibis, admixta tenuantia vel incidentia prosunt, nihil tamen commodi, ex hac acrimonia caseo accidit. sed maior noxa, ex succi ipsius prauitate, & ardenti calore prouenit; quam attenuantis facultatis vis conferre queat, nec ad calculorum in renibus generationem, hic succus minus est noxius. Oriuntur enim illi, vbi succorum crassities cum ardenti calore coniuncta est, quare abstinendum à talibus caseis suadent: vtpote qui nihil cõferant, neque ad coctionem, neque distributionem, neque ad mouendam vrinam, neque ad ventris deiectionem, multo minus ad succi probitatem. Ex quibus perspicitur, quanto in errore passim bona pars mortalium versetur, qui nobilitatem casei, ex pessimis omnino notis, vetustate & acrimonia colligunt; eius verò bonitatem, ex pinguedine & densitate iudicant, manifesto errore. nam vt auctor est Gal. lib. III. de Alimentorum facultatibus cap. XVI. *Porrò secundùm speciales differentias prædictorum generum, mollior quidem duriore est præstantior; rarus verò & laxus, denso admodum & compacto; iam verò glutinosus valdè, & is qui ad asperitatem vsque est friabilis sunt vitiosi; præstantior est, qui inter hos medius est, quod autem ad eam dignotionem quæ fit gustu pertinet, is omnium est præstantissimus, qui nullam vehementem qualitatem, sed dulcem habet supra alias parum eminentem, suauis autem insuaui, & mediocriter salitus, eo qui est permultum, & eo qui omnino salis expers est, longè præstat.*

Sed sæculi mores obtinuerunt illa præferre quæ orexim stimulant,

mulant,& palato grata sint,quàm quæ sanitati conducũt; ideò caseos vetustissimos laudant, quod sitim prouocent: quem in vsum,maximè à potoribus expetuntur, quòd si verò putredine diffluant, & vermiculis scateant, Gulones nostri tanquam Ambrosiam suspiciunt.

Mirum est à Plinio dictum, Barbaris ignotum fuisse casei vsum lib. XI. cap. XLI. *Mirum barbaras gentes quæ lacte viuunt, ignorare aut spernere,tot sæculis casei dotem:densantes id alioquin in acorem iucundum & pingue butyrum.* cùm tamen cap.42. referat, *Zoroastrem in desertis Caseo vixisse annis viginti, ita temperato vt vetustatem nõ sentiret.* Hippocrates etiam vetustissimus auctor, refert Schytas caseum ex equino lacte consueuisse parare,quẽ Hippacem vocant, cuius & Dioscorides meminit: illius beneficio,multis diebus in expeditionibus vitam producunt,neque omninò is ingratus fuisse videtur, Plinius lib.XXVIII. cap.IX. *Sextius eosdem effectus equino, quos bubulo tradit, hunc vocant Hippacem.*

Laudatissimi ex ouillo bubuloq; pecore; ex caprino,quamuis lac sit præstantius,ignobiliores casei; caussa est,quod in illis copia caseosæ butyrosæque partis maior, sed & melior; caprillo deest,qua de caussa caprillus facilè exarescit euanidusq; fit caseus,nec vsus eius nisi recentis admodum probatur.

Nostro æuo maximè nobilitantur ex Italia Placentini,quos in immensam magnitudinem instar rotarum parant, quibus nihil cedunt Marzolini in Hetruria, in Cistagana etiam prouincia Lusitaniæ, optimi casei parantur, qui suauitate saporis cum Italis contendunt.sed Batauia,infinita copia omnes gentes superat,paucis bonitate cedit. singulis verò populis,peculiares casei, & sua laus,sed alijs hoc expendere permitto.

Certum est,Caseum moderatè sumptum, stomachum languentem excitare, & concoctionem ciborum aliquantulum promouere, præsertim in corporibus pituitosis, quod tamen de vetustiori caseo potius est intelligendum; nam recentior

corpus

corpus magis alit & vires auget, vnde priſcis temporibus, ſoliti erant Athletæ caſeo ex calathis victitare, vt auctor eſt Pauſanias lib. VI. donec Dromeus è Stymphalo oriundus, illos ad carnium eſum traduxit, tanquam ad alimentum quod vires magis augeret.

CAPVT XVIII.

Butyri nomen Ariſtoteli ignotum. πικέριον. ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος. *Burgundiones capillos Butyro lauabant. Plinius obiter emaculatus.*

EX pinguiſſima lactis parte Butyrum paratur, quod quia plurimum ex Bubulo pecore fit, nomen inde traxit, vt auctor eſt Galenus lib. x. de ſimpl. Medicamentorum facultat. capit. x. quo loco admiratur Dioſcoridem, qui ex Caprillo & Ouillo lacte confici illud referat, nulla Bubuli mentione facta, cum ex illo tamen copioſiſſimum paretur. fit quidem ex ouillo, quod & pinguiſſimum eſt, ſed paucum: è Caprino etiam ſed maiori impendio. Ariſtoteli nomen Butyri ignotum fuiſſe videtur, is enim lib. III. de Hiſtoria Animalium c. XX. *genus vnumquodque lactis habet tum ſaniem dilutam, quod ſerum vocamus, tum corpulentum quiddam, qui Caſeus dicitur. Plus Caſei lac illud habere videmus, quod craſſius eſt.* quo loco nullam de tertia lactis ſubſtantia, ſiue butyro mentionem facit. Sed circa eiuſdem capitis finem addit ὑπάρχει δ' ἐν τῷ γάλακτι λιπάροτης ἣ καὶ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιώδης. *Lacti ineſt pinguedo, quæ etiam concreto oleum propè trahit.* quibus verbis Butyri naturam exprimit, ſed nomē præterit. quod tamen mirandum cùm Hippocrates illo vetuſtior Butyri meminit lib. IV. de Morbis. *aſſimilatur hoc illi, quod Schytæ ex equino lacte parant, nam hoc vaſis ligneis inijcientes conquaſſant, quaſſatum ſpumeſcit, atque ſeparatur, & id quod ſupernatat, Butyrum, veluti leue quoddam.* idem verò lib. I. & II. de Morbis

Mulierum, alio nomine butyrum appellat πικέριον. ſic enim Galenus lib. exoletarum vocum Hippocratis. πικέριον, butyrum. Erotianus verò in Onomaſtico, refert Thoantem Ithacenſem ſcriptum reliquiſſe, πικέριον apud Phryges butyrum appellari. Hecatæus verò apud Athenæum lib. x. per Periphraſim vocat butyrum ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος, *oleum quod à lacte ſeparatur*. quod indicio eſt: Butyri nomen, vſumque diutius Græcis ignotum fuiſſe: donec id à vicinis barbaris, Thracibus, Pconibus & Schytis didicerunt. illi enim olei penuria, Butyri pinguedine vſi ſunt, non ſolùm in cibis ſed ad corporis vnctiones; quemadmodum enim primi Græcorum, quibus Saccharum innotuit, propter ſaporis ſimilitudinem Mel arundineum dixerunt, ſic butyrum qui nouere primi, oleum ex lacte nuncuparunt, vt Hecatæus fecit. vſus eius in re cibaria, Græcis pariter ac Romanis tardè innotuit, vnde Plinius lib. XXVIII. cap. IX. *è lacte fit Butyrum, barbararum gentium laudatiſsimus cibus, & qui diuites à plebe diſcernat*. Gal. etiam libris de Alimentorum facultatibus, nuſquam alimentoſæ facultatis, quæ in butyro eſt meminit, ſed bene medicamentoſæ: addit etiam homines in pleriſque frigidis regionibus, in quibus oleo carent, in balneis butyro vſos. Plinius lib. II. cap. XLI. addit & infantes in Italia butyro inungi. *Non omittendum, in eo olei vim eſſe, & barbaros omnes, infanteſq; noſtros ita vngi*. Gal. etiam lib. X. de ſimpl. medicamentorum facultatibus, peculiari capite omnes eius medicas dotes explicat, libro verò III. de alimentorum facultatibus, nihil de nutriendi eius vi adfert: cùm tamen Dioſcorides Galeno antiquior lib. II. cap. LXV. dicat μίγνυται δὲ καὶ προσφήμασιν, ἀντὶ ἐλαίου τὸ νεαρόν, καὶ ἐν τοῖς πέμμασιν ἀντὶ στέατος, *recens in obſonia pro oleo additur, & pro adipe in dulciaria*. quod noſtra ætate paſſim fieri videmus, vbi olei inopia laboratur, præſertim in Germania & Belgica noſtra, tum & in Galliæ pleriſque locis, quibus oleæ non naſcuntur. Sed & in Hiſpania & Italia, delicatiores butyrum dulciariis admiſcent. Sed Batavi & contermini omnes

nes Belgicæ populi, immenſam butyri copiam cogunt, quam liberaliori ſale condiunt, & in annuos menſarum & culinæ vſus adſeruant; inſtar enim optimi obſonij cum pane illis eſt, adeò vt peculiaris Belgarum cibatus cenſeatur.

Sidonius Apollinaris ſcribit Burgundiones, homines barbaros, voraces & immodicè proceros, comæ alendæ deditos, ſolitos fuiſſe illam acido butyro abluere. Epiſtola ad Catulinum.

Quod Burgundio cantat eſculentus,
Infundens acido comam Butyro.

Modicè & temperatè calidum eſt, & bene nutrit cum pane ſumtum: pectori & pulmonibus conducit, ſi quis eo frequentius vtatur, aluum lubricat, ſi verò in ventriculo ſupernatat, nauſeam facit, & appetentiam proſternit, in calidiori verò ſtomacho, in flauam bilem conuerti auctor eſt, Simeon Sethi. recenti butyro, & quod verno tempore potiſſimum conficitur, maximus honos: tunc enim pabuli lætitiam aureo colore, & ſapore iucundo refert; aliis temporibus non eſt par gratia: quantoque vetuſtius, palato minus probatur, ſed recenti calidius eſt, & maiorem vim diſcutiendi obtinet. Plinius lib. II. cap. LIV. *butyrum inter illa enumerat, quæ modico guſtu, famem ac ſitim ſedent, & vires conſeruent*, mirum eſt quod idem ſcribit lib. XXVIII. cap. IX. de butyro. *pluribus compoſitionibus miſcetur inueteratum, natura eius adſtringere, mollire, replere, purgare.* Monſtrum hoc eſt butyrum *adſtringere*, appage, nunquam hoc Plinio in mentem venit, ſubſtitue audacter, *abſtergere*; abſtergendi enim facultatem illi ineſſe aſſerunt omnes, adſtringendi verò nemo.

CAPVT XIX.

Canes ſero impinguantur. de ſeri temperamento controuerſia. frigidum eſt & humidum. bibendum in magna quantitate.

TErtia lactis pars ſupereſt quam ſerum vocamus, Græci ὀῤῥὸν, aliqui ὀρὸν. deriuatur à ῥοὸς, & per metatheſim ὀρὸς factum, vt ſit τȣ̃ γάλακτος ῥοῶδες, ſiue pars lactis maximè fluxilis; Ariſtoteles vocat ἰχῶρα ὑδατώδη, aquoſam ſaniem, ſiue ichorem. ablato enim butyro & caſeo, remanet aquoſa lactis pars, quæ licet exiguam nutriendi vim habeat, medicamentoſam tamen facultatem non modicam obtinet. canes ferunt ſero impinguari, vnde Virgilius III. Georgicon.

——— *acremq; Moloſſum*
Paſce ſero pingui.

Dioſcorides etiam tradit, ſerum ex caſeo canes maximè alere. Sed homines illo potiſſimum vtuntur, ad æſtum corporis refrigerandum, & ventrem ſubducendum, propter acrimoniā illi innatam. Sed cōtrouerſia eſt inter Medicos de ſeri qualitatibus, num ſcilicet calidum ſit & ſiccum, vel humidum & frigidum; turbas has videntur excitaſſe Arabes, quorum præcipuus Ioannes Meſues, lib. de ſimplicibus Medicamentis purgātibus, cap. IX. *Serum lactis calidum & ſiccum, gradu primo vſque ad ſecundum, lauat, tenuat nitroſa ſua ſubſtantia, obſtructa aperit, tergit, purgat clementer, & ſine morſu, bilem flauam & vſtos humores; ob hæc confert, Maniæ, & Melancholiæ.*

Auicenna etiam II. canonis, *Aquoſitatem lactis dicit eſſe calidam.* Galenus etiam libro III. de Alim. facultatibus. capit. XV. de oxygalacte, *lac acrimoniam & caliditatem à ſero habere ſcripſit.* Sed contrarium dixit lib. IV. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ca. XVI. his verbis τὸ δ᾽ ὀῤῥῶδες περίττωμα, ἐςὶ ψύχρον καὶ ὑγρόν.

ὑγρόν. *quod verò ſeroſum eſt excrementum, frigidum eſt & humidum.* quæ verborũ contrarietas mouit Petrum Aponẽſem, virũ doctiſſimum, quem vulgus Conciliatorem Differentiarum nominat, Differentia CXLVIII. vt diceret, non ſibi ignotum eſſe, Galenum cum aliis quibuſdam Medicis alibi dixiſſe, calidum & ſiccum eſſe ſerum, ſibi tamen ſtandum potius illi ſententię, quæ aſſerit frigidum & humidum eſſe; quaſi deſperaret contrarios hoſce locos conciliare. Verùm ſi quis exactè Galeni ſcripta euoluerit, facilè meo iudicio totam litem componet; ille enim lib. IV. de ſimplicium Medicamẽtorum facultatibus ca. XVI. expreſsè docet, lac potius ad frigidam quàm ad calidam qualitatem inclinare, *Cæterum lac etſi guſtu ſit dulce, tamẽ ex ſeſe nunquam amarum efficitur, vincitur enim in eo à frigore magis caliditas, quam ipſa vincat, proinde repoſitum etiam aceſcit.* & poſt pauca, *quare lac vniuerſum, à modicè caliditatis corpore longo interuallo relinquitur, quapropter ex ſe aceſcit potius quàm amareſcit.* Si itaque lac ad frigidius temperamentum magis inclinat, quomodo pars eius aquoſiſſima erit calida? Accedit, quod ſi ſerum eſſet calidum, ſequeretur neceſſariò, quod quò lac eſſet ſeroſius, eò etiam calidius eſſet; ſed hoc eſt præter omnium medicorum opinionem. Aſininum enim lac quod eſt ſeroſiſſimum, frigidius cæteris, ab omnibus habetur. qua de cauſſa etiam cõmuni Medicorum conſenſu, Hectica laborantibus exhibetur. frigidum itaque ſimpliciter ſerum eſt, quod tamen non ita dictum ſit, tanquam excluderetur caliditatis omnis portio; non enim ſibi contradicunt, aliquid eſſe frigidum, & habere caloris aliquam portionem; in Opio enim frigidiſſimo medicamento, caloris aliquid eſt, vnde & inſignis amaror. itaque ſerum totum frigidum eſt, habet tamen caliditatis aliquas particulas. vnde acrimonia illi conciliatur, ac attenuandi, detergendi, & ventrem ſubducendi vis oritur, quæ tamen partes, cum à ſeri reliquis frigidioribus & humidioribus obtunduntur, fit vt nullo modo calefacere poſſit: non enim à præ-

dominio calefacit, sed secundum partem , acrimoniam aliquam acquisiuit. Itaque Mesues auctoritatem non moror, qui etiam sibi non constat, laudat enim serum, in Mania , Melancholia, impetigine, pruritu , ictero, & febribus putridis; quod tamen non video ex arte præscribi , hisce malis à calore ortum ducentibus , si serum sit calidum & siccum. quando itaque Galenus lib. III. de Aliment. facultatibus scribit serum habere acrem qualitatem , audiendus est secundum minorem eius partem, quando autem frigidum & humidum dixit , à prædominante qualitate tale esse significauit.

Seri vsus maximus semper fuit ad aluum mouendam, quare vt hoc fælicius assequeretur, vt refert Galenus libro III. de Alim. facult. cap. XIV. tantum mellis iniiciebant veteres, quatenus stomacho non iniucundum redderetur , alij verò salem ea mensura iniiciebant, quoad gustum non offenderet. veteres etiam magna satis quantitate exhibebant. Dioscorides, *Bibitur autē serum ex interuallo, ab vna Hemina ad quinque, intermediis interuallis, bibentes id deambulent.* Capiebat autē Hemina siue Cotyla , vncias decem. itaque non est exhibendum serū in exigua ea copia, qua hodie passim exhibetur , sed Dioscoridis exemplo, liberalius dandum: copia enim sua venas penetrabit, & obstructiones inueteratas facilius tollet. quod in exigua quantitate exhibitum , non facilè assequemur, non secus, atque in aqua Spadana quotidie accidere videmus.

CAPVT XX.

Auium cura magni olim quæstus. Auiaria maxima. Turdorum fimo agri stercorati. ὀρνιθῶνες. familiis ex Auibus nomen inditum. Vitelli patina. Clodij Æsopi luxus. Non oportere vllam auem præter Ficedulam totam comesse.

DE Gressilibus hactenus: nunc ad aues trāseundum, Græci ὄρνιθας vocant, sed Galeni tempestate Gallinæ tantū hoc nomi-

nomine dicebantur. Veteres magno in pretio vniuersum Auium genus habuerunt, hinc enim Auspicia sua petebãt, hinc quæstum vberrimum patresfamiliȩ, & mensis delicias comparabant; eratque Villaticæ Pastionis non minima pars, nam vt inquit Columella, *non minimam colono stipem conferunt, cum & auium stercore macerrimis vineis, & omni surculo & aruo medeantur; & eisdem familiarem focum, mensamq́ pretiosis dapibus opulentant: postremo venditorum animalium pretio, villæ reditum augent*, quãobrem non est mirum, si maximis impensis ὀρνιθῶνας, siue auiaria in villis excitarent, quibus multa auium millia concludebant, quæ sæpius maiora tecta, quàm totæ villæ haberent.

Sed nusquam Villaticæ hoc pastionis genus, adeò curiosè, aut luxuriosè tractatum legimus, quàm apud Romanos. siquidem hinc nonnulli vberiores quæstus, quàm multi ex latifundiis percipiebant. auctor enim est M. Varro l. III. ca. II. *Atq; in hac villa qui est ornithon, ex eo vno quinque millia scio venisse Turdorum, Denariis ternis: vt sexaginta millia, ea pars reddiderit eo anno villæ, bis tantum, quam tuus fundus ducentorum Iugerũ Reate reddit.* Idem subdit L. Albutij Villã, in Albano reddere vicena millia, agrum minus dena millia. In caussa erat assidua luxuria, & frequentes Aditiales vel Triumphales cenæ, quæ Macelli annonã incendebant. cum itaque Auiaria ita laxa instructa haberent, non est mirandum, si Varro referat, Turdorum fimo agros stercorari. Plinius lib. XVII. c. IX. *M. Varro principatum dat Turdorum fimo ex Auiariis, quod etiam pabulo boum, suumque magnificat, neque alio cibo celerius pinguescere asseuerat: nostris moribus bene sperare est, si tanta apud maiores fuere Auiaria, vt his agri stercorarentur.* Sed antiquissimis temporibus, pascebantur tantum in Auiariis Gallinæ, & Columbæ, pretiosiores verò volucres nouerat nemo: nam Lege Fannia, ante tertium bellum Punicum, cautum erat, ne in cœnis quid volucrum poneretur, præter vnam Gallinam, quæ non esset altilis; sed crescente luxu, peregrinas rarasque in Auiariis concluserunt, obliterato etiam prisco nomi-

nomine, maluerunt Auiaria, Ornithones dici. Sed lubet doctissimum Rom. M. Varronem audire lib. III. de re Rustica ca. III. *Omnibus tribus his generibus sunt bini gradus; superiores quos frugalitas antiqua; inferiores quos luxuria posterior adiecit. Primus enim ille gradus antiquus maiorum nostrûm erat: in quo essent Auiaria duo dũtaxat, in plano cohors, in qua pascebantur Gallinæ, & earum fructus erant oua & pulli. alter sublimis, in quo erant columbæ in turribus, aut summa villa. Contra nunc Auiaria sunt nomine mutato, quod vocãtur Ornithones, quæ palatum suaue domini parant, vt tecta maiora habeant, quam tum habebant totas villas, in quibus stabulantur Turdi, ac Pauones.* tantùm autem studium auium curæ impedebant, vt plurimis familiis inde nomen inditum, hinc enim Merulæ, Pauones, Picæ, & Passeres dicti. & ne quis fidem mihi abroget, Varronẽ audiat lib. III. c. II. *Sedebat ad sinistram ei Cornelius Merula, consulari familia ortus, & Fircellius Pauo Reatinus, ad dextram Minutius Pica & M. Petronius Passer.* Cuius autem inuentum fuerit, aues liberas auiariis includere, docet Plinius lib. X. cap. L. *Auiaria primus instituit, inclusis omnium generum auibus, M. Lænius Strabo, Brundusij equestris ordinis. ex eo cæpimus, carcere animalia coërcere, quibus natura cælum assignauerat.* Quantus verò luxus Romanorum circa aues fuerit, vix possem exprimere; insana enim illorum pretia captum penè nostrum superant, nam L. Axium refert Varro, ante bellum ciuile Pompeianum, singulare par Columbarum denariis quadringentis venisse, quin & pullorum earum singula paria venundata ducenis nummis. M. Aufidium Luconem ferunt sexaginta millia nummum, ex Pauonibus in anno cepisse. Sed quid mirum, cum vnico epulo immensa volucrum copia ab helluonibus istis absumeretur; Vitellio enim Imperatori, à fratre aduenticia cœna data est, in qua septem millia auium apposita fuerunt, vt auctor est Suetonius. sed hanc superauit ipse Vitellius, dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem, Clypeũ Mineruæ dictitabat, in qua Phasianorum & Pauonũ cerebella, linguas Phe-

nicopterum, & variorum piſcium delicias commiſcuit. Sed priuati vnius, Clodij Æſopi maximè deteſtanda inſania. de qua Plinius lib. x. cap. LI. *Maximè tamen inſignis in hac memoria, Clodij Æſopi Tragici Hiſtrionis patina, ſexcentis ſeſtertijs taxata; in qua poſuit aues cantu aliquo aut humano ſermone vocales, nummis ſex ſingulas coëmptas: nulla alia inductus ſuauitate, niſi vt in his imitationem hominis manderet. ne quæſtus quidem ſuos reueritus opimos, & voce meritos. dignus profectò filio, à quo deuoratas diximus margaritas: non ſit tamen (vt verum fatear) facilè inter duos iudicium turpitudinis; niſi quod minus eſt, ſummas rerum naturæ opes, quam hominum linguas, cænaſſe.* Vnum addam inſigne luxus exemplum, nec priuati quidem alicuius, ſed helluonum omnium, ex A. Gellio lib. xv. cap. VIII. *Veteres negabant, vllam auem præter Ficedulam totam comeſſe oportere. cæterarum auium atque altilium, niſi tantum apponatur, vt à cluniculis inferiori parte ſaturi fiant, conuiuium putant inopia ſordere: ſuperiorem partem auium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere.*

CAPVT XXI.

Aues non ita firmum alimentum, ac quadrupedes præbent. differentia illarum ab ætate, anni tempore, loco & victu. cur poſt Sextilem menſem erat vetitum auſpicari.

QVod ex volucrum genere deſumitur alimentum, ſi ad quadrupedes conferatur exiguum omnino eſt, præſertim ſi cum Suilla comparetur, hac enim non inuenias quod copioſius alat; auium tamen caro ad concoquendum eſt facilior, & laudati ſucci, præſertim Gallinæ, Capi, Perdicis, Phaſiani, Columbæ; quarũdam tamen caro eſt durior, vt anſerum, Anatum, Cygnorum, & minutorum paſſerculorum, qui ſumma turrium ædiumque incolunt; itaque quæ facilioris ſunt concoctionis, ſanguinem tenuiorem generant, & ſpiritibus no-

ſtris materiam magis defæcatam ſubminiſtrant. quare congruentiſſimum alimentum præbent litterarum cupidis, valetudinarijs, & ſedentariam vitam degentibus: non ſecus ac quadrupedes, firmius nutrimentum illis exhibent, qui laboribus vitam ducunt exercitam: aliud enim alimentum requirunt corporis vires, alium vegetus animi vigor: illæ enim ſtabilem alimoniam, & quæ non facilè difflari poteſt; hic verò, quod ſpiritus claros tenueſque generat, potius requirit.

Sed non ſpernendæ differentiæ conſiderandæ ipſo ſunt in auium genere. quæ ab ętate, anni tempore, victu, loco, cœloq; deſumuntur. Veteres enim aues: effœtaſque, indomita ſua duritie, cocturam omnem ſpernere, in propatulo eſt: contra, recens excluſos pullos, ſi quis ederit, mucoſos, nimiſque excrementitios inueniet: media ætas melior eſt, immo ante mediam ætatem optimæ ſunt aues: cum enim natura ſua ſint ſicciores, nouellæ ętatis humiditate, natiuam ſiccitatem compenſabunt.

Tempore etiam, quo in venerem ruunt, macreſcunt, quin & cum ouis incubant, vel pullos excludunt ingratæ ſunt; tunc enim labore & ſolicitudine confectæ, vt illis alimentum quærant, minus ſibi proſpiciunt, parumque cibi capiunt, ideoque extenuantur, quare palato ingratæ ſunt. inter domeſticas exemplo ſunt Gallinæ, quas incubantes nemo elegantiorum velit attingere.

Quædam etiam ſunt, quæ Autumno magis placent, quod vuis, ficubus, arborumque baccis, tunc temporis veſcuntur. vt ſunt Ficedulæ, Fringillæ: aliæ æſtate, quæ cerealibus victitant, vt Perdices; quibuſdam frigora gratiam conciliant, vt Turdis, Merulis, Anſeribus feris, & Aquaticis penè omnibus. Plutarchus in Quæſtionib. Romanis quæſt. XXXVIII. refert aues Autumno, aut imbecillas eſſe, aut morbidas, aut pullos, aut imperfectas eſſe: quare vetitum erat poſt Sextilem menſem auſpicari. Sed auſpicibus hoc præceptum dederat Q. Metellus; non Medicis aut culinæ.

A vi-

A victu etiam non exiguum discrimen sumitur, aliæ enim carniuoræ sunt, quas nemo prudens mensis adhibuit: complures frugibus victitant, vt Gallinæ, Columbæ, Turtures, Perdices, & vescæ pleræque aues, quæ etiam bonitate alimenti, palmam inter cæteras obtinent; aliæ verò ex aquis victum quærunt, vt Anas, Cygnus, Anser, Querquedula, sed tales vel piscem, aut cænum & algam, ingrato odore referunt, & difficilioris sunt concoctionis.

Locus etiam differentiam non exiguam facit, quæ enim montanis locis educantur, campestribus longè præferuntur: purius enim cælum hauriunt, & alimentis validioribus vtuntur. Sic etiam considerandum, num aues in cauea, vel libero loco sint educatæ; quæ enim in caueis conclusæ saginantur, vel in vrbium domibus vagantur, vt Ganeonibus suauius sapiant, minus salutares sunt, quod excrementitijs humoribus abundent. quæ verò liberiore cœlo fruuntur, & per agros victum quærunt, succum magis probum generant, quod continuo motu, quidquid excrementi in corpore superat facilè dissipetur: atque vt summatim dicam in omni animantium genere, sagina illa, quæ carcere otioque conciliatur, vitæ est insidiosa, licèt palato nostro magis placeat.

CAPVT XXII.

Ορνίθες propriè Gallinæ dictæ. Gallinaceorum certamen. Lacte saginati. Capi optimè alunt. Galli ius multis morbis confert. Gallinarum ius non sistit aluum. Altiles olim cœnis interdictæ Castratæ etiam vt pinguiores essent.

SEd tempestiuum est auium præcipuas memorare, quæ cibatum nobis solent exhibere, à Gallinaceo autem genere exordiri æquum est, quod inde lautissimas saluberrimasque epulas quotidie petimus. Græci olim Αλεκτορίδας Gallinas,

poſtea ὀρνίθας & ὀρνίθια vocarunt, vt monent Galenus lib. III. de Aliment. facultatibus cap. XVIII. & Athenæus lib. IX. Gallos verò ἀλεκτρυόνας & ἀλεκτορίδας dixerunt. à Gallinaceis autem auſpicabimur, quod illorum magna olim nobilitas: primos è Perſide ad nos aduectos auctor eſt Athenæus lib. XIV. pugnaciſſimum animal, & gloriæ auidum, veluti ideo tela agnata cruribus ſuis intelligens; qua de cauſſa Græci plurimos ad bella tantum alebant, quibus & patrias nobilitarunt Rhodum, & Tanagram; his proximi erant Chalcidici & Medici, quos imperitum vulgus, Melicos mox appellauit; de quo Græcorum ſtudio Columella lib. VIII. cap. II. *omiſſo tamen illo ſtudio Græcorum, qui ferociſſimum quemque alitem, certaminibus & pugnæ præparabant: nos enim cenſemur inſtituere vectigal induſtrij Patrisfamilias, non rixoſarum auium laniſtæ, cuius plerumque totum patrimonium pignus aleæ, victor Gallinaceus Pyctes abſtulit.* Pergami autem, moris quondam fuiſſe, refert Plinius, omnibus annis ſpectaculum Gallorum publicè edere, ceu Gladiatorum: vnde autem mos iſte in Græciam venit. docet Ælianus lib. II. variarum Hiſtoriarum: Themiſtocles cùm exercitum aduerſus Xerxem educeret, offendit pertinaciſſimè pugnantes Gallinaceos; quo exemplo, ciuibus perſuaſit, vt pro patria fortiter pugnarent: victores mox Athenienſes, in rei memoriam, quotannis publicè in Theatro, depugnantes Gallinaceos induxerunt. hodierna etiam die ferunt in Britannia frequenter Gallos pugnantes, magnis præmijs committi. apud Romanos verò in ſummo erant honore, quod publica & priuata omnia, ex illorum extis fibriſque gererentur. veteres autem illos etiam ſaginabant lacte, vnde Galenus ſæpius commendat Gallorum teſtes, lacte altorum. Plinius lib. x. cap. L. *inuentumque eſt diuerticulum in fraude earum, Gallinaceos quoque paſcendi lacte madidis cibis: multo ita gratiores approbantur.* Sed quia ſalaciſſimum animal raro pingueſceret, poſteri caſtrare illud aggreſſi ſunt, libidinis abolendæ cauſſa, & ſemimares capos effecerunt, qui maximam glo-

riam

riam in mensis passim obtinuerunt. Martialis lib. XIII.

Ne nimis exhausto macresceret inguine Gallus,
Amisit testes, nunc mihi Gallus erit.

Petronius Arbiter in Satyrico Spadones vocat.

Gallina tibi Numidica, tibi Gallus Spado.

Martialis lib. III. epigr. Capones appellat,

Alius coactos non amare Capones,
Et dona matrum vimineo ferunt texto.

quia enim castrati sunt vsum Veneris nesciunt.

Castratione enim, caro illa fibrosa & dura, humida & tenera efficitur, adeo vt exuta calida & sicca temperie, acquirant temperamentum prorsus æquabile. alunt inter aues optimè, valenterque Capi, sanguinisque inde laudatissimi copia prouenit. non defuerunt tamen viri magni, qui Caporum esum podagricis præcipuè interdicant: inter quos est Ioannes Crato, vir consummatæ doctrinę, quod illos etiam podagricis affectibus obnoxios videamus esse: quasi verò, qui Caporum pedibus vescũtur, ideo podagra tentantur, vel si ijs vescimur, non immutarentur ventriculi iecorisque concoctione. Sed vrgebit quispiam, Coturnicum esu helleboro vescentium, musculorum tensionibus vescentes tentari, non ignotum est: Sed longè diuersa est ratio, in Coturnicibus enim, vis Hellebori carnibus impressa, conuulsiones excitat, non illarum caro: nam eadem ratione, promiscuè omnium Coturnicum esus hos morbos excitaret, quod prorsus à ratione alienum. non sunt itaque damnandi Capi, quia, aliquando Podagra capiuntur: siquidem morbi eius ratio consistit, in defluxione humorum & suscipientium partium imbecillitate, quæ carnis huius esu nequit in nostris corporibus excitari. Quod si tamẽ podagra aliqui ex Caporum esu correpti fuerint, id potius euenit, quod tales Capi in caueis saginati sint; quorum caro valdè humida & excrementitia est, quæ obstructiones in corpore auget, ideo à Galeno damnantur. omnes aues à cauponibus saginatæ.

Gallorum verò caro duriſſima, quæ vix pertinaci elixatione ſuperari poteſt; ſuccus verò ineſt vetuſtioribus præſertim, nitroſus & ſalſugineus, qui vim ſoluendi aluum inſignem obtinet. qua ratione multis medicamentis ius Galli veteris præſerēdum, quod ſimul intemperiem omnem tollat, & corpus alat: Serenus Sammonicus multis morbis conferre dicit.

Febribus aut longis, Galli noua iura vetuſti
Subueniunt, etiam tremulis medicantia membris.

Plinius verò lib. XXIX. cap. IV. *Aluum ſoluit validius è vetere Gallinaceo prodeſt, & contra longinquas febres, & torpentibus membris tremuliſque, & articularijs morbis, & capitis, doloribus, epiphoris, inflationibus, faſtidijs, incipienti tenaſmo, iocineri, renibus, veſicæ, contra cruditates, ſuſpiria.*

In Collyrijs etiam, Galli ſanguinem ipſe Æſculapius conſuluit vt videre apud Hieronymum Mercuriali lib. I. de Arte Gymnaſtica, qui tabellam profert quæ Romæ apud Maffæos ſeruatur. *Valerio Apro militi cæco, reſpondit Deus, veniret, & acciperet ſanguinem ex Gallo albo, admiſcens mel & collyrium conficeret, & tribus diebus oculos illineret: vidit & venit, & gratias egit publicè Deo.* Ideoque fortaſſis, veteres quidam Æſculapij manu inſidentem Gallum depinxere.

Gallinæ verò extra omnem controuerſiam ſaluberrimum nobis alimentum ſuppeditant; qua de cauſſa, videtur natura illis inſignem fœcunditatem dediſſe, quod ſciret hominum vitæ commodiſſimas. quomodo enim potuiſſet gulæ populationi reſiſtere, & accipitrum rapinis ſufficere, niſi inexhauſtæ eſſent fœcunditatis. illarum caro, ſi Simeoni Sethi credimus, facilis eſt concoctionis, boni ſucci, præſertim quæ ouum edere cæperunt: otioſis conferunt, & bonum colorem generant, genitale ſemen, & cerebri ſubſtantiam augent; & in primis earum cerebella. Harum ius ſimplex, aluum ſiſtere videtur à Galeno dictum, lib. II. de ſimpl. Med. facultatib. cap. XXXIV. *At Gallinarum ius ſimplex retinendi vim poßidet, vt Gallorum ſubducendi.* Sed

di. Sed monent viri docti, legendum esse in Græco codice ἐπικρατικῆς ἐστὶ δυνάμεως, attemperandi esse facultatis, & non ἐπικρατητικῆς retinendi. quod ex Dioscoride probatur, ex quo sua Galenus. ὁ δε ζωμὸς τοῦ νόσσακος, (siue vt alijs placet ἀλεκτόρειδος, μάλιστα δίδονται ἐπικράσεως χάριν, φαυλοτήτων, καὶ ἐπὶ τῶν στόμαχον πυρουμένων λιτῶς σκευάσεις. *Cæterùm ius pulli aut Gallinæ simpliciter paratum, maximè datur ad temperandos humores vitiatos, in ardentibus stomachis*; verissimum hoc esse quotidiana docet experientia, falsum enim est Gallinæ ius adstringere.

Sed vt palato gratiores essent Gallinæ, instituerunt veteres illas saginare, quam laudem Delo insulæ tribuunt: Plinius lib. x. cap. I. *Gallinas saginare Deliaci cæperunt, vnde pestis exorta, opimas aues & suopte corpore vnctas deuorandi.* Martialis non imperitus Ganeæ, modum saginandi ostendit lib. XIII.

Pascitur & dulci facilis Galina farina,
Pascitur & tenebris, ingeniosa gula est.

Sed non omnes ad saginam aptas fartores censent. Plinius. *Fœminæ quidem ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in ceruice pingui cute; postea culinarum artes, vt clunes spectentur, vt diuidantur in tergora, vt à pede vno dilatatæ, repositoria occupent*; priscorum certè cœnis interdictæ fuere altiles. Plinius. *hoc primum antiquis cœnarum interdictis, exceptum inuenio, iam lege C. Fanni Cos. vndecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter vnam Gallinam, quæ non esset altilis. quod deinde caput translatum per omnes leges ambulauit.* Castrari etiam Gallinas gulæ inuentum quoque est, vt seipsis suauiores fiant, ita enim celerius pinguescunt. mirum est quod Plinius de Gallinæ carnibus afferat lib. XXIX. cap. IV. *Non præteribo miraculum, quanquam ad Medicinam non pertinens, si auro liquescenti Gallinarum membra misceantur, consumunt id in se, ita hoc venenum auri est.*

Pulli etiam Gallinacci quos Simeon Sethus ὀρνιθοπούλα vocat, sanis ægrisque pariter prosunt, nec est alius cibus, qui inno-

innocentius exhiberi possit. Sanguinem generant, nec crassum nimis, aut tenuiorem quàm par est; maximè conducunt valetudinarijs, otiosis, & qui parum se laboribus exercent.

CAPVT XX.

Columbæ apud Syros Sacrosanctæ. Veneri sacræ. illarum immensa pretia. Columbæ sunt salubres contra Arabum opinionem. error illorum qui felle carere asserunt. Palumbes Veneri aduersatur. Turturum caro columbis durior.

GAllinaceo generi æquum est Columbaceum succedat, diximus enim, quod priscis temporibus, in Auiarijs Gallinæ tantum & Columbæ seruarentur. peregrinæ enim, vel pretiosæ volucres ignotæ erant. nostro etiam sæculo columbæ in villis passim educantur, quæ non contemnendos quæstus dominis referunt. Duo autem earum genera sunt, teste Varrone libro III. capite VII. *Vnum agreste, vt alij dicunt saxatile; quod habetur in turribus, ac colminibus villæ, à quo appellatæ Columbæ; quæ propter timorem naturalem summa loca in tectis occupant.* Apud Syros tanto erant in honore, vt Sacrosanctas crederent, nullusque eas læderet. vt refert Xenophon libro I. de expeditione Cyri, quo respexit etiam Tibullus,

Quid referam vt volitet, crebras intacta per vrbes,
Alba Palæstino sancta Columba Syro.

Vir doctus ad Martialem lib. VIII. epigr. XXXII. refert hoc ad columbas nuncias, & litterarum fidas administras, quales in Mutinensi obsidione, alijsque obsessis vrbibus fuerunt. Patres etiã familias Romæ, qui in Theatrum aut Circum ibant, illas secum sinu ferebant, easque emittebant cum litteris, nun-

cias

cias domum, quid vellent. Varro de re Rustica lib.III.ca.VII. *Columbas redire solere ad locum licet animaduertere, quod multi in Theatro sinu missas faciunt, atque ad locum redeunt, quæ nisi reuerterentur, non emitterentur.* Sed Poëtam de his non loqui, manifestum faciunt verba eius.

——— Crebras intacta per vrbes,
Alba Palestino Sancta Columba Syro.

Erat autem intacta, quia religiosum Syris esset illis vesci. Sancta autem Columba dicitur, quoniam sibi persuaserant Semiramidem Dercetus filiam à Columbis educatam, aut quod in Columbam mutata fuisset: de Derceto & Semiramide Ouidius lib.Metamorph.II.

——— de te Babylonia narrat
Derceti, quam versa squamis volantibus artus
Stagna Palestini credant coluisse figura;
An magis vt sumtis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos.

Præter Syros autem, Veneris etiam sacerdotes à Columbis abstinebant. Martialis lib.XIII.Epigr.LXVI.

Ne violes teneras præduro dente Columbas,
Tradita si Cnidiæ sint tibi sacra Deæ.

Nam prætерquam quod Derceto Venus esse dicitur, Poëtæ etiam Veneris currum à Columbis trahi fingunt. In pretio olim apud Romanos fuere. Plinius lib. X. cap. XXXVII. *Harum (columbarum) amore insaniunt multi, super tecta ædificant turres iis; nobilitatemque singularum & originem narrant, vetere iam exemplo. L. Axius Romanus, ante bellum Ciuile Pompeianum, Denariis quadringentis singula paria venditauit, vt M. Varro tradit.* Sed lubet illum audire lib.III.cap. VII. *Paria singula (columbarum) vulgo veneunt, Ducenis nummis, nec non eximia, singulis millibus nummum, quæ cum nuper mercator tanti emere vellet à L. Axio equite Romano, minoris quadringentis Denariis daturum negauit.* sunt Floreni octoginta, seu vt alij exactius supputant Floreni centum.

postea verò immane illarum pretium auctum. Columella lib. VIII. cap. VIII. *Pretiis eorum (Columborum) domini complent arcam, sicut eximius auctor M. Varro nobis affirmat; qui prodidit etiam illis seuerioribus suis temporibus, paria singula, millibus singulis sestertiorum solita venire. Nam nostri pudet seculi, si credere volumus, inueniri qui quaternis millibus nummum binas aues mercantur*: sunt ducenti quinquaginta Floreni.

Galenus Columbarum carnem, Gallinis & Perdicibus proximam vbique statuit, lib. III. de Alim. facult. ca. XVIII. *Volucrũ tamen caro ad concoquendam est facilior, præcipuè Perdicis, Attagenæ, Columbæ, Galli Gallinacei, & Gallinæ*, lib. etiã de attenuante victus ratione c. VII. *Si quis verò non exercetur, mandendæ ei erunt modicè, non modò Gallinæ, sed Columbæ etiam, ac Turtures*: quare non possum non mirari quid Arabum sectatores mouerit, quod Columbas penè ex salubri victus ratione expungant; quibus etiã fauet Simeon Sethi, *Columborum pullorum caro, seu περιστεροπόλων σὰρξ calida est, & humida, & excrementitia. Et præcipuè domesticorum: sanguinem calidum & crassum præter modum gignit, atque ideò nonnunquam febres parit; & frigiditate dolentes renes iuuat: seminique genitali & sanguini adiicit, caput verò & oculos lædit: ferunt etiam, si nimium vsurpetur Lepram gignere.* Sed non capio quomodo Columbarum caro frequenti esu Lepram excitabit: Lepra enim non generatur nisi à sanguine Melancholico & valde adusto, qualem Columbas non gignere certum est, præsertim in temperatis regionibus. Aretæus certè Medicus grauissimus, *in Elephantiasis curatione, columbas & Palumbes admittit*, quod non faceret, si quocumque modo Melancholiam vel atram bilem augerent. Sed in eo aberrant, non secus ac in illo plerique, qui Columbas felle carere putant, inter quos Isidorus lib. XII. cap. VII. quod nullum eius receptaculum iecori coniungi videant, quod tamen omnino falsum est. Aristoteles enim lib. II. Hist. animalium cap. XV. id refellit, *Aues & pisces omnes fel habent, aliquibus id ventri iungitur, aliquibus intestino, vt Columbæ, Coruo,*

Coturnici,

Coturnici, Hirundini, Passeri: Galenus etiam libro de Atra bile cap. IX. ridet eos, *qui aiunt Columbas felle carere, quia vesicam fellis, iecori non secus ac pleraque animantia, adnexam non habeant.* Sed mitto hæc, opportunius alibi dicenda. Itaque spreta Arabum sententia, Græcorum sequenda, & pullos Columbinos, sanis ægrisque iuxta salutares esse dicam; nam parentes rarò mensas subeunt, nisi hyberno tempore, quando plerasque carnes frigoribus tenerescere omnes existimant; multi necdum pluma tectos mandere solent; verùm nec nimium nouelli probandi, excrementitio enim humore illa ætas abundat: optimi censentur media ætate, cùm iam volare incipiunt, nec primam omnino lanuginem abiecerint. præferuntur maximè, qui turres & domorum culmina incolunt, quod frequentiori volatu, quidquid excrementitij humoris inest, prorsus discutiatur. Veneris vsum accendere plerisque persuasum video, quod Veneri aues has vetustas dicatas dixerit, vt auctor est Plutarchus lib. de Iside & Osiride.

Verno tempore, atque æstatis initio, pulli iuniores in frequenti sunt vsu, cum refrigerantibus herbis elixi, plures assos laudant; domestici insalubriores agrestibus.

Paralyticis & torpidis partibus, trementibusque conferre Columbarum esum, auctor est Rabbi Moyses in Aphorismis, Conuulsis etiam & Spasticis. Q. Serenus Sammonicus prodesse docet.

Sin autem subito replicantur corpora morbo,
Contractos reuocat neruos caro sumpta Columbæ.

Maxima in Columbarum genere Palumbes est, φάσσα Græcis dicta, Galenus bonitate infra Columbas ponit, libro de attenuanti victus ratione cap. VII. porro Palumbes, præterquam quod carnem habet Columbis, Perdicibus & Turturibus duriorem, difficilem etiam ad coquendum & excrementitiam habent. horum esu Veneris impetus hebetari ferunt, quod & Martialis asseruit.

Inguina torquati tardant hebetantque Palumbes,
Non edit hanc volucrem qui cupit esse salax.

Seruius ad primam Virgilij Eclogam, dicit Palumbes Tetas vocari. *Palumbes, Columbæ quas vulgus Tetas vocat, & non dicuntur Latinè, sed multorum auctoritas Latinum facit.* non dissimile est quod Isidorus Originum lib. XII. *Palumbes, eo quod sint fartæ à pabulo, quas vulgus Titos vocant.* itaque vel Seruius ex Isidoro, vel Isidorus ex Seruio corrigendus. quid autem vox illa Teta sibi vult, & cur Palumbi indita, nequeo ariolari; nisi forsan fictitia vox, à murmure quod edunt, illi sit indita. An verò illæ sunt Titiæ aues de quibus Varro lib. IV. de caussis linguæ Latinæ. *Titij dicti, ab Titiis auibus, quas in auguriis certis obseruare solent.* nihil ausim asserere, lector inquirat.

Etsi Turtur inter syluestres aues annumeranda, quàm inter domesticas, tamen quia Aristoteles inter Columbarum genera, τρύγονα seu Turturem recenset, pergam etiam hoc loco de illo dicere. æstate tantùm videtur, sub hyemem discedit aut saltem conditur; educabantur olim in Auiariis, vt hodie etiam apud plerosque videmus, destinantur enim à captura statim saginæ, idque maximè æstate. in pretio olim fuisse testatur Martialis.

Dum pinguis mihi Turtur erit, Lactuca valebis,
Et Cochleas tibi habe, perdere nolo famem.

Et Iuuenalis Satyra VI.

—— Carituras Turture magno,
Mullorumque iubis.

Tanquam de delicato ac pretioso cibo loquitur, quod etiam Plautus confirmat in Mostellaria.

Non possunt omnes tam facetis quàm tu viuis victibus,
Tu tibi istos habes, Turtures, Pisces, Aues.

Tuturrum carnes, Columbis duriores esse Galenus docet libr. de attenuanti victus ratione cap. VII. *Turtur temperamento est sicciore, & potissimum quæ in montibus degit, recens tamen non est man-*

mandenda, vt neque Perdix: nec alia omnia quæ carnem habent moderatè ſiccam, ſed vbi vnum diem ad minus ſuſpenderis, ita demum mandes licet.

CAPVT XXIV.

In Samo primum Pauones educati. Iunoni conſecrati, ex Pauonibus ingens quæſtus. Carne ſunt dura. non putreſcere illos Diuus Auguſtinus refert.

PAuoni inter volucres formæ palmam non ſolùm natura dedit, ſed & intellectum eius, gloriamque: laudatus enim gemmantes pennas explicat, aduerſo maximè ſole, quia ſic præcipuè radiant, vt graphicè Ouidius.

Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & forma multa ſuperbit auis.

Petronius Arbiter, huius volucris verſiculorem pulchritudinem, paucis verbis eleganter exprimit.

Tuo palato clauſus Pauo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.

Hanc alitem cùm apud Indos Alexander Magnus primum vidiſſet, admiratione commotus, graui pœna vetuit, ne quis Pauonem occideret, vt refert Ælianus lib. XIII. de natura animalium; ex Barbaris ad Græcos venere, in Samo autem primi fuerunt editi, atque educati, hinc in alias Europæ regiones deducti; qua de cauſſa Samios monetam ſignaſſe Pauone, auctor eſt Athenæus, vt in Græcia mea nuper docui. Iunoni autem ſacrauit vetuſtas opulentiæ Deæ, aureum hoc alitum genus, vnde in antiquis numiſmatis Iunonis ſignum eſt Pauo, cum Lancea & Patera.

Primus Q. Hortenſius, Pauonem Augurali Aditiali cœna poſuiſſe, auctor eſt Varro, quod protinus factum, tam luxurioſi, quam ſeueri boni viri laudabant; quem citò ſequuti multi, ex-

ti, extulerunt eorum pretia, ita vt oua denariis veneant quinis, ipsi facile quinquagenis. Macrobius ad ingens hoc pretium exclamat lib. III. Satur. cap. XIII. *Ecce res non admiranda solum, sed pudenda, vt oua Pauonum quinis Denariis veneant, quæ hodie non dicam vilius, sed omnino nec veneunt.* Sed tunc temporis tanta gulæ erat insania, vt refert idem Varro, *M. Aufidium Lurconem, supra sexagena millia nummum, in anno ex Pauonum grege cepisse*, hoc est mille & quingentos aureos coronatos, vt Aldus Manutius supputat: nam qui ad Millionem refert, nimis extra oleas abit. nec nimis hoc mirandum in illo sæculi luxu; primus etiam ille, saginam eorum instituit, circa Pyraticum bellum nouissimum. Sed non caret admiratione, placuisse adeò Romanæ luxuriæ hanc auem, cum eius caro dura & fibrosa sit: quare scitissimè ab Horatio dictum.

Vix tamen eripiam posito Pauone, velis quin
Hoc potius, quàm Gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro
Rara auis, & pictæ pandit spectacula caudæ.
Tanquam ad rem attineat quicquam, num vesceris illa
Quam laudas pluma? cocto num adest honor idem?

Galenus etiam III. de Alim. facultatibus, Gallinis duriorem esse Pauonis carnem, fibrosam & ad coquendum difficilem. vnde Iuuenalis Satyra. I. queritur, ex similibus epulis repentinas mortes induci, quod non cõcoquantur in stomacho.

Pœna tamen præsens; cum tu deponis amictum.
Turgidus, & crudum Pauonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, & intestata senectus.

Itaque natura quidẽ iis pennarum pulchritudinem tribuit, carnis bonitatem negauit. Simeon Sethi, difficilis concoctionis, & mali etiam succi esse asserit, ius tamen illorum peculiari proprietate Pleuriticos sanare, præsertim si pingue sit. quare prudentiores æstate triduo ante iugulari iubent, vt tenerior Pauonum caro euadat, hyeme verò quatriduum, aut eo

amplius,

amplius, simulque pendentium pedibus, lapidum onus appendunt; eo pondere duritiem carnis tenerescere; rarò nostra tempestate mensas subeunt, nisi solennibus epulis, idque magis ad oculorum pompam, quàm ad placandum famem, rarò assi vel elixi, (nisi fortè pullis quis vescatur) plerumque aromatibus conditi, artocreis includuntur, quod ita teneriores euadant, & aromatum beneficio, fibrosa illa caro tenerior reddatur.

Mirum est quod D. Augustinus l. XXII. de ciuitate Dei, refert carnem Pauonum non putrescere; *Quis, nisi Creator omnium Deus, dedit Pauonis carni non putrescere*, Isidorus lib. XII. Originum. *Pauo nomen de sono vocis habet, cuius caro tam dura est, vt putredinem vix sentiat, nec facilè coquatur*, quod etiam fidissimo experimento confirmatum fuisse, refert Iason Pratensis, libro de sanitate tuenda, *nam caro eius cocta visa est per annum, citra putrefactionem, vel fœtorem vllum durasse incorruptam.*

Sed non satis fuit antiquis, auem hanc cæteris omnibus in conuiuiis præposuisse, in cælum etiam euexit: nam vt Imperatorum animas, Aquilæ ministerio in cælum sublatas, noua Apotheosi finxerunt, ita etiam Imperatrices, Pauonis beneficio cælum petere asseruerunt. vt enim Aquila Ioui, ita Pauo Iunoni sacrata, qui inter Deos primum locum obtinebant; itaque in Faustinæ & Paulinæ nummis, Pauo habetur, qui Augustam in Cælum vehit, cum inscriptione CONSECRATIO.

CAPVT XXV.

Gallinæ Numidicæ guttatæ. Meleagrides, ab illis diuersæ. Varro explicatus. Meleagrides etiam Africanæ sunt. Illarum descriptio ex Clyto Milesio. Gallina Indica, Calecutensis diuersa à Scolopace, & Rusticula. Gallina Rustica.

INter peregrinas volucres, annumerandæ sunt etiam Gallinæ Numidicę vel Africanę, Gallis, *Poulles de Guine*, dicũtur,

qua-

quarum olim Romæ magna gratia, hodierna die rarò inueniuntur. Varrone teste, erant grandes variæ & gibberæ; Gallinas corpore vix excedunt, se longiora illis crura, plumis variis, quasi guttis distinguuntur, quod Martialis breuiter & eleganter expressit.

Et picta Perdix, Numidicæq; guttatæ.

Sunt enim pennæ eius nigræ, albis guttis conspersæ, tanta elegantia vt spectatores ad se rapiat. inter lautos cibos, nescio an ob nouitatem, vel saporis gratiam referebantur, vnde Plinius sui æui gulam reprehendens, quod obuiis & præsentibus contenti non essent, aues vltra Phrasidem amnem, & è Numidia petere dicit, hinc Martialis sub lemmate Numidicæ.

Ansere Romano quamuis satur Hannibal esset
Ipse suas nunquam barbarus edit aues.

Multi easdem, Meleagrides vocari credunt, quod ex Varrone colligunt. *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ, quas μελεαγρίδας appellant Græci, hæ nouissimæ in triclinium ganearium introierunt è culina, propter fastidium hominum, væneunt propter penuriam magno.* Columella tamen manifesto, Meleagridas à Gallinis Aphricanis distinguit. libro VIII. cap. II. *Aphricana est quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam, & cristam in capite gerit, quæ vtraque sunt in Meleagride cærulea.* Viri docti mendum esse in Varronis verbis credunt, atque interpunctione sola legitimum sensum eruunt. *Gallinæ Africanæ, sunt grandes, variæ, gibberæ: quas Meleagrides appellant Græci, hæ nouissimæ, &c.* Sed Plinius commodissimè videtur mihi totam litem componere; is enim statuit Meleagrides genus esse Africanarum Gallinarum, quæ nihil commune habent cũ Numidicis, nam quo loco agit de Meleagridibus, ne verbum de Numidicis. ita enim ille lib. X. cap. XXVI. *Simili modo pugnant Meleagrides in Bæotia. Africæ hoc est Gallinarum genus gibberum, variis sparsum plumis; quæ nouissimæ sunt peregrinarum auiũ, in mensas receptæ, propter ingratum virus.* Itaque non agit Varro citato,

citato loco, de Gallinis Numidicis, non enim ſunt grandes & gibberæ, ſed ſolùm de Africanis, quas Meleagrides Græci vocant, vt diſertè monet Plinius. Numidicæ etiam non ſunt grãdes, vix enim maiores ſunt vulgaribus Gallinis, ſed Meleagrides grandes ſunt, & gibberæ, ſed lubet Clyti Mileſij, Ariſtotelis diſcipuli, verba adducere ex Athenæi libro XIV. quibus Meleagrides graphicè depingit. *Circa delubrum in Inſula Lero, ſunt aues quæ Meleagrides vocantur, locus paluſtris eſt, in quo nutriuntur. animal illud non ita prolem amat, & iuniores pullos adeo negligit, vt Sacerdotibus illos curare neceſſe ſit. auis magnitudo vt Gallinæ generoſæ: caput pro magnitudine corporis paruum & glabrum, in quo criſta carnea, dura, rotunda, quæ claui modo extuberat, colore ligneo; ad malas iacet inſtar barbæ longa caro, incipiens ex ore; rubentior quàm in Gallinis: at eam, quæ roſtro Gallinaceo inſidet, & quam barbam nonnulli vocant, minimè habet; tanquam ea parte ſit mutila, roſtrum acutius & grandius quàm gallinæ; ceruix nigra, craſſior & breuior quàm Gallinæ; corpus totum varium, nigreſcit enim totum, crebris maculis albis notatum ac compunctum, lenticula maioribus, quæ rhomborum figura, paruis nigriſque circulis ambiuntur, & pennarum illarum varietatem efficiunt, quia niger color aſpergitur candido, & viciſsim candidus nigro; alarum pennæ linearum ductibus candidis ſerratiſque diſtinguuntur, in ſpiras protractas, interuallo pari diremptis, nullum calcar in cruribus, quæ Gallinaceo ſimilia ſunt,*

Clyti hæc verba ambiguum me reddunt, quædam enim ſunt quæ Gallinæ Numidicæ conueniunt. caput enim glabrũ habẽt, in quo criſta carnea, dura, rotunda, colore ligneo, & claui modo extuberat; cùm contra Meleagrides, ſiue vt hodie vocamus Gallopaui, vel Gallinæ Indicæ, habent caput rugoſa quadam carne & membranoſa tectum: quæ nullo modo ξυλοειδές lignei coloris eſt, ſed rubri, niſi cùm ſubitanea ira tentatur, in quam valde prona auis: tunc enim repentino purpuræ diſceſſu liueſcit pars, mox cærulea momento fit. pennarum etiam color omnino Numidicis Gallinis conuenit, nigreſcit

 enim

enim totum corpus, crebris maculis albis compunctum, lenticula maioribus, quæ Rhomborum figura, paruis nigrisque circulis ambiuntur. Gallipaui verò longè diuersas pennas habent, ita tamen vt albus color nigro permixtus sit. in contraria tamen opinione sunt viri Doctissimi, Petrus Bellonius libris de Auium Historia, Iulius Scaliger, Casaubonus, Conrardus Gesnerus, Guillelmus Turnerus & Vlysses Aldodrandus; non desunt etiam qui asserant Gallopauum, diuersam non modò à Meleagride esse, sed veteribus ignotam auem: quæ detecta nuper Lusitanorum classibus India, in Europam aduecta fuit, hinc aliquibus Gallina Indica, vel Calecutensis dicta. Sed mihi sufficit dubitationis caussas tetigisse, Lectoris iudicio cætera permitto.

Ex Ætolia primum venisse Meleagrides, scriptores tradunt, & Meleagri tumulo, nomineq; nobilitatas; ferunt enim Meleagri sorores in aues illas conuersas. hinc Plinius, *Meleagri tumulus, nobiles illas fecit*.

Facultas alimenti eadem pæne ac Pauonum, carne tamen non ita fibrosa sunt: quod si verò altiles Meleagrides, vel Gallopaui fuerint, gratiores multò quàm Pauones euadunt; illarum verò pulli, delicatorum cibus esse solet: egregiè alunt, & bonum succum corpori suppeditant, pinguescunt enim egregiè, & tenerrimi euadunt.

His annumeranda Gallina Rustica, quæ Petro Bellonio, *Gellinotte du Boys* dicitur. Varroni, Africanis facie non valde est dissimilis; lib. III. de re Rustica cap. IX. *Gallinæ Rusticæ sunt in vrbe raræ, nec fere mansuetæ sine cauea videntur Romæ; similes facie non his villaticis Gallinis nostris, sed Africanis, aspectu ac facie incontaminata. in ornatibus publicis solent poni, cum Psittacis ac Merulis albis, item aliis id genus rebus inusitatis*. Sed legendum est, secundum Iosephum Scaligerum, notis ad Varronem. *Similes facie non his villaticis Gallinis nostris, sed Africanis, in conto Miniato in ornatibus publicis solent poni*. quæcumque enim à Magistratibus

tibus populo vt rara exhibebantur, ea miniari solita esse, veterum probant monumenta. Columella verò lib. VIII. cap. II. refert Gallinã Rusticam esse similem villaticis, & non Africanis: *Rustica, quæ non dissimilis villaticæ, per aucupem decipitur: eaque plurima est in Insula, quam nautæ in Ligustico mari sitam, producto nomine alitis, Gallinariam vocitauerunt.* Gerardus Vossius V. doctissimus l. III. de origine ac progressu Idololatriæ cap. XCI. asserit, Gallinam Rusticam eandem esse cum Scolopace Aristotelis, & Rusticula Martialis, sed parum exactè: nam Gallina Rustica secundum Columellam, parum à Villaticis Gallinis differt, & secundum Varronem Africanis facie similes; sed illarum nulli est rostrum oblongum, vt Scolopaci, vnde & *Becada* aut *Begassa* dicitur. & Martialis agit Epigr. LXXVI. lib. XIII. de Rustica Perdice & non de Gallina Rustica, quæ longè diuersæ sunt.

CAPVT XXVI.

Phasiani ex Colchide aduecti. Isidori hallucinatio. magno in pretio apud Ptolomæum. aquæ vapore cocti. Tetraones diuersi à Phasianis. triplex illis caro in pectore.

AB Argonautis, ferunt Phasianos ex Colchide in Græciam primum aduectos, & à nobilissimo regionis amne Phasi, nomen sumpsisse, ad cuius ostia, magnam illarum alitum frequentiam, cibi caussa conuenire, Græci prodiderunt. vnde Martialis.

Argo à primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Manilius lib. V. Astronomicon.

——— *Numidarum pascimur oris,*
Phasidios & damnis; arcessitur inde macellum
Vnde Aurata nouo conuecta est æquore pellis.

Hallucinatur verò Isidorus Originum lib.XII.qui Phasianos à Phaside Insula Græciæ,vnde primum transportati sunt dictos tradit; rara olim volucris, nunc frequentior: pennarum pulchritudine conspicua; peculiare illis quod geminas ex plumis auriculas subrigunt,submittuntque.auctor est Atheneus l.IX.à Ptolomæo Euergete, commentariorum libro secundo, & à Pamphylo Alexandrino,in libro de vocabulis & Glossis,Phasianum etiam Tatyram, vel Tatyrum nominari. idem etiam, refert lib.XIV. Ptolomæum Regem in Commentariis retulisse, numquam se Phasianũ gustasse, sed veluti pretiosum Thesaurum, domi repositũ aluisse.& quamuis nostro æuo passim in auiariis alantur Phasiani, tamen in pretio sunt,nec nisi magnatum,diuitumque mensas exornant. alendi facultate, Gallinaceo generi pares esse Phasianos Galenus attestatur, voluptate tamen & iucundo sapore longè superare: facilè concoquuntur, bonique succi sunt, ac bonum sanguinem generant. Solebant olim aquæ tantùm feruentis vapore, à culinæ magistris ob maiorem gulæ iucunditatem coqui, Diuus Hieronymus epist. LXXXIII. ad Oceanum *Non vt Phasidis aues, lentis vaporibus coquat,qui ad ossa perueniant, & superficiem carnis non dissoluunt, artifici temperamento.* Iulius Capitolinus refert, Pertinacem Imperatorem priuato conuiuio, Phasianum nunquam comedisse, aut alicui misisse. Lampridius verò auctor est,Alexandrum Seuerum, nunquam nisi diebus festis sibi apposuisse; adeò vt sobriis Principibus,deliciarum fastigium fuisse videatur Phasianus. Verba sunt Lampridij. *Kalendis autem Ianuariis, & Hilariis matris Deûm, & Ludis Apollinaribus, & Iouis epulo,& Saturnalibus, & huiusmodi festis,Phasianum apposuit: ita vt aliquando duo ponerentur.* Heliogabalus verò, portentum hominis, adeò profusus fuit, vt Leones aliasque feras Phasianis, aliisque pretiosis auibus pauerit. Galli duplex Phasianorum genus statuunt, Regium vnum quod præstantius est, de quo iam diximus, alterum quod Bruyant vocant: nobilitate inferius, quod

sylVas

ſyluas mōteſq; incolit. docet hoc Iulius Cæſar Scaliger in Ata.

Aſt alter, Vropygio curto
Seguſianis montibus frequens præda.
Transferre prudens pedibus oua deprehenſa:
Haud Phaſianus iure dicitur vulgo,
Quare Bruantis Francus addidit nomen,
Eſt Tetrao, ſed nominatus antiquis.

Veteres Tetraones dixerunt, atque à Phaſianis ſepararunt aliqui & Vrogallum vocāt. Italorum quibuſdam *Faſiano negro, vel Alpeſtre, vel Gallo alpeſtre.* Germanis *Berckhoen* dicitur, magnitudo alitis inſtar Gallinæ, ſed magis oblonga; plumæ in dorſo aliſq; nigricant, alarum tamen mediȩ partes candidiores ſunt, roſtrum nigrum, breue, ſupercilia tanquam cocco perfuſa rubent; quæ ſigna omnia Plinij Terraoni ad amuſſim quadrant lib. x. ca. XXI. *decet Tetraonas ſuus nitor, abſolutaq; nigrities, in ſuperciliis cocci rubor.* quidam etiam Erythrotaonas vocant, tanquam rubros Pauones. ſupercilij enim flammeus ille rubor, mirum in modum ſplēdet, nigredo verò non eſt qualis coruorum, ſed quæ alium colorem latere oſtendat, & mixtum quaſi ex cæruleo aut viridi eſſe. Nonnulli arbitrantur Tetraones eſſe Anſerini generis aues; ſed credo illos Tetracem cum Tetraone confundere: ego tamen cum Bellonio, credo Alpinum vel Sylueſtrem Phaſianum eſſe Tetraonem. Ptolomæus Rex apud Athenæum dicit, *in palatio Regio quod Alexandriæ erat, Phaſianos nutriri quos Tetraonas vocant, non ſolùm è Media petitos, ſed etiam ouis ſubiectis Gallinis cohortalibus, in tantum numerum excreuiſſe, vt quotidie Rex illis veſci poſſet*; quod certè mirum, nam cùm animal illud nō niſi locis frigidioribus viuat, qualis Media eſt, cȩlū verò æſtuoſum, quale eſt Ægypti aſpernetur, adeò vt planè Regij ſumptus & magnificētiæ fuerit, eas aues Alexandriȩ nutriri. Notant periti naturæ, triplicem carnē eſſe in huius volucris pectore, vbi triplices muſculi circa pectoris os coëunt, vnamquamq; verò proprium guſtum habere, primā ferunt bu-

bulæ ſimilem, quod cæteris durior ſit: ſecundam Perdici, tertiam Phaſiano. duplicem etiam colorem habere, prima enim candidior, ſecunda ſubfuſca eſt.

Alimentum præbet ſalubre, non multum à Phaſianis alienum: nam, cùm montes ſyluaſque incolat, & aſſiduo volatu corpus exerceat, nec pinguedine abundat, & excrementis caret.

CAPVT XXVII.

Perdix olim rara in Italia. duplex illarum genus. Ruſtica Perdix. Lagopus. Perdices vocales. illarum temperamentum.

GRæcis pariter & Latinis eodem nomine Perdix appellatur, inter ſaluberrimos atque lautiſſimos cibos recenſetur: florente Romanorum imperio, non videtur adeò in deliciis fuiſſe, ſicuti noſtro ſæculo; ſiquidem neque à Varrone, inter volucres annumeratur, qui quęſtus gratiâ Auiariis concluderentur: vel quia multis perſuaſum eſſet, illas neque manſueſcere, neque pingueſcere, quod falſum eſſe experientia docuit: vel quod illis temporibus non eſſent adeò frequentes, quod Martialis innuit,

Ponitur Auſoniis auis hæc rariſsima menſis,
Hanc in Lautorum mandere ſæpe ſoles.

Hodie copioſas non ſolùm habemus, ſed duplex illarum genus agnoſcimus. quædam enim maiores ſunt, quædam verò minores. Maiores Perdices, quas aliqui Græcas vocant, corpore ſunt maiore, roſtro Cinnabarini coloris, pedibuſque rubris, oculorum quoque marginibus rubent; quales in Græcia paſſim erant. Italia illas non videtur agnouiſſe, vnde Athenæus lib. IX. ex ſententia Meneclis, refert in Italia alterum genus Perdicum eſſe, pennarum fuſco colore, corporatura minus,

nus, roſtro cinnabaris colore minimè rubeſcente. Sed tales nunc paſſim in Italia, Gallia & Hiſpania viſuntur. maior hæc Perdix Italis *Cothurno*, minor verò *Starna* dicitur. Belgicæ minor tantùm familiaris, quam multi, Ruſticam Perdicem dictam volunt à Poëta Martiale, Lemmate, de Ruſticula.

Ruſtica ſum Perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt
Carior eſt Perdix, nec ſapit illa magis.

Scio nonnullos Gallinagini hos verſus adſcribere, ſed parum exactè, quantum iudicare poſſum: nihil enim cum Perdicibus commune habet, præter pennarum quandam ſimilitudinem, vt ſuo loco dicemus. Candidas etiam Perdices eſſe in Allobrogum Alpibus, quæ non multum ab albis columbis corpore diſcrepant, doctiſſimi Gallorum aſſerunt, vulgari Perdice aliquantulum minores, pedes habent plumis tectos, & villoſos, inſtar Leporum: qua de cauſſa Lagopus ab antiquis dictus, Plinius lib. X. cap. XLVIII. *peculiares Alpium Pyrrhocorax, luteo roſtro; & præcipuo ſapore Lagopus. pedes Leporino villo nomen ei hoc dedere, cætero candida Columbarum magnitudine, non extra terram eam veſci facile, quando nec viua manſueſcit, & corpus occiſæ ſtatim macreſcit.* Idem Plinius, *à coturnicibus magnitudine tantùm differt Lagopus, croceo tinctu, cibis gratiſſima.* Martialis eiuſdem meminit:

Si meus aurita gaudet Lagopede Flaccus.

An verò hęc auis ab Horatio lib. II. Satyr. VI. dicta ſit Lagois, dubitari poteſt.

Nec ſcarus, aut poterit peregrina iuuare Lagois.

Cettum eſt maximam in hoc alite differentiam pro terrarũ varietate inueniri, alibi enim alio colore, & ſapore viſuntur. Sed priuſquam ad alimenti facultatem venio, quæ ex Perdice ſumitur; non poſſum præterire viſas fuiſſe Perdices vocales, quæ cantu vel ſermone valerent, quod à Statio Papinio Syluarum II. de Pſittaco Melioris obſeruatum video.

——— *Plangat Phœbeius ales,*

Au-

Auditasq́ memor penitus demittere voces
Sturnus, & Aonio versæ certamine Picæ;
Quique refert iungens iterata vocabula Perdix.

Athenæus etiam lib. IX. refert apud Lacedęmonios & Phialasios vocales fuisse Perdices. verò Porphyrius. lib. III. de Abstinentia carnium, circa Carthaginem, oblatam sibi fuisse Perdicem, quæ ita mansueta temporis decursu euaserat, vt non solùm colludere, & adulari, sed etiam voces imitari & referre didicerat. Ælianus etiam lib. XIV. Historiæ animalium cap. XL. dicit apud Cyrrham, Perdices neque cantu valere, neque ad certamina aptas esse. ex cuius verbis, obseruo veteres consueuisse Perdices ad certamina & pugnas, non secus ac Gallos Gallinaceos alere, quod idem auctor diffusè cap. XXXVII. explicat. Alimentum autem præbet Perdicum caro salubre valde, ex quo neque tenuis admodum vel crassus sanguis, sed probus & mediocris generatur: caro neque dura neque concoctu difficilis, sed probum succum generat, si enim vno atque altero die seruatæ fuerint Perdices, teneræ & friabiles omnino erunt, & laudabile corpori nutrimentum suppeditant, vt auctor est Galenus, libro de Attenuanti victus ratione cap. VII. Simeon Sethi, Perdices refert otiosis & inexercitatis conferre & imbecillis, maximeq́ue quibus ventrilus humidior natura; aluum etiam fluentem sistunt, & sanguinem crassum extenuant; alæ verò maximè conueniunt, quæ ex omnibus partibus facilioris sunt digestionis. Auicenna verò capite de sputo sanguinis, dicit Perdicum carnem exiguũ sanguinis generare, non quod paucum sanguinem suppeditet, sed respectu tantùm gressilium, quæ copiosiorem generant. Quidam etiam Arabum, nunc frigidas & siccas illas, nunc calidas dicunt; quæ discordia facilè conciliari potest; siquidem nouellarum ac iuniorum, temperamentum calidum & humidum, senescentium verò frigidius & siccius est. Infantes verò pulli, Principibus in deliciis sunt, paulo etiam adultiores non sunt

ſunt in minori gratia. Aſſæ plerumque manduntur cum intinctu ex ſucco agreſte, pipere & pinguedine illa, quæ inter aſſandum effluit mixta; alij cum Citriorum ſucco & pipere.

CAPVT XXVIII.

Attagenes Ionici. in Ægyptum ex Lydia fuere deportati. Ægyptiacæ aues. Statius & Columella illuſtrati. diuerſus eſt à Gallina Ruſtica.

PErdicibus lubet auium delicatiſſimas Attagenas coniungere: Horatius maſculino genere, etiam Attagenem dixit, Græcis nunc Ἀττάγας nunc Ἀτταγὴν vocatur, inter ſuauiſſimos cibos habitum olim fuiſſe, argumento eſt verſus Ariſtophanis.

Ἀττάγας ἥδιστον ἐν ἐπινικίοις κρέας

Attagen iucundiſſima caro in triumphali cœna

Cui & Martialis videtur ſubſcribere:

Inter ſapores fertur alitum primus,
Ionicarum guſtus Attagenarum.

Præter Ionicas Attagenas, etiam Ægyptiacæ in pretio fuere: Clemens Alexandrinus lib. II. Pædagogici cap. I. illas inter lautiſſimos cibos enumerat. Ὄρνεις ἐπὶ τούτοις συνωνοῦνται ἀπὸ Φάσιδος: Ἀτταγὰς Αἰγυπτίας: Μῆδον Ταῶνα. *Coëmunt aues Phaſidos; Attagenas Ægyptias; Pauonem ex Media;* itaque in Ægypto neceſſe eſt fuiſſe copiam Attagenarum, non ſecus ac in Media Pauonum, & Phaſianorum circa Phaſim. Sed vnde Attagenes in Ægypto: cùm veteres ſcriptores tantùm Ionicarum mentionem fecerunt; ex Lydia, regione vicina Ioniæ deportatas fuiſſe in Ægyptum, auctor eſt Ælianus lib. XIV. Hiſtoriæ Animalium cap. XXVI. *Attagenes aues, ferunt ex Lydia in Ægyptum deportatas, & in Syluam demiſſas, primo Coturnicis vocē emiſiſſe.* Idem aſſerit Athenæus lib. IX. vt docet Iſacus Caſaubonus, lib. IX. Animaduer-

sionum in eundem auctorem cap. IX. siquidem in vulgatis exemplaribus deprauata lectio. huc respexit Statius lib. I. Syluarum de Sparsione Domitiani, Kal. Decembribus.

Inter quæ subito cadunt volatu,
Immensæ volucrum per astra nubes
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas vdo Numidæ legunt sub Austro.

Innuit enim Poëta Nilum, siue Ægyptum, dedisse suas aues Attagenas, non secus ac Phasis Phasianos, & Numidæ Gallinas Numidicas. Domitius Calderinus de auibus Memnonidibus intelligendum Poëtam suspicatur; quæ ad Memnonis tumulum solent depugnare: de quibus Plinius lib. x. cap. XXVI. *Auctores sunt, omnibus annis aduolare Ilium, ex Æthiopia aues, & confligere ad Memnonis tumulum; quas ob id Memnonidas vocãt, hoc idem quinto quoque anno facere in Æthiopia, circa Regiam Memnonis, exploratum sibi Cremutius ait.*

Sed nihil hæc ad Statij mentem, qui de Ægyptiacis auibus loquitur; Memnonidæ verò aues ex Æthiopia veniebant, & quotannis Ilium aduolabant; nunquam verò venisse dicunt in Ægyptum, quæ diuersa regio est ab Æthiopia, licet illi vicina.

Iunius etiam Columella lib. VIII. de re Rustica cap. VIII. inter delicatas volucres, recenset Ægyptias aues, vbi agit de magnis Columbarum pretijs, *quamquam vel hoc magis tolerabile putem, qui oblectamenta deliciarum, possidendi habendique caussa, graui ære & argento pensent; quam illos, qui Ponticum Phasim, & Schytica stagna Mæotidis eluant: iam nunc Gangeticas, & Ægyptias aues eructant.* Certum est aues fuisse raras & magni pretij, quas cum Phasianis & Pauonibus (ita enim dictas puto Gangeticas aues, nam ex India vbi Ganges fluit, venere Pauones) Columella componit, quales fuere Attagenes Ægyptiæ. Cl.mus V. Gerardus Vossius suspicatur, Scolopacem, siue Rusticulam eandem esse cum Attagene, atque sententiam suam confirmat veteri Glossario. *Gallina Rustica.* Ἀτταγήν. Sed iam monui,

Scolo-

Scolopacem, differre à Gallina Rustica; Attagenes etiam longè melioris ſucci, & teneriore carne ſunt præditæ, quàm Scolopaces; nec tanti apud me eſt Gloſſarij veteris auctoritas; vt à veterum ſcriptorum opinione recedam.

Peregrina enim erat volucris, atque ex Ionia in Græciam & Italiam aduecta. Alexander Myndius auctor eſt, paulo minorem eſſe Perdice, toto dorſo varijs coloribus diſtincto, colore fictilium magis ſubrufeſcente. Itali & Hiſpani, niſi fallor, *Francolinos* vocant, iam à Plinij ætate Galliæ & Hiſpaniæ erat incola, lib. x. cap. XLVIII. *Attagen maximè Ionius celebratur, vocalis aliàs, captus verò obmuteſcens; quondam extimatus inter raras aues, iam & in Gallia & Hiſpania capitur, & per Alpes etiam:* Galenus proximos Perdicibus alendi facultate Attagenas dicit, ſuccum enim optimum generant, & qui facilè in ventriculo concoqui poteſt. indicio fuerit carnis in primis candor, & teneritas inſignis, fibris præſertim nullis, vnde non immerito apud Athenæum, lib. XIV. Phœnicidis verſus celebratur,

——— κ᾽οὐδὲν ἦν τούτων ὅλως
Πρὸς τὴν Ἀτταγῆνα συμβαλλεῖν τῶν βρομάτων.
Eorum prorſus nihil cum Attagene conferendum eſt.

CAPVT XXIX.

Gallinago, Σκολώπαξ, Roſticula. eius accurata deſcriptio. Gallinago minor. Coturnices veratro veſcuntur. Menſis interdictæ, quod Comitialem morbum inducerent. Herculi Coturnix immolata; alebantur etiàm ad certamina.

PErdici & Attageni, pennarum colore Gallinago ſimilis; ſapore & alimenti præſtantia multum diſſidet, Ariſtoteli Σκολώπαξ, alijs Ἀσκαλώπαξ dicitur, Roſticula etiam à quibuſdã, à roſtri proceritate vocatur. Theodorus Gaza, Gallinaginem vertit, quia Ariſtoteles Gallinæ magnitudine, roſtro longo,

colore Attagenis esse dixerat. Italis *Beccalonga*, Gallis *Begassa*, vel *Becada*, à rostri longitudine nuncupatur; multi in controuersiam vocant, num Scolopax Aristotelis eadem sit cum *Begassa*, vel Belgarum *Sneppa*; quia illa circa hortorum sepes capitur, hæc autem potius circa syluas, & inter arbores. Sed Nemesianus Olympius Poëta, qui tempore Cari Imperatoris floruit, ita graphicè sub Scolopacis nomine Begassam descripsit, vt nullum dubitationi locum reliquerit, cuius amœnissimos versus lubet hîc apponere.

Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore,
Fultus equi niueis syluas pete protinus altas
Exuuijs: præda est facilis, & amœna Scolopax.
Corpore non Paphijs auibus maiore videbis.
Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor
Pascitur: exiguos sectans obsonia vermes,
At non illa oculis quibus est obtusior, etsi
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat,
Impresso in terram rostri mucrone: sequaces
Vermiculos trahit, & vili dat præmia gulæ.

Vere & æstate occultatur, sub finem verò Autumni totaque hyeme spectatur. Victitat tãtum vermibus & Lumbricis, minoribusque insectis. inter hyemales cibos non postremum locum apud lautiores obtinet; assatur enim non purgatis interaneis, editurque vnà cum fimo suauissimè, panis tostus supponitur, & imbutus illius excrementis, & defluente pinguedine comeditur, ita vt de Gallinagine iure optimo dici posset, quod Poëta de Scaro.

Hic Scarus, æquoreis qui venit obesus ab vndis,
Visceribus bonus est, cætera vile sapit.

Caro enim nigra duraque est, atque palustrium auium saporem quadantenus referens; ex quo inferre possumus, non esse boni succi, nec facilis concoctionis, adde & excrementosam necessariò esse, siquidem ex his est, quæ parum volant; corpore enim

enim ponderoſo eſt,quare excrementa exiguo motu,non bene diſcutiuntur.

Eſt etiam Gallinago minor,quæ ad Stagnorum Crepidines frequens viſitur, Vulgus Begaſſam ſeu Sneppam aquaticam dicit; copioſus eius prouentus apud Batauos; & Heroum quaſi obſonium exiſtimatur, nec ita duram carnem,ac maior Gallinago habet.

Coturnices Græci ὀρτύγας vocant,Perdicibus minores ſunt, ſed corpore graui, parum ad volandum idoneæ. Sed ſagina præcipuè præpingues euadunt.adeo vt ſæpe nimia pinguedine ſuffocentur. olim etiam in Ornithone, includebantur,non ſecus ac hodierna die. Varro. *quidam in Ornithone præter Turdos ac Merulas,alias quoque includunt,quæ pingues veneunt,vt Miliariæ, & Coturnices.* Romanorum tamen menſis poſtea fuerunt interdictæ,quod veratro veſcerentur.Lucretius.

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At Capris adipes,& Coturnicibus auget.

Et Ouidius ad venenum quo aluntur,ſpectans.

Ecce Coturnices inter ſua prandia viuunt,
Forſitan & fiunt inde frequenter anus.

Hinc enim multi conuulſionibus correpti fuerunt.obſeruauit hoc Galenus lib.VI.Epidemiorum comm.V. Text.XLV.*In Doride, Bæotia & Theſſalia, omnibuſque finitimis regionibus : multi ex Coturnicum eſu , muſculorum diſtenſionibus correpti ſunt. quoniam Veratro ſcilicet illæ veſcantur,iſtud idem Athenis quibuſdam accidiſſe nouimus, qui Coturnicibus largiter nimis ſeſe impleuerant.* Plinius verò addit, Comitiali illas morbo etiam corripi. lib.X.cap. XXIII.*Coturnicibus Veratri ſemen gratiſſimus cibus,quam ob cauſſam eas damnauere menſæ, ſimulque Comitialem propter morbum, deſpui ſuetum, quem ſolæ animalium ſentiunt præter hominem.* Sed experientia docet alia etiam animalia Epilepſia corripi,vt in canibus aliquando vidimus. Plutarchus etiam Capellas hoc morbo tentari dicit. damnantur itaque coturnices quia veratro ve-

 ſcuntur,

ſcuntur, aliàs natura ſua neque Comitialem morbum, neque conuulſiones inducunt; ſiquidem in Belgica noſtra frequens illarum vſus eſt, maximèque dubijs cœnis apponuntur, nunquam tamen hiſce affectibus quemquam correptum ſcimus. Si quis tamen immodicè illis veſceretur, nō dubito quin noxa inde inferretur: adipoſa enim pinguedine refertæ ſunt, à qua ventriculum grauari ſentiunt. qui liberalius ijs veſcuntur, carne enim ſunt duriore & fibroſa, quæ ſtomachum onerat, & cruditates parit, ſed pinguedine nimia occultantur hæc vitia. qua de cauſſa, obſeruauit Iulius Alexandrinus Medicus Doctiſſimus, nullo alio promptius quàm Coturnicum alimento, conualeſcentibus à morbo, recidiuas paratas eſſe. Arabes verò inter quos Rhaſis, & Iſaac in ſuis diætis, & Auicenna ſecundo canone, ſummopere Coturnices damnant: Petrus verò Aponenſis dicit, Coturnices omniū volatilium carnibus eſſe peiores. qua de cauſſa, ſuſpicantur quidam, Dominum Deum Iſraëlitico populo, carnium eſum impudenter penè expoſtulanti, Coturnicum agmina immiſiſſe, vt mala morte perirent, nimio eſu inſalubrium volucrum.

Herculem oblectatum adeo Coturnicum cibo, refert Eudoxus Cnidius, vt cum in Libya à Tryphone interfectus eſſet; Iolao comite Coturnicem ipſi admouente, eius nidore reuixiſſe; quare & Phœnices aſſueuerant illi coturnices immolare, vnde Senarius prouerbij vice Græcis celebratus.

ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆν τὸν καρτερόν.

Seruauit Herculem coturnix ſtrenuum.

In delicijs etiam erant quondam, vt pueri ſe his oblectarent; Plautus in Captiuis.

Nam vbi illo adueni, quaſi Patritijs pueris, aut Monedulæ,
Aut Anates, aut Coturnices dantur, qui cum luſitent,
Itidem hæc mihi aduenienti Vpupa, qui me delectet data eſt.

Alebantur etiam ad certamina & pugnas, non ſecus ac Galli

Gallinacei. refert Lucianus in Dialogo, qui Anacharsis, siue de Gymnasijs inscribitur, Coturnicum magno studio, non Gallorum modò, certamina spectari consueuisse. Herodianus etiam lib. III. refert Imperatoris Seueri filios, dissidere solitos puerili primum certamine, edendis Coturnicum pugnis, Gallinaceorumque conflictibus. Videndus & Iulius Pollux de Coturnicum ludo, ne nimis extra oleas.

CAPVT XXX.

Turdorum triplex genus. inter summas delicias. cur hodie Turdi non in tanto honore. Merulæ fuscæ & Candidæ. Alauda, Galerita, Cassita. Coli doloribus comesta prodest.

TVrdos Græci κίχλας vocant, triplex horum genus Aristoteles constituit, vnum magnitudine Picæ, Visciuorum ἰξόβορον, eò quòd visci semine vescatur, vnde viscum postea paratur, inde prouerbium, *Turdos sibi malum cacare*, quoniam Viscum non prouenit, nisi maturatum in ventre & redditum per auium aluum, maximè Turdorum, quo postea ab aucupe capiuntur; Isidorus hoc genus, Turdelam vocat. *Turdela quasi minor Turdus, cuius stercore viscum generari putatur.* Alterum genus τρίχας, seu Pilare, vt Gaza vertit, parum exactè, magnitudine Merulam æquat. Tertium ἰλιάδα, seu Iliacum vocant, Athenæus ab aliquibus πιλάδα dictum asserit, minimum inter hæc, maculisque distinctum. veteres inter maximas delicias Turdos reponebant. Martialis lib. III. epig. I.

Inter aues Turdus si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Et illo antiquior Horatius.

Nil melius Turdo, Vulua nil dulcius ampla.

Qua de caussa Romani maxima diligentia in Ornithone illos alebant,

alebant, vt graphicè deſcribit Varro lib. III. cap. V. vbi docet quo pacto Ornithone incluſi Turdi ſint alēdi. pinguiores enim redditi magno vendebantur, nempe denarijs tribus, adeò vt ex vno materteræ ſuæ Ornithone, refert veniſſe quinque millia Turdorum denarijs ternis, vt ſexaginta millia nummum ea pars villæ reddiderit; idque cum Triumphus alicuius, aut epulum publicum eſſet. Columella verò, ſua ætate, ingraueſcente Luxuria, quotidiana hæc fuiſſe pretia commemorat. multi nec indocti, ſæpè mirati ſunt, veterum de Turdis iudicium, cum illorum palato non adeo arrideant, nec delicatos experiantur, vt primum locum inter aues occupare debeant. Sed ſi quis exactius conſiderare voluerit, qualem operam veteres impenderint vt illos ſaginarent, non omninò ſiniſtrę illos iudicaſſe dicet; nam præter innumera circa Turdos ſtudia, in quotidianum cibum, illis offas cum ficubus & farina, alias craſſiore, alias tenuiore ſubactas, nec non milium cum aqua copioſa, & clara præbebant, quibus aues pinguiores & ſuauiores redderentur. Sed noſtra tempeſtate, cum illorum ſaginandorum nemo curam gerit, ſed quales capiuntur in culinam mittunt, qui cum plerumque macri ſunt, non ſunt magno in honore, niſi vindemiæ tempore. Sed mirum eſt Pompeio Magno aliquando ægrotante, in tanta Ornithonum frequentia, nullibi potuiſſe Turdos, quàm apud Lucullum reperiri, vt auctor eſt Plutarchus, quem ferunt generosè reſpondiſſe, *ergo niſi Lucullus luxuriosè viueret, Pompeio pereundum eſſet? noluitque ſeruos ad Lucullum ire.* Romani etiam amicis miſſitabant Turdos, in Coronæ figuram conſertos. Martialis lib. XIII. epigr. LI.

Texta roſis fortaſſe tibi, vel diuite Nardo,
At mihi de Turdis plexa corona placet.

Et lib. III. epigr. XLVII.

Illic Coronam pinguibus grauem Turdis
Videres.

Galenus Turdos, Gallinis, Perdicibus & Phaſianis duriores eſſe

esse in cibatu dixit; quo argumento, & difficilius concoqui illos iudicabimus, probitate tamen ſucci commendantur. Cornelius verò Celſus lib. II. cap. XVIII. *ex auibus quæ volatu fidunt, firmioris ſunt nutrimenti quæ grandiores, quàm quæ minutæ; vt Ficedula & Turdus.* apud nos hyeme præcipuè menſas ſubeunt, ſed altiles nuſpiam habentur.

His affines ſunt Merulæ, quæ vt ſocietatem, amicitiamq́ue cum Turdis colunt, ita etiam alendi facultate conueniunt: veteres etiam, cum Turdis illas auiariis includebant. Duplex illarum genus, vnum nigrum ſeu fuſcum, quod & vulgare eſt; alterum verò candidum, magnitudine quidam compari & voce ſimili; ſed circa Cyllenem Arcadiæ montem familiare, nec vſquam alibi viſitur. dicta autem Merula, quod mera, id eſt ſola volitat. Feſtus; *Merum, ſolum antiquis, vnde & auis Merula, quod ſoliuaga & ſolitaria paſcitur*; Gal. lib. de cibis boni & mali ſucci, Merulas & Turdos, inter cibos recẽſet laudatos, qui neque craſſum neque tenuem ſuccum gignunt: non deſunt qui illos inter cibos damnant, quod vermibus & locuſtis paſcantur; ſed placet claſſicis potius auctoribus accedere, qui inter laudatos cibos annumerant. Horatius II. Satyrarum innuit, moris fuiſſe vt aduſto pectore ponerentur in menſa.

——— tum pectore aduſto,
Vidimus & Merulas poni, & ſine clune Palumbes.

Adiungamus his Alaudas, quarum duo memorantur genera, vnum quod gregale eſt, & Coturnici non omnino diſſimile, cibo peridoneum, alterum ſingulare & criſtatum eſt, vnde & Galeritæ (à criſtato apice in galeri ſeu Galeæ modum.) nomen impoſitum: hinc & Caſſita, quod inſtar Caſſidis criſta ſit, Græcis κόρυδος & κορύδαλος. Gallico mox vocabulo eſt Alauda dicta. quo nomine etiã Legio Gallica, à Cæſare quondam eſt vocata. Hybernis menſibus maximè capiuntur, quo tempore obeſæ admodum ſpectantur, niſi niues diutius hæſerint; tunc enim aëris inclementia, & alimenti defectu macilentæ euadũt,

Eiusdẽ facultatis ac Turdi & Merulę, ceterę́q; minores auiculæ. Galeritam refert fabulator Æsopus Phrygius, primã fuisse volucrum, etiam ante ipsam tellurem: quare mortuo patre, quum deesset locus vbi illum sepeliret, in capite tumularit: pro qua insigni pietate, plumeo illo apice est honestata. hinc à Theocrito ἐπιτυμβιδίοι vocantur Idyllio VII.

Ο'υδ' ἐπιτυμβιδίοι κορυδαλλίδες ἠλαίνονται.

Et neque tumbiferæ circum volitant Galeritæ.

Vix genus hoc cibis expetitur, remedij tamen efficacia nobilitatur, colicis enim doloribus assiduo sumpta, assa vel elixa in simplici iure, egregiè confert. Plinius lib. XXX. c. VII. *Coli vitium efficacissimè sanatur, aue Galerita assa, in cibo sumpta: quidam in vase nouo exuri iubent cum plumis, conteriq́ in cinerem, bibiq́ ex aqua cochlearibus ternis, per quatriduum; quidam cor eius adalligari fœmini, ac recens tepensq́ deuorari. Consularis Aspernatum domus est, in qua alter è fratribus colo liberatus est, aue hac in cibo sumpta, & corde eius armilla aurea inclusa.* Sed suspecta esto alicui Plinij fides, Galenus lib. II. de Simpl. Medicam. facultatibus cap. XXXIII. *Galerita auis pusilla, nobis plerumq́ obuia, in iure simplici elixa, colicos adiuuat, verum assiduo eam edere cum iure necesse est:* idem Ægineta & Trallianus confirmant.

CAPVT XXXI.

Ficedulis non semper illud nomen. ficubus & Vuis vescuntur. Phœnicopteri lingua in pretio.

FIcedulæ siue Συκαλίδες, à ficubus nomen sumpserunt, quod illorum esu impensè gaudent, sed nomen illud non perpetuò obtinent, sed Autumno solùm, aliis enim tẽporibus Melancoryphi siue Atricapillæ vocantur. Plinius lib. X. ca. XXIX. ex Aristotele. *Alia ratio Ficedulis, nam sonum simul coloremq́ mutant: hoc nomen non nisi Autumno habent, postea Melancoryphi vocantur.*

quod

quod illis nomen inditum, auctore Festo, eo quod summa eorum capita nigra sint. Alexander Myndius, apud Athenæum libro II. Ficedulas statuit speciem esse Ægythallorum, siue Parorum; sed Aristoteles, manifestè specie distinctas dicit Ficedulas ab Ægythallis. Autumno suauiores sunt, & obesiores longè, quod tum vuis ficubusque vescantur, quæ duo sunt fructuum pomorumque saluberrima; à ficubus nomen traxit, de quo lepidè Martialis.

Cum me Ficus alat, cum pascar dulcibus Vuis,
Cur potius nomen non dedit Vua mihi?

Qua de caussa, Italis *Beccafigi* dicuntur. nec mirum est aues hasce, inter saluberrimas recenseri, cum saluberrimo alimento vtantur; à cibo enim quo animalia fruuntur, illorum bonitas prauitasque iudicanda. apud veteres in deliciis fuisse, vel hinc constat, quod Ganeæ periti negarent, *vllam auem, præter Ficedulam imtegram comesse oportere.* vt auctor est A. Gellius libro XV. cap. VIII. cum pipere moris erat illam comedere, Martialis.

Cerea quæ patulo lucet Ficedula lumbo,
Si tibi fortè datur, si sapis, adde piper.

Sic apud Petronium Arbitrum in Satyrico, *pinguissimam Ficedulam inueni, piperato vitello piperatam.*

Nec omnino abs re ita condiuntur, cùm enim præpingues sint, ideoque in precio, piper acrimonia sua castigat fluentem pinguedinem. In Italia maximo sunt honore, nec nisi diuitum & magnatum mensas solent adire. raro in frigidioribus regionibus conspiciuntur, vbi vuæ aut ficus maturitatem vix accipiunt.

Phœnicopterus ita dictus, quod rubras pennas habeat, sunt enim alæ illi longæ, pennę verò coloribus distinctę, & variegatę, quas aduerso Sole, fulgentius radiare produnt scriptores, Martialis.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis

Nostra sapit; quid si garrula lingua foret?

Vetustas enim, in volucris huius lingua delicias repperit, quod Apicij inuentum fuisse docet Plinius l.x.ca.XLVIII. *Phænicopteri linguam, præcipui saporis esse Apicius docuit, Nepotũ omniũ altißimus gurges.* Sic apud Suetonium, legimus Vitellium, in dedicatione patinæ, quam ob magnitudinem inusitatam, Clypeũ Mineruæ vocabat, Phasianorũ & Pauonum cerebella, linguas Phænicopterorũ commiscuisse. Heliogabalus verò apud Ælium Lampridium, Palatinis suis ingentes dapes exhibuit, Mullorum extis refertas & cerebellis Phænicopterorum. auctor etiam est Suetonius, C. Caligulam iussisse sibi tanquam Deo, exquisitissimis hostiis sacrificari, *Hostiæ* inquit *erant, Phænicopteri, Pauones, Erythraones.*

CAPVT XXXII.

Passeres Venerem mouent. Sturni vocales. cicuta vescuntur. Fringillæ.

Minutæ etiam Volucres mẽsis adhibentur, vt sunt Passeres, Sturni, Fringillæ, aliæque minoris famæ. Galenus πυργίτας præcipuè commendat; ita dictas quod in turribus & summis domorum culminibus habitent, Passeres sunt quos Græci ςρȣ̃θȣς vocant. duo esse horum genera, Alexander Myndius scribit, alterum syluestre, alterum domesticum. Syluestriũ fœminas, & reliquo corpore esse debiliores, & rostri colore magis esse testaceo: omnes verò ad libidinem valdè pronos. quare Terpsicles, eos qui passeribus frequenter vescuntur, in Venerẽ esse præcipites tradit; qua de caussa & Sappho Poëtria, Veneris currum à passeribus trahi finxit, quoniam non solùm ad Venerem prompti, sed & maximè fœcundi, vtpote si fides habenda Aristoteli, ad octo vsque oua excludant. qua de caussa Mauritanorum Medicina, cibis in totum abdicandos cen-

censuit. Vulgo enim creditur in cibo sumptos nimis excitare libidinem : honestiorum mensis alioquin rarissimè adhibentur. Galenus passerum carnes proximas esse Merulis asseruit, Autumnoque præcipuè commendandos, quoniam per messem & vindemiam mirè pinguescant, succique probitatem tunc acquirunt : duriores tamen sunt nec multum nutriunt, in attenuanti victus ratione locum habent. Non solùm ad mensarum vsus habebant antiqui passeres, sed ad oblectationem, vt erat Lesbiæ Passer, apud Catullum. sed etiam docebantur Domini iussis obsequi, hinc aliquibus magni quæstus. Manilius lib.v. Astronom.

Nec te prætereant, clausas qui culmine summo
Pascere aues gaudent Veneris, & reddere cæcas.
Aut certis reuocare notis, totamq; per vrbem
Qui gestant caueis volucres ad iussa paratas.
Quorum omnis paruo consistit passere census.

Sturni siue ψάροι, non ita frequenter mensis olim adhibiti fuerunt, quod ex Athenæo licet colligere lib.II. Αντιφάνης δέ καὶ ψάρους ἐν βρώμασι καταλέγει. *Antiphanes Sturnos inter cibos recenset*; non dicturus hoc, si assiduo in vsu fuissent. Annumerantur inter volucres, quæ humanas voces reddunt, quod vetustas admiratione dignum censuit. Plinius lib. x. cap. XLII. *habebant & Cæsares iuuenes, Sturnum, item Luscinias, Græco atque Latino sermone dociles.* Et Statius Papinius Syluarum. II. de Psittaco Melioris.

Auditasq; memor penitus dimittere voces
Sturnus, & Aonio versæ certamine Picæ.

Quod nostro sæculo non nouum est, passim enim visuntur Sturni, qui humanum sermonem fæliciter imitantur, & aliarum auium voces reddunt.

Illorum caro durior nec iucundi saporis, nisi Autumnali tēpore, quando suauiores fiunt. maturescentibus enim vuis adueniunt, quas mirificè appetunt, & vindemias depopulātur. qua-

re pinguiores fiunt, & preciosus ille vuarum succus, ipsorum virosum saporem castigat. alij verò illos damnant, quia non secus ac Coturnices Helleboro, sic Sturni cicuta vescuntur vt obseruauit Galenus, lib. de Theriaca ad Pisonem & lib.III.de Temperamentis. Sed neminem hæc terrere debent, præsertim cùm ipse Galenus lib.VI.de sanitate tuenda ca.XVI. illos admittit inter salubres cibos, in curatione renum calculi, in habitu gracili. *Optima verò iis qui ita sunt affecti caro est, vt ex auibus Perdicũ proxima Attagenarum & Sturnorum, Merularum, & Turdorum.* Mirantur quidam à Galeno laudari has alites, cũ præterquam quod durioris sint carnis, etiam ingrati sunt saporis. Sed facilis est solutio huius dubitationis, inquirit enim Galenus tantùm cibos, qui non obstruunt Renes, & Calculosum affectum adaugeant, quales sunt inter cæteros Sturni, qui desiccandi vi sunt præditi, nec Medico tantùm saporis, quàm salubritatis cura habenda; qua de caussa eodem loco damnat aues, quas in vrbibus Caupones conclusas saginant, quod humido & copioso alimento abundent, quod renum obstructiones egregiè adauget.

Sed cunctas aues minutas velle persequi immensi esset laboris & difficultatis, vtilitatis verò perexiguæ: itaque cũ eiusdem penè facultatis sint cæteræ, dicam tantùm de Fringillis, quæ numerosis agminibus in Belgicam Autumni tempore aduolant. Festus Fringillã auem ita dictam opinatur, *quod frigore cãtet & vigeat*, vulgus **Vincken** vocat, Grȩci Σπίνον. Auienus certè ex Arato, σπίνον Fringillam reddit, inter signa tempestatis.

Si matutino Fringilla resultat ab ore.

Martialis lib.IX.Epigr.LX. Vilioribus cibis adnumerat.

Nunc Sturnos inopes, Fringillarumq; querelas,
Audit, & arguto passere vernat ager.

Gaza verò ex Aristotele Σπιζὰν, Fringillam vertit; circa Æquinoctium hybernum, copia sua omnia fora complent, nec ingratus aut insalubris cibus, modò pinguiusculi fuerint.

CAPVT XXXIII.

Grues Melicæ. ſaginandi modus: Vipiones. Ciconiis Theſſali lege lata abſtinebant, veſcendi primus auctor fuit Prætorius vir. Struthio-Camelus. Acronis error. Paſſer marinus. Struthionum capita.

INter maiores aues quas menſis adhibebat vetuſtas, erant etiam Grues, quas hodie vix elegantiorum aliquis velit attingere, nam vel Galeno teſte, fibroſam habent ac duram carnem; tamen & illæ placuerunt Gulæ, adeò vt ex Melo inſula Romam deferrentur, vnde apud Varronem Satyra περὶ ἐδεσμάτων, Grues Melicas laudatas video. inuenere etiam quo pacto ſapidiores redderentur. Plutarchus oratione II. de carnium eſu. ἄλλοι γεράνων ὄμματα καὶ κύκνων ἀποῤῥάψαντες καὶ ἀποκλείσαντες ἐν σκότει πιαίνουσιν, ἀλλοκότοις μίγμασι καὶ καρυκείαις τισὶ αὐτῶν τὴν σάρκα ὀψοποιοῦντες. *Alij Grues & olores oculis conſutis incluſos tenebris ſaginant, alienis temperamentis & condimentis guſtum nouum obſonio ſuo concinnantes.* vnde etiam in menſarum honore fuerunt, vt ex Horatio colligere licet lib. II. Satyr. VIII.

——— deinde ſecuti
Manzonomo pueri, magno diſcerpta ferentes
Membra Gruis, ſale multo, non ſine farre.

Plinius etiam ſuo tempore Grues expetitas in paucis, ſcribit, lib. X. cap. XXIII. *Cornelius Nepos, qui Diui Auguſti principatu obiit, cùm ſcriberet Turdos paulò ante captos ſaginari addidit, Ciconias magis placere quàm Grues, cùm hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigiſſe.*

Hodie quoque nonnullis in locis, inter hybernos cibos expetuntur, præſertim à Nobilibus qui ruri degunt; culina illas aſſat Caryophillis aut pipere perfoſſas, placentq́; magis repoſitę quàm

quàm calentes. tenerescere aiunt, si pendeant, pedibusque graue aliquod pondus alligetur; Simeon Sethi calidas & siccas illarum carnes dicit, sanguinem gignere crassum & melancholicum, illarum ius vocem clarificare, & semen genitale augere. Cornelius verò Celsus, plurimi nutrimenti esse asserit, & valentissimæ materiæ, vt ceteræ grandiores volucres; Apud Balecares, minores Grues, quas Vipiones vocant, in honore mensarum esse, Plinius auctor est lib.x. cap.XLIX.

Ab his, alimenti facultate non multum dissimiles sunt Ciconiæ, quibus nostro æuo nemo vescitur, ob pastũ quẽ ex ranis, lacertis & serpentibus capiunt. Thessali etiam quondã ills abstinebant, sed alia de caussa, quã aperit Plinius l.x.c.XXIII. *Honos iis serpentum exitio tantus, vt Thessalia capitale fuerit occidisse, eademque legibus pœna, quæ in homicidam.* Principatu Augusti incęperunt Romani iis vesci, & Gruibus pretulerunt, vt auctor est Cornelius Nepos apud Plinium citato loco. cuius rei auctorem, ferunt Virum Pretorium fuisse, quem aliqui Semproniũ, vel Asellium, alij Ruffum vocant. Horatius lib.II. Satyr.II.

Tutus erat Rhombus, tutoque Ciconia nido,
Donec vos auctor docuit Prætorius.

Porphyrion Scholiastes, refert Ruffum Prætorium instituisse vt Ciconiarum pulli manderentur, illumque, cum repulsam in Prætura tulisset, tale Epigramma meruisse.

Ciconiarum Ruffus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem,
Ciconiarum populus vltus est mortem.

Sed breui tempore illarum gratia deflagrauit, nam ætate Plinij, nemo illas in triclinium recepit. carnes enim concoctu sunt difficiles maliqúe succi, quidam & pestilentes esse iudicarunt. Ciconiæ pullum qui ederit, annis continuis, non lippiturum, Marcellus Empiricus asserit.

De Struthio-camelo supersedissem dicere, nisi Galenus eius etiam

etiam meminisset, Græci Στρουθὸν λιβυκὸν, Galenus verò μεγάλας στρουθοὺς vocat. Acron ad illud Horatij, *Non Afra auis descendat in ventrem meum*, nimis ridiculè Struthionem vocat Afram auem, cum de Gallina Numidica Poëta loquatur, vt melius Porphyrion explicat. posteriores Scriptores, Struthionem loco Struthio-Cameli nominant, vt Lampridius in Heliogabalo, vetustiores verò Romani, Passerem Marinum dicebant. Plautus in Persa.

Vola curriculo. P. isthuc Marinus Passer per Circum solet.

Festus manifesto Struthionem ita vocari docet. *Passer Marinus, quem vocat vulgus Struthio-camelum.* Auium hic maximus, & penè bestiarum generis, vt dicit Plinius, ad hoc enim datis pennis, vt currentem adiuuent, cæterò non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Galenus horum alas, non esse deteriores aliarum auium alis affirmat; caro verò excrementitia, multoque ad coquendum est difficilior, quàm aliarum auium, licet illis mira omnium quæcumque ingerunt concoquendi vis est, adeò vt ferrum ipsum superare credantur, vt multis oculatis testibus confirmatum scimus. Heliogabalus, referente Ælio Lampridio, vna cœna sexcentorum Struthionum capita exhibuit, ad edenda cerebella, sed quid à tali monstro exspectandum, nisi portentosum. Auctor est Athenæus, Struthios Arabicos Regum Persarum epulis adhiberi solitos.

Apicius modum docet quo Struthio condiatur, lib. VI. cap. X. *In Struthione elixo vsurpant piper, mentham, cuminum, porrum, apij semen, dactylos vel Caryotas, mel, acetum, passum, liquamen & olei modicum, quæ in cacabo bulliant, amylo obligant atque ita partes Struthionis in lance perfundunt, ac piper desuper aspergunt. Si autem condituram coquere volueris, Alicam addes.* Struthionum etiam oua, in vsu fuisse constat ex Ausonio, epistola II. ad Axium Paulum Rhetorem.

Ouum tu coque Passeris Marini.

Galenus hæc cum Anserinis iungit, vtraque enim Gallina-

 rum

rum ouis deteriora statuit. Quidam etiam Struthionis ventriculum laudant, ceu medicamentum quod concoctionem promoueat, quod tamen à Galeno refellitur, lib. III. de Aliment. facult. cap. XX.

CAPVT XXXIV.

Anseres domestici & feri. Iecur in pretio, eius magnitudo. ficubus saginatum. Ganza Anseris genus. pectus & ceruix in Anate commendantur. Ponticæ Anates.

ANseres inter cohortales aues recenseri possunt. licet Aquaticæ, vt Anates quoque, vel Amphibij potius generis, quoniam vtrimque victum sibi quærunt in terra atque aqua; duûm autem generum sunt, domestici vel feri, illis magis ex terra pabulum, feris ex aqua, circumuolitantibus gregatim stagna lacusque; qui etiam domesticis præferuntur salubritatis gratia, quippe minus excrementis abundare creduntur, quod assiduo volatu sunt magis exercitatæ.

Domestici tamen Anseres, præsertim altiles in pretio sunt; Græci σιτευτούς vocabant, qui olim etiam in Ægypto magni fiebant: refert enim Athenæus lib. IX. ex Theopompo, Ægyptios Agesilao Lacedæmonio, cum in Ægyptum appulisset, vitulos & Anseres σιτευτούς, dono misisse. Romanis olim in honore fuerunt, ob seruatum Capitolium, canum silentio perditis rebus, quamobrem cibaria Anserum Censores in primis locabant, vt Plutarchus in Quæstionibus Romanis, & Plinius lib. X. c. XXII. docent. Sed solutis mox animis superstitione, illi ad primarias mensarum epulas translati, & illorum sagina instituta est, præsertim verò ad iecoris magnitudinem conciliandam, & bonitatem quærendam. Ouidius I. Fastorum.

Nec defensæ iuuant Capitolia, quo minus Anser
Det Iecur in lances, Inache laute tuas.

Plinius

Plinius *Nostri sapientiores, qui eos iecoris bonitate nouere: fartilibus in amplitudinem crescit, exemptum quoque lacte multo augetur, nec sine caussa in quæstione est, quis primus, tantum bonum inuenerit. Scipio Metellus vir Consularis, an M. Seius eadem ætate eques Romanus.* Sagina enim in magnam molem iecur Anserum auctum fuisse, atque in summis delicijs habitum, Poëtæ docent. Iuuenalis Satyra v.

Anseris ante ipsum magni iecur, Anseribus par
Altilis.

Et Martialis epigram. lib. XIII.

Aspice quam tumeat, magno iecur Ansere maius,
Miratus dices, hoc rogo creuit vbi.

Antonius Musa Brassauolus com. I. in Hipp. de ratione victus in acutis, Tex. XXVII. refert Ferrariæ Anseres fartiles suo tempore fuisse, quorum Hepar duas libras quandoque pendebat. Vt autem illud in molem excresceret, ficubus illos, non secus ac Porcos alebant. Palladius de re Rustica lib. I. Titulo XXX. modum docet saginandi Anseres, vt hepatis moles augeatur. *Peractis verò triginta diebus, si vt iecur tenerescat optabis; tunsas caricas & aqua maceratas, in offas volutabis exiguas, & per dies viginti ministrabis anseribus.* Horatius lib. II. Satyra VIII.

Pinguibus & ficis, pastum Iecur Anseris albi.

Græci συκωτὸν vocabant: erat autem tale edulium, non solùm lautissimum, sed etiam valdè salubre, plurimumque nutriens. Galenus lib. III. de Aliment. facultatibus cap. XX. *Quemadmodum autem in Suibus, dum adhuc viuunt, Hepar ex Caricarum pastu συκωτὸν, ad voluptatem præparatur, ita in Anseribus, video ipsorum alimenta lacte imbui, vt non modò eorum iecur sit iucundissimum, sed potenter etiam nutriat, ac optimi sit succi, & deiectu minimè difficile, probeque similiter in ventriculo conficiatur.* à Iecoris bonitate, multum dissidet illorum caro, quam excrementitiam, difficilisque concoctionis medici omnes asserunt, exceptis alis & ventri-

 culo;

culo; quæ partes, non ſunt cæterarum volucrum ſimilibus partibus deteriores. qua de cauſſa rarò epiparas cœnas ſubeunt; ſed pulli prima lanugine tantum veſtiti, verno tempore epulas exornant; ij enim magno in honore ſunt, nulla enim durities illis eſt, quæ palato moleſta ſit, ſed adipoſa quædam teneraque caro, quæ in ipſo ore videtur liquari; moris etiam fuit apud Græcos, Anſeres Fartos varijs rebus menſis inferre, quos Durateos vocabant, non ſecus ac Porcos Troianos inter Romanos. Diphilus apud Athenæum lib. IX.

Δούρειον ἐπάγω χῦνα τῷ φυσήματι.

Anſerem etiam Dureum adduco magna inflatum mole.

Non defuerunt qui palmas pedum in Anſeribus, in delicijs habuerunt. Plinius. *Meſſalinus Cotta, Meſſalæ Oratoris filius, palmas pedum ex his torrere, & patinis cum Gallinaceorum criſtis condire repperit.* Genus quoddam Anſerum in Germania eſſe prodidit Plinius, candidum quidem, ſed minus, quod Ganzas vocant; quod nomen in hodiernum diem, Germania & Belgica noſtra ſeruauit.

Simeon Sethi Anſeres cunctis domeſticis auibus, craſſiores non ſolum dicit, ſed etiam calidiores & humidiores, quare veteres eodem ordine poſuerunt; quo Struthionum carnes: ſed eorum alæ diuerſæ ſunt facultatis, à reliquo corpore.

Anates his ſuccedant, quarum aliæ domeſticæ, aliæ ſylueſtres. illæ in vrbibus versãtur, quæ cum cœno & culinarũ purgamentis auidiſſimè ſe replent, inutiliores cibo ſunt; quod & guſtu, quiſquis eruditiori palato fuerit facilè diſcernet; quippe ſapor illis minus gratus, qui inertem carnem facilè prodit. Syluestres verò quod libero aëre, aquiſque fluentibus, vel ſaltem minimè cœnoſis fruantur, ſaporis quandam iucunditatem præ ſe ferũnt. illarum ſpecies ſunt variæ, Boſcas, Penelops, Querquedula & ſimiles; quæ vel mole corporis, aut forma aliquantulum ab Anate diſſident. Caro verò Anatum dura eſt; malique ſucci, & conficitur pertinaciter, excrementoſaque

est, vt aliarum fere auium palustrium; in hac volucre tantum pectus & ceruicem commendari, Martialis docuit.

Tota quidem ponatur Anas, sed pectore tantum
Et Ceruice sapit: cætera redde coquo.

Plutarchus refert Catonem, familiam suam ægrotantem, alere consueuisse Anatum & Leporum carne, quod mirum: cibi cum sint, qui Melancholicos humores affatim generent. Ponticæ verò Anates Sanguine suo nobilitantur, vt Plinius varijs in locis meminit, qui spissatus contra venena, vino dilutus assumitur, quod Mithridates Ponti Rex primus inuenit lib. xxv. cap. II. *illius inuentum autumant, Sanguinem Anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam venenis viuerent.*

CAPVT XXXV.

Fabulosum est Cignos instante morte canere. Veteres illos saginabant. Ardea Seruio Auis Diomedea. Otides, aues Tardæ; Nemesiano Tetrax. Isidoro βεγδίπυς.

OLor Latinis, Græcis est κύκνος, Poëtarũ fabulis celebris, quem ferunt instante morte suauissimos cantus edere,

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Sed etiam Plato in Phædone, refert Cygnos Phœbo sacros, morituros alacrius canere, tãquam diuinatione preditos, præsagire alterius vitæ bona. Sed Alexander Myndius apud Athenæum, refert se moribundos plures prosequutum, sed cantum nullum audiuisse. Plinius lib. x. cap. XXIII. *Olorum morte narratur flebilis cantus, falso vt arbitror, aliquot experimentis.*

Mensis etiam adhibitos fuisse quondam, testatur Athenæus libro. IX. nostro sæculo etiam conuiuijs inferuntur assati, & Caryophillis confixi, sed pridiani, nec calentes, vel etiam pistorio opere incrustati, & aromatibus conditi; carne sunt dura

& fibrosa, summaque pertinacia concoquuntur. multis verò excrementis scatent, vt ceteræ Aquaticæ aues. & cum corporis mole Anseres superant, illis etiam sunt duriores. ex pullis ferunt aliquando lautiores epulas instructas, quod ætatis beneficio, nondum duritiam caro induit, itaque spectaculi potius conuiuijs, quàm ventris caussa inferuntur. Veteres etiam illos saginabant, consutis prius oculis, vt auctor est Plutarchus, oratione II. de esu carnium.

De Ardea etiam dicendum, quod creber eius ob frequentem ex Aucupio capturam, in cibis vsus præsertim apud proceres sit. Græcis Ἐρωδιὸς, Seruio auis Diomedea dicta, Isidorus à multis Tantalum vocari scribit. Ardea autem dicta quasi ardua, quoniam altè volat. sic Virgilius lib. I. Georgicorum.

—— Notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat Ardea nubem.

Illarum tria genera recensentur, Pella siue Cinerea, Alba, & Stellatis. degunt circa aquas, & lacus piscosos, vbi cibatum quærunt. in syluis tamen & proceris arboribus nidulantur; nobilitas in eius venatione, magnam reponit voluptatem: iucundissimum enim spectaculum præbet, illarum cum Accipitribus seu Falconibus pugna. Carne sunt duriori, vt omnium Aquaticarum auium. concoctu sunt difficiles, & excrementis abundant, pleræque piscem, & algæ odorem referunt, quare stomacho nauseam atque fastidium pariunt; quædam sapore blandiuntur, sed assiduo vsu graues in cibo sunt.

Agmen claudant Otides, inter maximas aues annumeratæ, Græcis οὐτίδες & ὠτίδες dictæ, Hispani aues tardas vocant, vt auctor est Plinius lib. x. cap. XXII. *proximæ eis sunt, quas Hispani aues Tardas appellant, Græcia Otidas, dānatas cibis: emissa enim ossibus medulla, odoris tædium extemplo sequitur.* Posteriores Tetracem vocant, inter quos Nemesianus Poëta, in fragmento quod de Aucupio exstat.

Et Tetracem, Romæ quam nunc vocitare Taracem

Cæpe-

Cœperunt, auium multo est stultissima, namq́;
Cum pedicas necti sibi contemplauerit adstans,
Immemor ipse sui, tamen in dispendia currit.
Tu verò adductos laquei cum senseris orbes,
Appropera, & prædam pennis crepitantibus aufer;
Nam celer oppressi fallacia vincula colli,
Excutit, & rauca subsannat voce magistri
Consilium, & læta fruitur iam pace solutus.
Hæc prope Pentinum radices Apenini
Nidificat patulis qua se sol obijcit agris.
Persimilis cineri dorsum, maculosaq́; terga
Inficiunt pullæ cacabantis imagine notæ.
Tarpeiæ est custos arcis non corpore maior,
Nec qui te volucres docuit Palamede figuras.
Sæpe ego nutantem, sub iniquo pondere vidi
Mazonomi puerum, portat cum prandia Cirro
Quæ Consul Prætorve nouus construxit ouanti.

Ex quibus notis colligunt Viri Docti, optimè conuenire hanc descriptionem Tetracis, cum Otide. magnitudine enim Anserem vel Gruem non excedit. Xenophon lib. I. de expeditione Cyri, scribit in Arabia plures Otidas inuentas, quas milites nō magno negotio capiebant, hasque carne fuisse multo suauissima. Plinius tamen damnatas refert. Galenus lib. III. de Alim. facultatibus cap. XIX. Scribit illarum carnem mediam esse quodammodo, inter Grues & Anseres. Galli *Otardas* vocant, vocabulo ex Græco & Latino composito, Germani **Trap-gans.** Isidorus libro duodecimo capite septimo, dicit Gradipedem vocari. *Gradipes, apud Græcos vocatur auis, apud nos Tarda, eò quòd graui volatu detenta, nequaquam vt cæteræ volucres attollitur velocitate pennarum.* Sed mendum esse in voce Gradipes; nulli est dubium, probabiliter βραδύπους legendum, ita enim Græci, tardipedem dicunt.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Volucrum Alæ optimi alimenti, Auium cerebella. Sexcenta Struthionum capita Heliogabalus apposuit. cristæ & palearia.

QVemadmodum supra de singulis Quadrupedum partibus egimus, ita etiam nunc volucrum breuiter sunt percurrendæ; nam & inter illas discrimen, singulisque suæ dotes; inter quas Alæ primum occurrunt, peculiare Auitij generis membrum, quæ quod cæteris exercitatiores, sic præstantissimæ ad alendum censendæ sunt; adeo vt quarundam auium carne sua damnatarum, non improbamus alas, sicuti Anserum & Struthionum, tanquam melioris succi & facilioris concoctionis, Gallinarum tamen cæteris præstantiores. Gal. III. de Aliment. facult. cap. XX. *Ad hæc alæ Anserum, ad concoquendum & nutriendum sunt accommodæ, & ijs adhuc magis Gallinarum.*

Tanto enim præstantiores erunt, quantũ volucres bonitate alimenti cæteris præstiterint, vel pinguiores fuerint, nam quæ macræ sunt, illarum alæ fibrosæ & excarnes, nulliusque vtilitatis in re cibaria sunt.

Collum item auium aliquatenus carnosum, pedes excarnes sunt, Gallinarum tamen Anserumque frequenter eduntur; Vulgus inani ratione sibi persuasit, Gallinaceorum pedum esu conciliari somnum: collum verò oculorum claritati officere; nisi fortè pinguis in ceruice cutis esui nimio, id velit quis adscribere, quam multorum gula auidè sectatur, qui palato, quam sanitati student.

Exiguum habent cerebrum, pedestrium comparationẽ, sed tanto id præstantius quo siccius: abest enim pinguis illa & vnctuosa humiditas, quæ nauseam concitat, & stomachum subuertit. quin & auium quæ in montibus versantur excellen-

tius

tius, quàm quæ circa paluſtria degunt. creditur bonum ſanguinem generare, ideoque Veneri ſtimulos addere perſuaſum eſt. Vitellius nobilis ille Lurco, Cerebella Phaſianorum, & Pauonum, in patina illa nobili appoſuit. Heliogabalus etiam Struthionum capita ſexcenta conuiuis dedit, vt Cerebella manderent; Gallinarum hodie & Caponum ſunt in vſu: quidam verò & minorum Paſſerum laudant, quod ſalaces dicantur reddere.

Criſtæ etiam volucrum & palearia, olim etiam in vſu fuiſſe vel Galenus docet, qui refert, illa nec magnopere probari, aut damnari in cibis. Gallinaceorum præcipuè in honore mēſarum ſunt; hanc neque carnem eſſe, nec cartilaginem, nec callum iure dixeris; verùm peculiare aliquid, teſte Plinio; vt verò Ariſtoteli placet, nec caro eſt criſta, nec à natura carnis aliena. inter veterum cupedias fuiſſe, docet Plinius; quod Meſſallinus Cotta, Meſſalæ Oratoris filius, Palmas pedum ex Anſeribus torrere, atque patinis cum Gallinarum criſtis condire docuit. hodierno etiam die, luxus criſtas variè condire inuenit, nullius enim ſaporis, aut obtuſi admodum eſt; pituitoſum tamen ſuccum, craſſumque hinc gigni veroſimile eſt, vtpote quæ ſimili penè materia conſtat, qualis fungorum Tuberumque eſt.

Plurimarum volucrum ventriculus, in cibatum non admittitur, Gallinarum verò Anſerumque in frequenti vſu; carnoſus enim calloſuſque eſt, nec iniucundi ſaporis, alimentique ſatis laudati. multis video perſuaſum, concoctioni multum conferre, & præſertim membranam illam internam, quæ ſiccata tritaque, vtiliter ſtomachicis ex vino exhibetur, vt auctor eſt Dioſcorides; verùm Galenus, id tanquam commentitium prorſus explodit, lib. III. de Alim. facult. cap. XX. *quidam autem falſo Struthiocameli ventriculum laudant, ceu medicamentum quoddam, quod coctionem iuuat, alij verò Mergi ventriculum, verùm hæc neque ipſa facilè concoquuntur, neque aliis in eo ceu medicamenta au-*

xiliantur, veluti zinziber & piper. Sed frequenti experientia obſeruaui, tunicam illam internam ventriculi Gallinarum, ſiccatam atque in puluerem redactam, ex vino potam renum calculos egregiè pellere.

Iecuſcula autem lubenter omnes mandunt, nec immerito: nam & optimi ſaporis ſunt, & laudatiſſimum alimentum ſuppeditant, quod ex ſubſtantiæ eius teneritudine, ac tenuitate facile eſt colligere, præſertim in Gallinis, Capiſque altilibus. diximus iam, veteres Anſerum iecur omnibus prætuliſſe, quos impenſiſſima cura ſaginabant.

Teſtibus etiam veſci moris fuit, præſertim Gallinaceorum altilium, & pullorum, quos Galenus miris laudibus paſſim extollit, præcipuè ſi cibus eorum ſeroſo lacte prius imbuatur; nam boni ſucci ſunt, & egregiè nutriunt, facillimeque concoquuntur. ægris atque à morbo conualeſcentibus validum alimentum præbent, ſemen valdè augent, aluum nec mouent, nec morantur.

CAPVT XXXVII.

Ouum quatuor partibus conſtat. num Albumen frigidum vel calidum ſit. principium vitæ in Albumine. paluſtres aues maiorem vitellum, quàm terreſtres habent. Albumen natura frigidum. ex vitello pullus nutritur. Vitellus ad calorem inclinat.

PRoximum eſt vt de ouorum natura, ac viribus in re cibaria diſſeramus; ſiquidem volucrum generatio ex his euenit, & oua ex volucribus. Conſtãt autem quatuor partibus, teſta ſiue putamine, pellicula tenui, Albumine, & Vitello. natura enim ſagax, ne durum molli immediatè obiiceret, pelliculam mediam interpoſuit, quæ durior eſſet tenella parte oui,

Albu-

Albumine videlicet, & vitello; mollior verò testa, non secus ac in homine ne caluaria prædura, mollissimam cerebri substantiam tangeret, offenderetque: duas membranas interposuit. est autem pellicula hæc frigidæ & humidę naturæ, non secus ac membranæ nostri corporis, testam verò frigidam & siccam esse, non secus ac ossa fatentur Medici.

Albumen verò oui, quod Columella liquorem album, Celsus oui candidum. Palladius oui alborem dicunt; plerique frigidum & humidum esse asserunt; non defuere tamen qui calidum esse statuerunt, non spernendis rationibus nixi, quarum præcipuas lubet in medium adducere.

Animalis principium esse non potest nisi in re calida, nam vita & anima calido fouentur, sed oui albumen vitæ principium esse constat; quia semini assimilatur, & ex eo pullus generatur, quare necesse est albumen calidum esse; principium autem vitæ in Albumine esse docuit Aristoteles lib. III. de generatione Animalium cap. I. & VI. de Historia Animalium ca. III. *Origo* inquit *pulli in Albumine est, cibus per vmbelicum ex luteo petitur.* Plinius iisdem penè verbis libro X. capite LIII. *ipsum animal ex albo liquore oui corporatur: cibus eius in Luteo est.*

Secundo, Animalia illa frigidiora censentur, in quorum ouis, vitelli portio albumen superat, calidiora verò quibus Albumen longè vitellum excedit; quod manifestè ostendit Albumen esse calidum, immò vitello calidius; alioquin animalia quibus vitelli maior est portio, calidiora essent, quod est falsum. aues enim palustres, frigidæ & humidæ existimantur; quarum oua, duplo ferè vitellum maiorem habent, quàm auium in terra degentium. Aristoteles III. de generatione animalium cap. I. *Initium enim animalis in candido est, cibum è Luteo capit; calidioribus itaque animalibus seorsum ista habentur distincta, ex quo principium ortus, & ex quo alimentum; atque alterum candidum, alterum Luteum est, & plus Candidi sincerique est semper,*

 quàm

quàm Lutei & terreni; at minus calidis & humidioribus, contra plus Lutei, idque humidius est, quod in palustribus auibus accidit, cùm illæ natura sua humidiores & frigidiores terrenis auibus sunt.

Tertio, manifesta est Aristotelis auctoritas, sub finem capitis, lib. III. de generatione animalium, nam postquam docuisset, cur Albumen circa Luteum sit, subdit, *Candida enim pars, oui, sua natura humida est, caloremque animalem in se continet, quamobrem circum ipsa discernitur, & terrena intus manet.*

Sed priusquam opinionem meam in medium adducam, nouisse expedit, Hippocratem omnino ab Aristotele dissentire, super natura albuminis & vitelli oui. Aristoteles enim censet esse veluti semen, atque ex illo animal generari, Luteum verò instar sanguinis & lactis, vnde nutrimentum capiunt. Hippocrates verò omnino oppositam sententiam docet, in fine libri de natura Pueri, *Volucris de oui Luteo procreatur, candido autem nutritur & crescit.* damnauit hanc opinionem Aristoteles lib. III. de generatione animalium ca. II. suppresso tamen Hippocratis nomine, *At auibus hoc idem in ouo natura constituit, sed contra quam homines putant, & Alcmæon Crotoniates ait, non enim Albumen oui lac est, sed vitellum: hoc enim pullis pro cibo est, illi albumen pro cibo esse existimant, propter coloris affinitatem.* Sed & experimentum Aristotelis opinioni fauet, nam apertis ouis, quæ mox pullos editura sunt, in medio semper eorum vitellus nondũ transmutatus apparet, Albumen verò ipsum in membra iam extensum. sed de Hippocrate mirandum, qui hoc patere asserit, modumque docet quo facilè quis deprehendere possit, quomodo pulli in ouis lateant; cùm oppositum cuiuis perspicuum sit. viginti enim acceptis ouis, & Gallinæ suppositis, secunda die vnum ex his aperiendum, tertia & quarta die aliud, donec vigesimum aperiatur: in quo iam viuus pullus latitabit, manifesto videbit vitellum absumi in pulli alimentum; Albumen verò primis iam diebus in membra volucris extensum. Itaque Albumen est secundum Aristotelem, quod

quod in animal transit: Vitellus verò, ex quo pullus nutritur in testa conclusus.

Et quamuis contrariæ rationes validissimæ apparent, tamen communi medicorum sententiæ accedendũ, qui docent frigidũ esse albumen. Galen. enim. II. de simplic. Medic. facult. dicit, *Albumen Symmetro esse frigidius, mediocriter refrigerare, idque citra vllum morsum*, ideoq; eo ad lippitudines vtitur: idemq; docent Dioscorides, Ægineta, Trallianus, aliique classici Medicinæ Scriptores; quare contrariorum argumẽta dissoluere expedit.

Ad primum, dicimus, calorem esse duplicem, viuificum vnum, aëreum & Generationis **auctorem**; qui temperatus & quasi cælestis est, nulla manifesta qualitate excedens, qui etiam in frigidissimis animalibus, & plantis repperitur: vt in Salamandra, Opio, Mandragora, & Cicuta; alter verò Elementaris, & igneus est, subiecto insitus terrestri; qui ad interitum res omnes creatas præcipitat; priori calore Albumen est præditũ, vt Generationis principium sit; accedit etiam, pullum non ex ipso albumine generari, sed ex parte seminali in albumine cõtenta, & vitello proxima, quippe in illa parte quæ à Gallo decisa est, vis quædam Generatiua inest, per quam in albumen forma pulli introducitur; & vitellus ad nutriendum attrahitur; itaque non generatur simpliciter ex Albumine, sed ab eius parte, quam vulgus Galli caput vocant, siue à Galli semine in ouo contento, quod si absit, nihil gigni potest. qua de caussa Albertus Magnus lib. VI. de animalibus, eiusmodi oua quæ tali semine carent, oua venti nuncupat, seu subuentanea, Hypenemia & Zephyria.

Ad secundũ dicimus, palustres aues magis terrestres & grauiores esse, quod minori parte aërea constẽt, quę in albumine sita est, sed nõ ideò frigidiores esse; nã mox docebimus Vitellum calidiorem albumine esse, immò cùm volucres materialiter, ex albumine oriũtur, lõgè essent illę frigidiores, quę ex copiosiori albumine generationem obtinent, siquidẽ ossa, nerui,

Cartilagines, ceteræq; partes ſpermaticæ, quæ ex albumine formantur, frigidiores ſunt; itaque corporis textura ex albumine formatur, quæ nondum plena eſt, niſi carne impleatur, quæ caro ex vitello fit, prius in ſanguinem mutato. Itaque Ariſtotelis ratio manca eſt, & nihil concludit.

Ad Tertium. Veriſſimum eſt in albumine calorem animalem contineri, hoc eſt ſeminalem illam vim à Gallo deciſam, quæ fœcundum reddit Albumen, & ouum ipſum; ſed non concludere, ideò albumen eſſe calidum, calore illo elementari, de quo Medici agunt; ſed inſito illo & æthereo, qui totus temperatus & fœcundus eſt.

Quod ad Vitellum attinet, temperatus eſt communi auctorum conſenſu, ita tamen vt ad calorem magis inclinet, is enim vicem ſanguinis in ouiparis refert, alimentum enim ex illo volucres habent. Experimur etiam quotidie, vitellum facilè concoqui, & in ſanguinem mutari, cum albumen è contrario difficilè concoquitur, & à ventriculo ægrè conficitur; Itaque meritò à Galeno ſcriptum II. de ſimpl. med. facult. cap. XXVII. *Ouum temperatura Symmetro eſt frigidius*, quia ſcilicet albumen ad frigidum inclinat, vitellus verò temperatus, parumque ad calorem vergit: hinc fit quod totum ouum, inclinet magis ad frigidum quàm calidum. Oribaſius etiam Euporiſton lib. II. *Ouum temperatura ſua paulo eſſe frigidius dixit*; qua de cauſſa non decet nos eſſe adeò ſollicitos in febricitantibus, vt formidemus illis aliquando oua exhibere, quod aliquibus penè piaculum eſt, nam & Galenus lib. I. de arte curatiua àd Glauconem, in curatione exquiſitæ Tertianæ, vitellos ouorum exhibet. non tamen promiſcuè id faciendum: nam in billioſis corporibus, & impuris ventriculis, facilè corrumpuntur, vnde mox maior noxa ſequeretur.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

Quidam oblonga oua, quidam rotunda præferunt. optima ſunt oua tremula in aqua cocta; peiora in cineribus. dura & frixa peßima.

OVorum differentiæ deſumuntur tum ex Animalis ſpecie, tempore, & præparatione. ex ſpecie quidem, nam Phaſianorum & Gallinarum, primum bonitatis locum obtinent: licet Epænetus, & Heraclides Syracuſius, oua Pauonum cæteris præpoſuêre: Anſerum verò, Anatum & Struthionum, poſtremum gradum occupant. Cæterùm ſola penè Gallinarum nobis in vſu ſunt, nam Phaſianorum rara ſunt, & Principum tantum menſis dicata. Aquatilum verò ouis pauci vrbanorum, nec niſi in aliorum penuria veſcuntur. ideoque videtur natura inſignem Gallinis fœcunditatem indidiſſe, vt hominum vſibus ſufficerent; toto enim anno pariunt, præterquam Brumali tempore, quo tamen etiam tepidioribus in locis parere notum eſt. inter illa etiam diſcrimen, quædam enim oblonga, quædam rotunda. Horatius Flaccus, ex Catij ſententia, lib. II. Satyra IV. oblonga, rotundis in cibo prætulit.

Longa quibus facies ouis erit, illa memento
Vt ſucci melioris, & vt magis alba rotundis
Ponere: namq́; marem cohibent Calloſa vitellum.

Addit etiam mares ex longis ouis excludi, quod etiam à Columella peritiſſimo rei ruſticæ confirmatum video, libro VIII. capit. V. *Cum deinde quis volet quàm plures mares excludi, longißima quæque & acutißima oua ſubijciet, & rurſus quum fæminas, quàm rotundißima.* idem à Plinio aſſeritur libro X. cap. LII. oppoſitum tamen Ariſtoteles docet libro VI. de Hiſtoria animalium

malium capit. II. ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ᾠῶν θηλέα, τὰ δὲ στρογγύλα, καὶ περιφέρειαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξύ, ἄρρενα; *quæ oblonga ſunt oua & faſtigio acuminata, fœminam edunt, quæ autem rotundiora, & parte ſui acutiore obtuſa orbiculum habent, marem gignunt.* Sed meum non eſt litem hanc dirimere, itaque inſtitutum vrgere pergo.

Ex tempore etiam diſcrimen non modicum, nemo enim ambigit, quin recentia oua, optima ſint: quò vel magis inueterauerint, deteriora fieri, putreſcere & praui odoris eſſe. Ex præparatione verò maxima differentia; ex cocturæ enim modo, laudabilius vel deterius corpori alimentum præbent. quædam enim coctione penitus indurantur, alia mediocrem tantum conſiſtentiam acquirunt, alia dumtaxat excalefacta apponuntur; ſecundum quas differentias quædam Græcis dicuntur ἑφθά, ſeu dura; τρομητὰ verò tremula vocantur, quorum candidum euidenter cogi cæptum eſt, ita vt quaſi tremere videatur. ῥοφητὰ ſorbilia ſunt, quæ eatenus coquuntur, vt necdum albumen coiuerit, ac facilè ſorberi poſſunt; peſſima ſunt dura, namque ad concoquendum difficilia, craſſumque alimentum corporibus ſuppeditant. Tremula verò teſte Galeno, omnium ſunt præſtantiſſima, & maximè nutriunt. ſorbilia minus quidem nutriunt, ſed facilius per aluum ſecedunt, & Laryngis aſperitatem leuigant, pectoriq́ue egregiè conducunt. inter hæc autem ſunt meliora, quæ in aquis coquuntur, blando enim aquæ vapore temperatiſſima euadunt; quæ verò in calidis cineribus aſſantur, peiora ſunt; exhalat enim tenuior & ſpirituoſa oui pars, & Empyreuma aſsatione acquiritur. præter has differentias ſunt etiam πνικτὰ ſuffocata, coquuntur illa in duplici vaſe vbi prius oleo, Garo ac modico vino conſperſa fuerint, donec modicè craſſeſcant. Sed mutatus eſt condituræ modus noſtro æuo, frangunt enim oua in patina, quibus addunt vini parum, cum butyro & Saccharo vel modico ſalis & aquæ vapore ebulliunt, donec modicam conſiſten-

ſtentiam acquirant. Sunt etiam ταγηνιστὰ vel τηγανιστὰ, hoc eſt frixa, quod in ſartagine eorum coctio perficiatur; quæ dum coquuntur nidorem acquirunt, & non modò craſſum, ſed prauum etiam & excrementitium ſuccum ſubminiſtrant. Sed inter omnia, optimi ſucci ſunt Tremula & Sorbilia, præſertim ſi dempta teſta in aqua coquuntur, & cum ſucco mali citrij, omphacij aut oxalidis edantur; hoc modo tutiſſimè febricitantibus dari poſſunt, temperatiſſimum enim hoc cibi genus euadit. his ſuccedunt, quæ integra aquæ incoquuntur. Sed omnes illæ dotes recentibus tantum adſcribendæ. Itaque oua recentia, & mollia, temperatiſſimum corpori alimentum exhibent, & quod validè ſatis nutrit, nihilque excrementi in corpore relinquit, adeò vt veriſſimè à Plinio ſcriptum ſit libro XXIX. capit. III. *Nullum eſſe alium cibum qui in ægritudine alat, neque oneret; ſimulque vim potus & cibi habet.*

Non deſunt tamen qui magnas illis noxas adſcribant, quòd craſſos humores generent, & meatus obſtruant. Galenus enim v. de ſanitate tuenda capit. VIII. damnat frequentem ouorum eſum, in tuenda ſenum valetudine. Sic Alexander Trallianus, damnat oua in Hepatis inflammatione, eo quod craſſi ſunt ſucci, & flatum ſuppeditent. Sed certum eſt in Galeni codice mendum eſſe, vt iam pridem Viri Docti monuerunt, legendumque oua dura; non enim ſorbilia aut tremula, cum cochleis, lentibus, caſeo, bulbis aliiſque id generis cibis comparanda ſunt, quales eo loco Galenus enumerat. quod ad Trallianum attinet, non mirũ eſt in Hepatis inflammatione damnare oua, quia nimio eius viſceris incendio, facillimè corrumpuntur, & quia natura ſua tenacitatem quandam habent, in craſſiorem ſubſtantiam conuerti poſſunt. vnde Galenus libro de cibis boni & mali ſucci. *Cochleæ craſſi ſucci cenſentur, itemque oua, quæ vel elixa vel toſta penitus denſata ſunt, frixa verò mali ſucci difficile concoquuntur, ſecum etiam admixtos cibos corrumpunt.* Mauritani, nutrimentum mirificè celebrant quod

oua mollia & recentia ſuppeditant, genituram vberem parere aiunt, Veneremque incitare. Simeon Sethi, proprietate quadam peculiari, bonum ingenium, & εὐφυΐαν περιποιοῦσι, τοῖς μετὰ νάματος θυγατέρων ταύρων. καὶ βουτύρου συνεχῶς ἔδωδοῦσι. ſiue, bonam habitudinem efficere iis, qui cum fonte ſiliarum Tauri, ſiue cum melle, & butyro aſſiduè eſitauerint.

LVDOVICI NONNI MEDICI

DE RE CIBARIA LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Arabes pauca de Piſcium alimento. Scripſerum vulgus malè de illis iudicat.

DE alimentis quæ quadrupedes & volucres nobis præbent, abundè ſuperiori libro diximus. Supereſt de illis diſſerere, quæ Aquatilia non parca manu ſubminiſtrant. florentibus honeſtis ſtudiis apud Gręcos & Romanos: nõ defuere decora ingenia, quæ exactã de Piſcium natura, & ſalubri illorum alimento doctrinam poſteris tradidere: vt ex ſcriptorum fragmentis conſtat, quæ paſſim ab Atheneo libris Diphnoſophiſtarum citantur. Sed per eruptiones Barbarorum, euerſo Imperio Romano; Bonæ artes in exilium pulſæ, & clariſſimorum ingeniorum monumenta penè extincta fuere. ſub Arabum dominatione inceperunt pauliſper reuiuiſcere: cõuerſis enim in patrium ſermonem, illuſtrium Philoſophorum & Medicorum libris, præclari inter illos viri exorti, Auicenna, Rhaſes, Auerroes, Auenzoar, Halyabbas pluresque alij, qui

ſepultas penè litteras ſuſcitarunt. Sed illorum nemo Græcorum diligentiam aſſequutus, qui de alimentorū dote accuratè tradiderit, vel in ſalubrem Piſcium vſum inquiſiuerit: nā cùm Arabes vt plurimum Mediterranea loca, & valdè æſtuoſa, ac procul à mari ſita incolerent, vbi plerumque Piſcium inopia; non fuit illis curæ adeò exactè de illorum alimento ſcribere, ac Græcis, quibus circumfuſum vndique mare, inexhauſtam Aquatilium copiam præbebat; hinc illorum aſſeclæ, piſcium eſum paulatim neglexere. vulgus verò adeò ſiniſtrè de illis iudicauit, vt ex ſalubri Diæta penè illos expunxerint: qua de cauſſa, lubet maiori diligentia argumentum hoc examinare, & in ἰχθυοφαγίαν exactius inquirere, quod nec iniucundum, nec inutile legentibus fore arbitror. Iuuabit enim ſcire, exactam antiquorum diligentiam in re piſcaria; nam in omni pollucibili, dubiaque cœna, primum locum ſibi vendicabant piſces; nunc tamen.

O Sæclum inſipiens, & inficetum!

Penè à lautiorum menſis exacti ſunt, & ſi religione ſoluti eſſent animi, vix eſſet qui piſcem deguſtaret: nam vel ipſis quadragenis verni ieiunij diebus, in maxima piſcium optimorum copia: plurimi ſunt, qui ſpreta numinis reuerentia, & proculcata patrum religione, ad carnium eſum auidiſſimè cōuolant. Vtile autem erit, quia in ſanitate tuenda, ac ægrorum ſalubri victu, piſces olim primum gradum tenebant: hodie verò piaculum videtur ægrotanti piſcem offerre, nec vulgus tantum, praua hac opinione eſt imbutum, ſed medentium plurimi illos, etiam auerſantur,

——— velut illis

Canidia afflaſſet, peior Serpentibus Afris.

Quare vt ſiniſtram hanc de piſcibus conceptam opinionem, multorum animis euellam: oſtendam, & lautiſſimum & ſaluberrimum illorum eſum, ab omni antiquitate habitum fuiſſe. Sed priuſquam preſſius hoc argumentum proſequar, non abs re me

re me facturum puto, ſi quali in honore, quondam piſces apud Græcos & Romanos fuerint, primò explicauero; ne in poſterum illos, tanquam viles & inſalubres, aliquis cum ſupercilio deſpiciat.

CAPVT II.

Sanctimoniæ cauſſa piſcibus abſtinuère Ægyptij, Syri, Græci. Iuuenali lux data. Piſces pro Diis culti. Arnobius illuſtratus. Aretæus de Syriacis & Ægyptiacis vlceribus, contra Caſaubonum explicatur.

QVi religioſius inter veteres numina colebant, pietatis ac abſtinentiæ cauſſa, à piſcibus veluti à re ſacra, & nimis lauta ſibi temperabant; vnde & Pythagoræ Symbolum fluxiſſe reor, ἰχθύων μὴ γεύεσθαι. *Piſces non guſtato*; quem ritum plures populos obſeruaſſe, notat Plutarchus lib. VIII. Sympoſiacorum quæſtione VIII. ὅθεν οὐ παρ' Αἰγυπτίοις μόνον, οὔτε Σύροις ἀλλὰ καὶ παρ' ἕλλησι, γέγονεν ἁγνείας μέρος ἀποχὴ ἰχθύων. *Itaque apud Ægyptios non ſolùm, neque Syros, ſed etiam apud Græcos, ſanctimoniæ pars erat piſcibus abſtinere*: de Ægyptiis etiam apertè Herodotus in Euterpe, ἰχθύων δὲ οὔ σφι ἔξεστι πάσασθαι, *nefas eſt illis piſces guſtare.* Multi enim illos pro numine colebant. Iuuenalis Satyra XV. de Diis Ægyptiorum.

Illic Cæruleos, hic Piſcem fluminis, illic
Oppida tota Canem venerantur, nulla Dianam.

Sed quidnam illud, *Illic Cæruleos*; Vulgaris eſt non modò opinio, ſed & eruditorum quorundam, marinos piſces intelligi, quos Ægyptiorum quidam colebant, non ſecus ac alij Piſces patrij fluminis, ſeu Nili, quales ſunt, Lepidotus, Oxyrinchus, Latus & Anguilla. Ego tamen non poſſum illis aſſentiri, nam præterquam quod inſolita ſit locutio, Cæruleos pro piſcibus

marinis accipere; doceant quos pisces marinos Ægyptus vnquam coluerit? nullos dabunt. Quare cum Ioanne Brodeo, cõsummatæ doctrinæ Viro, potius legam, quamuis reclamet Turnebus, *Illic Æluros.* i. Feles, quia Ægyptiorum nonnulli Felem, alij Piscem, alij Canem, alij alia monstra colebant, quod præter Herodotum & Strabonem, testatur Cicero lib. 1. de natura Deorum. *At verò ne fando quidem auditum est, Crocodillum, aut Felem, aut Ibim violatum ab Ægyptio.* Poëta etiam, cùm præcipua Ægyptiorum numina hac Satyra exagitet, nusquam Æluri mentionem facit; nisi in hoc versu.

Herodotus adhuc clarius Pisces memorat, quos miseri illi colebant. νόμιζουσι δὲ καὶ τῶν ἰχθύων τόν καλεύμενὸν λεπιδωτὸν, ἱερὸν εἶναι, καὶ τὴν ἔγχελην. *arbitrātur & piscium aliquos sacros esse, vt Lepidotum & Anguillam*, quo loco notandum malè ab interprete verti λεπιδωτὸν *Squammosum*, cùm proprium nomen Piscis sit, teste Athenæo; refert Strabo lib. XVII. ciuitatem esse Oxyrinchum, in qua Oxyrinchus piscis colitur peculiari templo. καὶ τοι καὶ τῶν ἄλλων αἰγυπτίων, κοινῆ τιμώτων τὸν ὀξύρυγχον. Plutarchus libro de Iside & Oriside, refert sua ætate, graue bellum exarsisse in Ægypto, quòd Cynopolitæ, piscem Oxyrinchum edissent: è contra etiam Oxyrinchitæ, Canem. Lucianus verò Dialogo de Astrologia, dicit Ægyptios, qui piscium signum obseruauerant, piscibus non vesci; nec Hircum mactare qui Capricornum viderant. Syros verò etiam piscium abstinentes fuisse, auctores varij affirmant: caussam vetus Scholiastes ad Arati Phænomæna explicat, de Piscium signo. οἳ τινες Δέρκην τῆς Ἀφροδίτης θυγατέρα, ἐμπεσοῦσαν εἰς θάλασσαν ἔσωσαν, ὅθεν εἰς τιμὴν τῆς θεᾶς οἱ Σύροι ἰχθύων ἀπέχονται. *Pisces, Dercen* (melius Derceto) *Veneris filiam in mari lapsam seruarunt, quare in Deæ honorem Syri piscibus abstinent.* Nigidius verò, hos pisces, refert in flumine Euphrate fuisse, ibique ouum inuenisse miræ magnitudinis, quod voluentes, in terram eiecerunt, atque ita columbam insedisse; atque post aliquot dies exclusisse Deam Syriæ, quæ vocatur Venus; Iouem

uem verò, inter duodecim Zodiaci ſigna piſces intuliſſe; Vnde quoque hodie, Syri piſces non edunt. Huc etiam reſpexit Arnobius lib. I. *Tyndaridæ Caſtores, equos vnus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexſuperabilis cæſtu: Tiſianes & Bocores Mauri: & ouorum progenies Dij Syri. Apis Peloponeſi proditus, in Ægypto Serapis nuncupatus.* Ita enim legendum monuit Doctiſſimus vir P. Heribertus Ros-Weydus Societatis IESV, (cuius in Arnobium obſeruationes, nimis dudum literarum cupidi efflagitant.) Nam vulgata lectio habebat, *Et ouorum progenies Dioſcuri.* quod prorſus eſt ineptum. de illis enim ſupra dictum, *Tyndaridæ Caſtores, equos vnus domitare conſuetus.* Plutarchus aliam huius rei cauſſam tradit, quod Syri piſcem venerentur, vt cognatum, ac vnà educatum: ſiquidem ex humida ortum natura hominem, veluti piſces cenſebant: probabilius Anaximandro philoſophati, qui homines fabulabatur in ipſis piſcibus principio innatos: quare ne patrem, matremve vorarent, ab illorum eſu eſt dehortatus. Alij verò pro Diis cultos piſces à Syris ferunt. Cicero lib. III. de natura Deorum, *Piſcem Syri venerantur.* Xenephon libr. I. ἀναβασεώς, de Chalo amne. πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων, καὶ πρᾳέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων οὐδὲ τὰς περιστεράς, *multitudo ibi magnorũ ac manſuetorũ piſcium, quos* Syri *pro Diis habent. neque lædi eos patiebantur, ſicuti neque colũbas.*

Ouidius verò II. Faſtorum, refert Venerem, cum Typhonem fugeret, ſe cum Cupidine in Euphratem miſiſſe.

Nec mora proſiliit; Piſces ſubiere gemelli,
Pro quo nunc dignum Sydera nomen habent.
Inde nefas ducunt, genus hoc imponere menſis,
Ne violent timidi Piſcibus ora Syri.

Non fruſtrà autem timidos Syros vocat, verebantut enim ne ſi Piſcibus veſcerentur, à vindicta Deæ Syriæ membra intumeſcerent, & vlceribus ſcaterent. huc reſpexit Martialis lib. IV. Epigr. XLIII.

Iuro per Syrios tibi tumores.

quod

quod etiam Persius Satyra v. visus est tangere.

Incussere Deos, inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustauerit alli.

Isacus Casaubonus notis suis ad hunc Persi locum. *Syri, inquit, atque Ægyptij obnoxij erant vlceribus tetris, quæ Ægyptiaca ac Syriaca vocata dicit Aretæus lib. de Acutis morbis cap.* IX. Sed fallitur vir magnus, agit enim Aretæus non de vlceribus quæ corpus extrinsecus occupant, quæ Syri sibi ab irata Dea Syria immitti credebant. sed agit ibi, de Tonsillarum pessimis vlceribus, quæ cum in Syria, ac Ægypto, propter regionis & ciborum naturã frequenter oriuntur: Ægyptiaca & Syriaca auctor nuncupauit. Tonsillarum autem hæc vlcera, adeò maligna erant, vt paucis diebus ægrum occiderent. quare etiam ab Aretæo inter acutos morbos referuntur. Plutarchus libro de superstione, Deam Syriam, eorum qui Apuas & Menides pisces comederint, τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ. *tibiarum anteriora corrodere, corpus vlceribus implere, & iecur colliquefacere* putabant. Menander etiam Comicus apud Porphyrium lib. IV. refert Syros, cùm per intemperantiam Pisces comederint, pedum & ventris tumore corripi propter spreti numinis iram. Itaque Aretæi Syriaca & Ægyptiaca vlcera, nihil ad illa, quæ ab irata Dea Syria ob violatam religionem immittebantur, erantque in externis partibus corporis, omnibus conspicua.

CAPVT III.

Pisces sacri. Peculiaribus Diis consecrati. Sacrificiis adhibiti. Ludi Piscatorij. Volcanaliæ. Fulmina pisce expiata. Auguria ex illis capta.

NOn Ægyptiis solùm vel Syris, sacri fuere pisces; sed etiam alibi gentium; quamuis minore insania culti. M. Varro

Varro grauissimus auctor, lib. III. rei rusticæ, refert in Lydia sacros pisces se vidisse.

Proinde sacri illi pisces, ac sanctiores quàm illi in Lydia, quos sacrificanti tibi Varro, ad Tibicinem Græcum, gregatim venisse dicebas ad extremum littus, atque aram, quod eos capere auderet nemo. Pausanias in Achaicis, commemorat Pharis, esse aquam Mercurio sacram, cuius piscibus incolæ parcunt: quòd Deo sacros existimant. Non fuit satis hoc antiquitati credere, nisi & numinis metum, sacrilegis inijceret. Diodorus enim Siculus lib. VI. Bibliothecæ, memorat neminem vnquam sacros Arethusæ pisces impunè violasse, vel vrgẽte licet necessitate, quin numini paulò pòst meritas pœnas dedisset; Pausanias in Laconicis, de oppido Augiæ, ἐν ταῦτά ἐστι μὲν λίμνη καλουμὲν ποσειδῶνος, ἔστι δὲ ἐπὶ τῇ λίμνῃ ναὸς, καὶ ἄγαλμα τοῦ θεοῦ, τοὺς δὲ ἰχθῦς δεδοίκασιν ἐξ αἱρεῖν τὸν θηρεύσαντα, ἁλιέα γενέσθαι λέγοντες ἐξ ἀνθρώπου. *Est ibi stagnum Neptuno sacrum, in quo templum & Dei Simulacrum est, pisces verò inde qui extrahere audet, ex homine fama est in marina monstra verti.* Martialis refert Libym piscatorem, dum sacrum piscem hamo traheret, repentè luminibus captum fuisse: libro IV. Epigram. XXX.

Baiano procul à lacu monemus.
Piscator fuge; ne nocens recedas;
Sacris piscibus hæ natantur vndæ,
Quæ norunt Dominum, manumque lambunt,
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid? Quod nomen habent, & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.
Hoc quondam Libys impius, profundo
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus, repentè cæcus,
Captum non potuit videre piscem:
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator;

At tu dum potes, innocens recede:
Iactis ſimplicibus cibis in vndas,
Et piſces venerare dedicatos.

Peculiaribus etiam Dijs, varios piſces conſecrauit antiquitas: vt Apollini Citharum, Boaca Mercurio, Veneri Aphyam, Hecatæ Mullum, vel Mænam, vt auctor eſt Athenæus; alioquin inualuit apud ſuperſtitioſos tunc opinio, ſi quis Mænam, vel imprudens ediſſet, vt ab inſania ſibi timeret. Euſtachius in Homeri Iliada. Τῇ δ' αὐτῇ Ἀρτέμιδι, ταυτὸν δ' εἰπεῖν Ἑκάτῃ, καὶ μαινίδα θύεσθαι φασί, διὰ τὸ δοκεῖν μαινῶν αἰτίαν εἶναι τισιν, ὡς οἷον εἰπεῖν τοῖς σεληνιαζομένοις. *Ferunt Mænam Dianæ, quæ & Hecatæ eſt, ſacrificari quod Maniæ cauſſa illa videtur eſſe, quemadmodum de lunaticis fertur.* Plutarchus libro de Superſtitione, refert illos qui Mænam, aut Apuam ederint, ſibi perſuaſum habere, Deam Syriam eius crura corrodere, corpus vlceribus opplere, iecur colliquare.

Sed ne vlla in re cæteris animalibus piſces cederent, ſacrificijs etiam adhibitos inuenio; quamuis Plutarchus lib. VII. Symp. ſtrenuè neget. ἰχθύων δὲ θύσιμος οὐδείς, οὐδὲ ἱερεύσιμός ἐστιν. *Piſcium nullum immolari, nec vllo rem ſacram fieri.* Auctor eſt Athenæus lib. VII. ex Agathyrcide, Bæotos ſolitos eſſe, Anguillas Copaidas raræ magnitudinis, hoſtiarum modo coronare, aſperſaque mola ſalſa, cum precibus Dijs immolare; idem lib. VII. memorat, Sarpedonem Demetrij Ducem, piſces ſacrificaſſe ποσειδῶνι τροπαιῷ, *Neptuno auerſori*, quod hoſtem ſuum Tryphonem Apamæenſem, à quo victus fuerat, cum omnibus copijs, repentinis fluctibus obruiſſet, quibus plurimi permixti erant piſces; idem refert Ælianus ex Poſidonio lib. XIII. cap. LIII. quid? nunquid ſolebant olim piſcatores, poſt felicem retium iactum, quo tempore Thynnos ſectãtur, ſacrum Neptuno ex marina præda peragere; Thynnumque illi immolare? Theocritus verò in Berenice, Leucum piſcem ait ſacrificari vt felicem iactum faciant.

Αἴ τις ἀνὴρ αἰτεῖται ἐπαγρεσύνην τε καὶ ὄλβον

Ἐξ ἁλὸς ὧ ζωή. (τὰ δ' ἰχθύα κείνῳ ἄροτρα)
Σφάζων ἀκρόνυχος ταύτῃ θεῷ ἱερὸν ἰχθὺν,
Ὅν λεύκον καλεοῦσιν: ὁ γάρ θ' ἱερώτατος ἄλλων
Καὶ κε λίνα στήσαιτο, καὶ ἐξερύσαιτο θαλάττης
Ἔμπλεα,

Hominum ſiquis ad capturam felicem
Ex Mari, vnde vita eſt (quod aratum eſt alijs)
Huic Deæ ſi veſperi ſacrum piſcem immolet.
Quem Leucum appellant, eſt autem ei omnium ſacerrimus,
Proiectam in mari ſagenam extrahet plenam.

Sed ne cui Græcorum fides ſuſpecta ſit, Romæ etiam piſcibus ſacrificatum fuiſſe oſtendamus, ex Feſto Pompeio luculento ſcriptore, *Piſcatorij*, inquit, *ludi vocantur, qui quotannis menſe Iunio, trans Tiberim fieri ſolent à Prætore vrbano, pro piſcatoribus Tiberinis; quorum quæſtus non in Macellum peruenit, ſed fere in Aream Volcani. quod id genus piſciculorum, datur ei Deo pro animis humanis.* De piſcatorijs verò ludis audiamus Ouidium libr. VI. Faſtorum, qui tertio Nonis Iunij illos refert celebrari.

Tertia poſt Nonas, remouere Lycaona Phœbe
Fertur, & à tergo non habet Vrſa metum,
Tunc ego me memini, ludos in gramine campi
Aſpicere, & dici lubrice Tybri tuos.
Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt paruis æra recurua cibis.

Sed non poſſum ſatis mirari Ioſephum Scaligerum, ad Varronem lib. III. ſcribere, quod Volcanalibus piſcatores pro ſe animalia in ignem proijcerent, quod Varro lib. V. de lingua Latina ſcribat, *Volcanalia, à Volcano: quod ei tum feriæ, & quod eo die, populus pro ſe in ignem animalia mittit.* Volcanalia enim X. Kal. Sept. celebrabantur, Piſcatorij verò ludi menſe Iunio. Adde ludis piſcatorijs, piſciculos tantum in aream Volcani peruenire: Volcanalibus verò, animalia promiſcuè in ignem mitti.

 Ludi

Ludi etiam Piſcatorij, tantum pro Tyberinis piſcatoribus à Prætore vrbano celebrabantur. Volcanalia verò pro populo vniuerſo: nam hoc die populus pro ſe in ignē animalia mittit. Conſueuiſſe verò celebrari Volcanalia menſe Auguſto, Kalendarium vetus innuit. Ipſorum etiam fulminum expiatio, ex parte piſcibus procurabatur olim, Ouid. libro. III. Faſtorum de Ioue Elicio.

Cæde caput dixit: cui Rex, parebimus, inquit,
Cædenda eſt hortis eruta cæpa meis.
Addidit hic hominis, ſumes ait ille capillos,
Poſtulat hic animam, cui Numa, Piſcis erit.

Plutarchus in vita Numæ Pompilij, & genus piſcis explicat, καὶ κεραυνῶν καθαρμὸς μέχρι νῦν διὰ κρομμύων, καὶ τριχῶν, καὶ μαινίδων. *Fulgurum expiatio in hodiernum diem, cæpis, crinibus, & Mænis peragitur.* Auguria etiam ex piſcibus, non ſecus ac ex auibus, aut terreſtribus animantibus deſumpta. Plinius lib. IX. cap. XVI. *Sunt & in hac parte naturæ auguria, ſunt & piſcibus præſcita. Siculo bello ambulante in littore, Auguſto; piſcis è mari ad pedes eius exiliijt: quo argumento vates, ſpondere Neptunum patrem, adoptato tum ſibi Sexto Pompeio (tanta erat naualis rei gloria) ſub pedibus Cæſaris futuros, qui maria tempore illo tenerent.* Dion Caſſius idem lib. XLIX. narrat. ſed caſu hoc factum cauillabitur aliquis: non illud quod à Plinio lib. XXXI. cap. I. proditur, *Fons Lymiræ, tranſire ſolet in loca vicina, portendens aliquid: mirumque quod cum piſcibus tranſit; reſponſa ab his petunt incolæ cibo; quem rapiunt annuentes, ſi verò euentum negant, caudis abigunt.* Ælianus lib. XIII. cap. LX. ac Plutarchus lib. de Solertia animalium, narrant apud Suram, Lyciæ vicum, Sacerdotes eſſe ἰχθυομάντεις, qui ex vario piſcium motu, acceſſu, receſſuve, non ſecus ac Tireſias, aut Polidamas, ex auium volatu, futuros euentus prædicunt. ſed nimis fortè ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν quod aiunt; nunc ad carceres redeo, ac inſtitutum pergo vrgere.

CAPVT

CAPVT IV.

Obſonium per excellentiam de Piſcibus. Plurimùm illi æſtimati. Nomina inde familijs data : delicatorum nota Piſcibus veſci.

QVanti olim Piſces fecerint Græci, vel ex eo conſtare arbitror, quod cum obſonij nomine, quidquid cum pane edimus intelligi poſſet, vſus tamen obtinuit vt ſolus piſcis hoc nomine gauderet. Plutarchus lib. IV. Sympoſ. ὥς γὰρ πολλῶν, ὄντων ποιητῶν, ἕνα τὸν κράτιστον ἐξ αἱρέτως ποιητὴν καλοῦμεν: οὕτως πολλῶν ὄντων ὄψων ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθῦς, μόνων ἢ μάλιστα γε ὄψον καλεῖσθαι, διὰ τὸ πολὺ πάντων ἀρετῇ κρατεῖν; *quemadmodum enim ex multis Poëtis, vnum qui reliquis præſtat, eximio nomine Poëtæ afficimus : ita cum multa obſonia ſunt, piſcis tamen obtinuit, vt vel ſolus, vel præcipuè obſonium vocaretur, quia nobilitate reliquis omnibus multo antecellit.* Sic paſſim apud Scriptores ὀψοφάγοι dicuntur, non qui carnibus, fructibuſve lubenter veſcerentur, ſed qui piſcibus gauderēt. Quod Athenæus lib. VII. diffusè oſtendit. Sed exiguum hoc eſt, maius verò quod ab Æliano memoriæ proditum variarum hiſtoriarum lib. I. ἐν Ῥόδῳ, φασὶ, τὸν μὲν εἰς τοὺς ἰχθῦς ὁρῶντα, καὶ θαυμάζοντα αὐτοὺς, καὶ ὄντα τῶν ἄλλων ὀψοφαγίστατον, ἀλλὰ οὖν γε ὡς ἐθέλουν ὑπὸ τῶν δημοτῶν ἐπαινεῖσθαι, τὸν γε μὴν εἰς τὰ κρέα ἀπονεύοντα ὡς φορτικὸν, καὶ γάστριν διαβάλλουσι Ῥόδιοι. *In Rhodo, vt inquiunt, qui piſces in delicijs habent, horumque ſuauitatē admirantur, & omnibus reliquis obſonijs anteponit, eum populares quaſi liberalem commendant, quibus verò carnium eſus magis arridet, hos agreſtes & ventres, calumniæ cauſſa vocant.* Viden' quanto ibi honore ἰχθυοφάγοι. Sed nihil ad Romanos, qui ad inſaniam piſcium ſtudio flagrarunt, non enim lautitiarum tantum fundū in illis reponebāt, ſed familiarum inde cognomina, pudēdum dictu, ab illis deſumpsêre. Columella lib. VIII. cap. XVI. *Iam enim celebres erant deliciæ propinales, cum ab mari deferre-*

rentur viuaria, quorum ſtudioſiſſimi, veluti antea deuictarum gentium, Numantinus & Iſauricus: ita Sergius Orata, & Licinius Muræna, captorum piſcium lætabantur vocabulis. M. Varro iam pridem, hoc conqueſtus fuerat lib. III. rei ruſticæ cap. III. *Sic noſtra ætas luxuriam propagauit, leporaria, ac piſcinas protulit ad mare: & in eas pelagios greges piſcium reuocauit. non propter hoc Sergius Orata, & L. Muræna!* magna enim Romæ erat Ganeonum frequentia, qui profuſis ſumptibus mare penè exhauriebant. Iuuenalis hoc diſertis verbis.

Atque ita defecit noſtrum mare, dum gula ſæuit
Retibus aſſiduis, penitus ſcrutante macello.
Proxima: nec patimur Tyrrhenum creſcere piſcem,

Hinc factum vt ἰχθυοφάγοι delicati haberentur. Plato vt euincerет Heroum magnam fuiſſe continentiam, dicit illos piſcibus vſos non fuiſſe, quamuis prope Helleſpontum caſtra metati eſſent. Idem innuit Eubulus Comicus.

ἰχθῦν δὲ ποῦ γ' ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκε γε τινὰ τῶν Ἀχαιῶν.

Piſcem vbinam comediſſe dicit Homerus, quempiam Græcorum. Immo quod magis mirum eſt neque molles illos Phæaces; neque mari circumfuſos Ithacenſes, piſcibus vſos fuiſſe vnquam prodidit, ſed ſolos Menelai ſocios, annonæ penuria coactos, in Pharo refert piſcationi ſe dediſſe, vt famem placarent, Odyſſea IV.

Αἰεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμωνοι ἰχθυάασκον
Γναμπτοῖς αγκίστροισιν, ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός.

Semper enim circa inſulam ſocij errantes piſcabantur curuis hamis, domabat verò ventrem fames. Idem de Vlyſſis ſocijs refert Odyſſea μ cuius rei non ignarus Horatius epiſtola ad Iccium.

Verum ſeu piſces, ſeu Porrum & cæpe trucidas.

Piſces ponit pro lautiſſimo obſonio, porrum & cæpe, pro plebeio & vili. Ouidius etiam VI. Faſtorum priſci ſæculi frugalitatem, his verſibus commendat, de Dea Carna.

Priſca

Prisca Dea est, aliturque cibis quibus antè solebat,
Nec petit ascitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo, sine fraude natabat,
Ostreaq; in conchis tuta fuère suis.

CAPVT V.

De Piscinis veterum. Columella, Plinius, Varro emendati. Pisces cicures.

CVm rei piscariæ adeo studiosi essent Romani, in id vnum præcipuè incubuerunt, ne vllo tempore, vel irato Neptuno, Lautitijs suis priuari possent. Quamobrem summa cura ἰχθυοτροφεῖα instituerunt, ac preciosissimorum piscium greges piscinis incluserunt; minus tamen hac in re Græcis laborandum fuit, quod vndique circumfusum mare, affatim squammosum pecus illis suppeditaret. Romani autem, quibus mare non ita vicinum erat, diligentiùs hanc partem excoluerunt. Duplex autem erat Piscina; dulcis, & maritima: Dulcis vetustior, quæ & Plebeia dicta, nullo postea in pretio fuit. Varro lib. III. rei rusticæ cap. III. *Quis habebat piscinam nisi dulcem, & in ea dũtaxat Squalos ac Mugiles pisces? quis contra nunc Rhinton, nõ dicit sua nihil interesse, vtrum ijs piscibus stagnum habeat plenum, an ranis,* Columella lib. VIII. c. XVI. *Nam & harum rerum studia, maiores nostri celebrauerunt adeo, vt etiam dulcibus aquis marinos clauderent pisces, atque eadem cura Mugilem Scarumque nutrirent, qua nunc Muræna & Lupus educantur,* Sed in mendo est manifesto auctor, quod Scarum dicat, dulci piscinæ inclusum à veteribus fuisse, nam peregrinus erat Italiæ littoribus, ad Tyberij Cæsaris ætatem, quare substituo ex Varrone, *Squallum*, plebeium piscem. Maritimæ verò Piscinæ, nobiles inprimis, ac in pretio erant. Varro. *Illæ autem maritimæ piscinæ nobilium, quibus Neptunus, vt aquam sic & pisces ministrat, magis ad oculos pertinent, quàm*

ad

ad Vesicam; & potius marsupium Domini exinaniunt, quàm implent; primum enim ædificantur magno, secundo aluntur magno, tertio implentur magno. Qua de caussa, idem mox talem piscinam Amaram vocat, ob impensæ magnitudinem; *quare nostra piscina mediterranea plebeia, dicitur dulcis, & illa amara.* Præcipui in hoc studio flagrabant L. Lucullus, Q. Hortentius Consulares, & L. Philippus qui non semel à Cicerone epistolis ad Atticum, Piscinarij vocantur, atque Tritones Piscinarum. lib. II. ad Atticum. *Si erit nebulo iste, cum his Dynastis in gratia, non modo de Cynico consulari, sed ne de istis Piscinarum Tritonibus poterit se iactare.* Primus verò Licinius Muræna, piscinis nobilitatem dedit, Plinius lib. IX. cap. LIV. *Eadem ætate prior Licinius Muræna, reliquorum piscium viuaria inuenit, cuius deinde exemplum nobilitas sequuta est, Philippi & Hortensij.* Sed supra omnes Luculli insanum studium eminuit. Varro. *Ad Neapolim, L. Lucullus postquam perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciprocæ fluerent: ipse Neptuno, non cederet de piscatu. factum esse enim, vt amatos suos pisces videatur propter æstus, eduxisse in loca frigidiora, vt Appuli solent pecuarij facere, quòd propter calores in montes Sabinos, pecus ducunt. in Baiano verò tanta cura ardebat, vt Architecto permiserit, vt suam pecuniam consumeret, dummodo perduceret specus è piscinis in mare.* De quo etiam Plinius. *Lucullus exciso etiam monte iuxta Neapolim, maiore impendio, quam villam ædificauerat, Euripum & maria admisit: qua de caussa Magnus Pompeius, Xerxem togatum eum appellabat*, Plutarchus à Stoico Tuberone nomen hoc illi inditum scribit. Quàm sumptuosæ verò hæ piscinæ fuerunt, vel ex eo constare arbitror, quod Columella referat, *Catonem, qui Luculli liberorum tutor fuit, grandi ære, sestertiûm millium quadringentorum, piscinas pupilli sui venditasse.* Plinius immane quantum hanc summam superat, *tricies*, inquit, *piscinæ à defuncto illo veniêre pisces.* Monstrum videtur solos pisces LXXV. millia philippicorum venijsse, nō credam Plinio. Sed quid illud, à defuncto illo

illo veniêre pisces, lego, *defuncto illo*, scilicet Lucullo, à Catone enim Vticensi venditi. Varro è contra lib. III. cap. II. multum hanc summam contrahit. *Age non M. Cato nuper, cum Luculli accepit tutelam, è piscinis eius quadraginta millibus sestertiis, vendidit pisces.* Nimis, inquam, angustè Varro; quid enim mille aurei sunt, cum piscis vnus aut alter 100. vel 200. aureis quandoque venierunt, legam lubens cum Columella, quadringentis millibus sestertiis. Efficiunt 12. millia philippicorum; quid enim illud grandi ære? nisi similis aliqua summa. Similiter in Plinio quadringenta millia legendum monent viri Doctissimi, Ferdinandus Nonius Pincianus, & Franciscus Massarius. Quod ne cui mirum videatur, refert Varro libro III. capite II. Ornithonem materteræ suæ, vno anno sexaginta millia reddidisse. Plinius etiam refert C. Hirtij villam propter piscium multitudinem quadragies sestertium veniisse, quod & Varro testatur capite XVII. sunt centum millia Philippicorum, vel aureorum, vt aliqui volunt. Sed ne quid ad luxum deesset, ingeniosa gula diuersis locis, diuersa piscium genera includebat. Valerius Maximus libro IX. capite I. de Sergio Orata. *Idem videlicet ne gulã Neptuni arbitrio subiectã haberet, peculiaria sibi maria excogitauit, æstuariis intercipiẽdo fluctus; pisciumque diuersos greges, molibus separatos includendo: vt nulla tam sæua tempestas incideret, qua non Oratæ mensæ varietate ferculorum abundarent.* Varro, *Plurisnam vt Pauseas, & cæteri pictores, eiusdem generis loculatas magnas habent arculas, vbi discolores sunt ceræ; sic hi loculatas habent piscinas, vbi dispares disclusos habent pisces.* Nobilis etiam fuit in Sicilia, Piscina, quam Acraganthini magno sumptu Geloni exstruxerunt, quæ ambitu suo septem stadia complectebatur; profundam cubitos viginti, in quam fluuitiales aquæ, fontiumque riuuli immitterentur, vt non solùm ad vsum, verùm etiam ad delicias pisces suppeterent, vt auctor est Diodorus Siculus, libro II. Sed nihil æquè Romanis erat in votis, quàm vt cicures pisces viuaria sua haberent,

& qui ex manu cibum caperent, Cicero lib. xx. epist. ad Atticum epist. I. *Nostri autem Principes, digito se cælum putant attingere, si Mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedunt: alia autem negligũt*. Plato etiam in lib. de regno, refert circa Nilũ, & regios lacus; esse qui pisces mansuefaciunt. Plinius lib. XXXII. cap. II. *è manibus vescuntur pisces, in pluribus quidem Cæsaris villis; sed quæ veteres prodidêre, in stagnis non piscinis admirati; in Eloro Siciliæ Castello non procul Syracusis, item in Labradij Iouis fonte anguillas, hæ & inaures additas gerunt*. Sed hoc mirandum, inclamatos pisces ad notam vocem venisse, Lucianus in Dialogo de Dea Syria. *Nomina quidem habent, & vocati inclamatiq; adueniunt*. Plinius lib. x. cap. LXX. *In piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire, quosdam singulos*; idem Martialis diserte lib. x. Epigr. XXX.

> *Piscina Rhombum pascit, & Lupos vernas:*
> *Natat ad magistrum delicata Muræna,*
> *Nomencalator Mugilem citat notum,*
> *Et adesse iußi prodeunt senes Mulli.*

Sed hæc fuere. nam quæ ætate nostra conspiciuntur passim piscinæ, nihil cum veterum commune habent, stagna enim verius sunt, in quibus aluntur fluuiatiles, aut lacustres tantum pisces, quales sunt Lucij, Cyprini, Bramæ, Tincæ, vel Anguillæ, quorum apud Romanos olim nec honos, nec vsus vnquam fuit. Siquidem illi, nobiles tantum ac generosos pisces, suis viuariis includebant, quorum pretia vigebant, nam viles ne captare quidem, nedum alere conducebat.

CAPVT VI.

De foro piscario. diuersum à foro Cupedinis. Tintinabuli sono, vel præconis voce venditi pisces. Leges piscariis fixæ. pretia immensa. ἀνθρωποφάγοι *pisces.*

SEd diutius nos Piscina habuit, quare ad Piscarium forum tempestiuum est venire, quod olim, Cupedinis forum vocatum

catum putat, Vir doctus ad Festum, idque ex Appuleio I. Miletiacorum. *Vt prius aliquid cibatui nobis prospicerem, forum Cupedinis peto, inque eo Piscatum opiparem expositum video.* Cùm enim forum Cupedinis sit, in quo Lautitiæ venderentur; primum autem in illis gradum, pisces obtinebant, ideo hoc forum piscatorium putabat. Sed poterant pisces in foro Cupedinis vendi quidem, vt aliæ res lautæ: tamen Piscarium forum, aliud fuit à foro Cupedinis; locis enim distincta fuere, teste Varrone libro IV. de lingua Latina. *Secundum Tiberim ad Iunium, forum Piscarium vocant: ideo ait Plautus, apud Piscarium, vbi variæ res; ad Corneta forum Cupedinis.* Sextus Rufus & P. Victor, in diuersis vrbis regionibus hæc fora collocant. forum enim Piscarium in VIII. vrbis regione, forum verò Cupedinis in IV. regione erat, nam Corneta erant inter viam Sacram & Macellum, & ibi forum Cupedinis. P. Victor etiam, vbi XVII. fora numerat, Cupedinis & Piscarium, tanquam diuersa nominat; postea tamen obliterata fuerunt hæc fori nomina, & unicum Macelli nomen remansit. Varro, citato loco, *Hæc omnia postquam contracta in vnum locum, quæ ad victum pertinebant; & ædificatus locus, appellatum Macellum, vt quidam scribunt, quod ibi fuerit ortus, alij quod ibi domus fuerit cui cognomen fuit Macellus, quæ ibi publicè diruta, è qua ædificatum hoc, quod vocatur ab eo Macellum.*

Sed nunc visamus, quo pacto ibi pisces veneant. Apud Græcos moris erat, nola vel tintinabulo ὀψοφάγους in forum conuocare, ad piscium venditionem: vt quam recentes venire possent. Plutarchus libro IV. Sympos. quæst. IV. ἀλλά τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπώλιαν ἐνδιδόντας, καὶ τοῦ κώδονος ὀξέως ἀκούοντας. *Sed qui subinde in foro piscario versantur & tintinabulum celeriter exaudiunt.* Strabo lib. XIV. de Iasiis, κιθαρῳδοῦ γὰρ ἐπιδεικνυμένου τέως μὲν ἀκροᾶσθαι πάντας, ὡς δ' ὁ κώδων κατὰ τὴν ὀψοπωλίαν ἐψόφησε, καταλιπόντας ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸ ὄψον. *Cum citharœdus artis suæ periculum faceret publicè, tantisper ab omnibus auditus fuit, dum tintinabulum signum venditionis piscium*

daret, eo audito, vniuerſos ad piſces diſceſsiſſe. Alibi verò per præconem hoc factum inuenio, ac vocis miniſterio contentos, abſtinuiſſe à nola, Iuuenalis Satyra IV.

Iam princeps Equitum, magna qui voce ſolebat
Vendere municipes, fracta de merce Siluros.

Romæ etiam in vſu fuit, piſcium gerulos magnis clamoribus ac curſim incedere, ne conferta turba properantibus, impedimento eſſet. Seneca hoc nimis graphicè explicat, lib. III. quæſt. naturalium cap. XVIII. *Mirabamur tantum in illis eſſe faſtidium, vt nollent attingere, niſi eodem die captum piſcem; qui vt aiunt, ſaperet ipſum mare: ideo curſu aduehebatur, ideo gerulis, cum anhelitu & clamore properantibus, dabatur via.* Leges etiam repperio ab obſonomis præſcriptas, vt piſcariorum fraudibus obuiam iretur; ac pretiis modus aliquis ſtatueretur. Cautum enim erat ne ἰχθυοπῶλαι ſederent, vt ſtandi tædio, laſſitudineque confecti, quàm recentiſſimos venderent piſces; Ariſtonici hoc inuentum ſcribit Alexis Comicus.

Νυνὶ τε καινὸν εἰσφέρει νόμον τινὰ
Χρυσῦν. τὸ μὴ πωλεῖν ἔτι καθημένυς
Τῦς ἰχθυοπώλας, διὰ τέλυς ἑστηκότας.

Nunc autem legem quandam edixit, nouam auream; ne ſedentes vendant piſcarij, ſed recti ſtent perpetuo. Vetitum item fuit, piſcibus aquam affundere, ne ſcilicet in multos dies illos poſſent ſeruare, ac pro ſua libidine pretium augere. Xenarchus Comicus,

Ἐπὶ γαρ αὐτοῖς οὐκ ἔτ᾽ ἔσ᾽ ἐξυσία
Ῥαίνειν, ἀπείρηται δε τῦτο τῷ νόμῳ.

Nam quia piſces illis non licet aqua rigare, legibus enim vetitum id fuit. Sed nullæ leges contra vaframenta illorũ valuerunt, quin potius illis irritati, piſciũ pretia in dies intẽderent, rati hoc eſſe ganeæ veriſſimum incentiuum; non enim æſtimabant gulæ proceres, appoſitas dapes ſapore, ſed ſumptu. Apuleius I. Miles: *& percontato pretio, quod centum nummis indicaret, viginti denarios præſtinaui;* ſic & paulò inferius, Ædilis Pythæas piſcarium

ſcarium obiurgat, *quid tam magnis pretiis piſces friuolos indicatis? & florem Theſſaliæ regionis, inſtar ſolitudinis, & ſcopuli, eduliûm caritate deducitis*. Non fruſtra olim Cenſorius Cato, publicè conqueſtus fuit, vt ex Polybio refert Plutarchus, *Non poſſe ſaluam eſſe vrbem, in qua pluris piſcis, quàm bos veniret*: immò frugi tunc ſæculum ac triparcum, ſi cum poſterioribus comparetur; quo tempore pluris vnum piſcem, neque magnum quidem, quàm decem boues veniſſe conſtat; teſtis eſt Plinius, *Aſinium Celerem Conſularem, Mullum vnum mercatum eſſe, octo millibus nummûm*. Ducenti noſtri ſunt philippici, immane pretium, & contra argentum expenſus piſcis. Comici etiam Græci paſſim indignantur, piſces ἶσον ἴσω vendi. Diphilus.

Γόγγρον μὲν ὥσπερ Πρίαμος τὸν Ἕκτορα,
Ὅσον εἵλκυσεν, τοσοῦτο καταθεὶς ἐπριάμην.

Ac Congruum quidem, veluti Priamus Hectorem, quantum pendebat, emiſſem præſenti pecunia. Sic Alexis queritur, piſcarios regia planè vectigalia exigere, & ementium facultates decimare, Anthiphanes.

——— ἐὰν ἴδω γὰρ ἡλίκον.
ἰχθῦν, ὅσου τιμῶσι πήγνυμαι σαφῶς.

Nam ſi video quantulum piſcem, quanti æſtimant, obrigeſco planè. Qua de cauſſa nobiliores piſces ἀνθρωποφάγοι Anthiphani Comico dicti, quod ſcilicet impenſæ magnitudine, opes Lurconum abſumerentur, vt Euſthatius auctor eſt Odyſſea μ. διὰ τὸ πολυδάπανον τῶν ἐξωνουμένων αὐτούς, propter ingentes ſumptus, qui faciendi ſunt, ſiquis illos volet emere, non abſimile eſt, quod in Calliodorum Martialis ſcribit lib. x. Epigr. XIII.

Exclamare libet, non eſt hoc improbe, non eſt
Piſcis, Homo eſt, Hominem Calliodore voras.

Sed de his, plura ſuis locis vbi nobiliores piſces producentur.

CAPVT VII.

Nullum celebre Conuiuium ſine piſcibus, Plautus explicatus, Nonius Marcellus emendatus. Marina omnia cur Salaciora. Tripatinum. Luſtrico die piſces dono mittebantur.

SEd vnde inſana illa pretia ac marinę prędæ immenſa caritas? præter nepotum frequentiam, qui perdito luxu patrimonia ſua decoquebant; Cænarum erat copia, quæ Macelli annonam egregiè cãdefaciebant, nullũ enim celebrius conuiuium, nulla ſplendidior cæna erat, in qua piſces non obtinerent primum locum, adeò vt ſummo iure, Xenocrates illos vocauerit σιτίων ἄθυρμα τοῖς εὐτραπέζοις, *ciborum ludos apud lautiores*; nec vltimis tantum ſæculis, cùm

——— *omne in præcipiti vitium ſtetit.*

Sed protinus iam ab vrbe condita, piſces marinos in vſu & pretio fuiſſe, auctor eſt Caſſius Hemina apud Plinium. Sed lubet per Satyram, ſolenniores tantum epulas, lectorum oculis ſubiicere; vt palam fiat vbique piſces prærogatiua quadam, cęnarum fundum fuiſſe. In nuptiis adhibitos fuiſſe, inter Græcos teſtatur Epicharmus, nobilis Poëta, cum nuptias Hebes deſcribit. Idem facit in Timone Antiphanes, ſed cui lubido eſt ſcire piſcium genera, à Poëtis illis deſcripta, Athenæum adeat. inter Latinos, Varro in fragmento Satyræ Sexageſis. *Tum Nuptiæ videbant oſtreas Lucrinas.* Plautus in Aulularia vbi de Euclionis filiæ Nuptiis.

Dromo deſquama piſces, tu Macherio
Congrum, Murænam, exdorſua quantum potes.

Idem in Caſina, in nuptiis Olympionis & Caſinæ

Olymp. In re preſenti ex copia Piſcaria
Conſulere potero quid emam: St. æquum oras, abi

Argen-

Argento parci nolo, obsonato ampliter:

Sed eadem Scena, cur senex amator, potissimum iubet

Emi Sepiolas, Lepadas, Lolligiunculas
Hordeias.

Ita enim malim cum Lambino legere, quam lepidas scilicet Sepiolas. Est enim ex testaceis Lepas, pari cũ Ostreis facultate; sic etiam Nonius Marcellus obiter est emaculandus. *Lopades genus conchæ marinæ, Plautus Parasito medicus, addite Lopades, Echinos, Ostreas.* Vtrobique enim legendum *Lepades.* Peritè, inquam, senex cibos nominat, qui nouo marito ad Veneris sacra benè obeunda, magis conducunt; nam vt Oribasius, Paulus Ægineta, aliique medicorum docent, mollis carnis pisces, ac testacea omnia, inter ἀφροδισιαστικὰ maximas vires habent. Non ignorauit hoc, eruditissimus ille rei culinariæ apud Antippum comicum.

——— μειράκιον ἐρωμένην
ἔχον, τὴν πατρῴαν οὐσίαν κατεσθίει,
τούτῳ παρέθηκα σηπίας, καὶ τευθίδας.

Si quis adolescens amicam habet, & patrimonium delapidat, huic appono Sepias, ac Lolligines. Antiquis enim persuasũ erat, marina omnia salaciora esse, quod è mari sit orta Venus. Vnde etiam Astrologi, libidini forè deditos præsagiunt, qui Pisces in Horoscopo habuerint. Manilius lib. IV. Astronomicon.

Scilicet in piscem sese Cytheræa nouauit:
Cum Babylonicas submersa profugit ad vndas,
Anguipedem alatos vngues Typhona ferentem;
Inseruitq; suos squamosis piscibus ignes.

Sed redeo vnde deflexi. Quid memorabo triumphales cænas piscium esu nobilitatas? Vnus C. Cæsar multorum instar sit, cui C. Hirrius sex millia Murænarum mutuo appendit teste Plinio; quantum hic aliorum piscium copiam fuisse dicemus, vbi tantus Murænarum numerus fuit. De aditialibus cænis quid attinet dicere, laterculum Pontificiæ cœnæ Metelli, id abun-

abundè apud Macrobium lib. III. cap. III. explicabit. Vnus L. Vitellius fratri Imperatori, maximo helluoni, in aduentitia cæna, duo millia lectissimorum piscium dedit, vt auctor est Suetonius; vbi hæc lego, frugalitatem ac paupertatem nostrorum Regum, nec laudare, nec admirari desino; sed vt semel tandem absoluam, maximæ olim cænarum deliciæ erat Tripatinum. Plin. lib. XXXIII. cap. XII. *Tripatinum*, inquit, *Fenestella, appellabatur summa cænarum lautitia; vna erat Murænarum, altera Luporum, tertia Myxonis piscis, inclinatis iam scilicet moribus.* De quibus mox fusius suis locis. Solemnem etiam lustricum diē quem ἀμφιδρομία Græci indigetant, moris erat priscis, piscibus exhilarare. Suidas. Ἀμφιδρομία, ἣν πέμπτην ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν. ἐν ᾗ ἀποκαθαίρονται τὰς χεῖρας, αἱ συνεφαψάμεναι τῆς μαιώσεως, τὸ βρέφος περιφέρουσι τὴν ἑστίαν τρέχοντες, καὶ δῶρα πέμπουσιν οἱ προσήκοντες ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον πολύποδας καὶ σηπίας.

Quintus ab ortu infantis dies est, quo manus purgant, quæ partum adiuuerunt, & infantem cursim circa ædes ferunt, dona itaque cognati mittunt, Polypodes plerumque & Sepias. Eubulus comicus.

> Ἀμφιρομίων ὄντων ἐν οἷς ὀνομάζεται,
> ὁμοῦ τε χναύειν μαινίσι σηπίδια,
> Πιλοῦν τε πολλὰς πλεκτάνας ἐπισελφῶς.

Cum celebrantur Amphidromia, in quibus mos est simul & ligurire Mænidas, cum Sepiolis, Polypodum multa flagella congerere. Idem Ephippus in Geroyne apud Athenæum lib. IX. ad verbum repetit.

CAPVT VIII.

Pisces salubrem esse victum probatur. De Ichthyophagis multa. Pisces minus terrestribus ægrotant.

SAtis superque hactenus, nisi fallor, inter veterum lautitias, primū gradum obtinuisse pisces ostēdi: nunc verò salubrē illorum esse esum, incumbit docere, nec solum in προφυλακτικῇ

τικῇ seu sanitate tuenda, sed etiam θεραπεύτικῃ seu morborum curatione, locum habuisse non erit difficile monstrare. Xenocrates apud Oribasium, magnum vsum ad salubrem victus rationem, præstare pisces auctor est. Plutarchus verò IV. Symp. quæst. IV. καὶ μὴν τάγε ἀλλὰ θαλάττης ὄψα, πρὸς τῷ ἡδίστῳ καὶ τὸ ἀβλαβέστατον ἔχει. κρεώδη γάρ ἐστιν, οὐ βαρύνει δὲ ὁμοίως ἀλλὰ, καταπέπτεται καὶ διαφορεῖται ῥαδίως. *Nam & marina obsonia præterquam quod sint suauissima, maximè etiam sunt innoxia, nam & carnosa sunt, & non perinde vt carnes grauant, sed facilè concoquuntur & digeruntur.* Sed hoc scire iuuat, non indiscriminatim, cuiuis vitæ generi conducere hunc cibum; non enim Athletis, non militiæ adsuetis, non rusticis laboribus occupatis conuenit; talibus enim, cum multo crassoque sanguine indigẽt, qui & copiosè nutriat, & tardè discutiatur, expedit solidior cibus, ex Bubula, Suillaque carne, tritico ac legumentis; quo validis exercitijs, assiduisque laboribus possint sufficere. Sed qui forensem vitam, qui otia, ac studiorum amœna sectantur, summa cum vtilitate piscibus vescuntur. testatur hoc Galenus lib. III. de aliment. facultat. cap. XXIX. *Piscium alimentum, hominibus otiosis, senibus imbecillis, & ægrotis est commodissimum, qui verò corpus exercent, cibos postulant firmiores.* Confirmat hoc idem Auctor lib. de attenuante victus ratione capite VI. *Qui vitam in maiori otio, ac quiete degunt; ijs, non modò à suum esu, est temperãdum, verumetiam à siluestribus; abundè enim fuit eis, auibus montanis, & piscibus saxatilibus, vt puta Iulide, Phuca, Merula, Turdo, Scaro, & in summa, omnibus quæ carnem habent mollem, simul & friabilem: ab alijs verò, quæ duram habent vel lentam, omnino eis est abstinendum.* Præter Galenum verò idem asserit Simeon Sethi, inter recentiores Græcos non spernendæ auctoritatis, qui imperante Michaële Duca vixit: is libro de alimentorum facultatibus. ὠφελοῦσι γὰρ οἱ δηλωθέντες ἰχθύες τοὺς ἀγυμνάστους, καὶ τοὺς τὴν δύναμιν ἀσθενεῖς, καὶ τοὺς ἀνακομιζομένους ἀπὸ νόσου. *Conueniunt iam dicti pisces, otiosis hominibus & non robustis, & à morbo conualescentibus.* Sed cùm nihil sit quod secundam valetudinem

æquè tueatur, quam bonus ac laudabilis ſanguis, qui noſtri corporis partes nutrit; qualis eſt qui inter craſſum, & ſeroſum medius eſt; hunc ex bonis piſcibus in primis ſuppeditari auctor eſt Galenus libro III. de aliment. facultat. capite XXV. *Laudatiſsimus verò ſanguis eſt, qui inter craſsū & ſeroſum exactè medius eſt, qui fit ex pane optimè præparato, & animalibus volucribus, Perdice ſcilicet alijſque id genus: quibus ex marinis piſcibus pelagij ſunt propinqui.* Cum itaque laudabile adeo alimentum, piſces corpori noſtro præbent: quis erit deinceps tam ceruicoſus, vt illos ex ſalubris alimenti decuria expungat, aut menſis noſtris excludet? & non potius priſtinum illis primumque locum reſtituet. Et ne paucorum tantùm medicorum rationibus agam; lubet vetuſtatis tabularia introſpicere, & gentium aliquot conſenſu, verbis meis fidem ſtruere. Occurrent plures nationes, quæ ſolis piſcibus, ſaluberrimè ætatem egerunt, vnde ἰχθυοφᾶγοι dicti; cum è contra nuſpiam κρεοφαγους legimus vocatos. Grauis auctor eſt Strabo Geographiæ libr. XV. prope Geodroſiam Ichthyopaghorum eſſe nationē, quæ non ſolùm piſcibus pro obſonio ac pane veſcebatur, ſed quod magis mirere. τοῖς δ' ἰχθύσι χρῶνται, καὶ αὐτοὶ καὶ θρέμματα, καὶ τοῖς ὀμβρίοις ὕδασι καὶ ὀρυκτοῖς; καὶ τὰ κρεά δε τῶν θρεμμάτων ἰχθύων παραβάλλει. *Veſcuntur piſcibus, tum ipſi, tum eorum pecora, & aquas tum pluuias, tum foſsiles potant, pecorum verò carnes piſcibus præbent.* Poſtremum hoc mirum mihi viſum; plurimi enim populi piſcibus ſolis veſcuntur, ſed in carnium penuria: iſti verò Ichthyophagi, carnes adeo deſpiciunt vt piſcibus illas obijciant. Arrianus verò libro VIII. refert Nearchum multas Ichthyophagorum nationes detexiſſe, quæ etiam farinam ex aſſis piſcibus contritis parabant, vnde mox panes conficiebant; triticeo verò pane pro obſonio veſcebantur. D. etiam Hieronymus lib. II. aduerſus Iouinianum, *Ichthyophagi gens errans in littore maris rubri, ſupra petram, ſolis calore feruentes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant.* Plura de his curioſus Lector apud Diodorum Siculum lib. IV. & Philoſtratum

tum in vita Apollonij Thyanei lib. III. qui omnes populi in veteri instituto vitæ, ad Alexandri Magni tempora perdurarunt. Postea enim coacti victum mutare. Plinius lib. VI. cap. XXIII. *Ichthyophagos omnes, Alexander vetuit piscibus viuere.* Non satis illi fuit victricibus armis, Orientis populos sibi subijcere, nisi & mores ac viuendi normam, pro sua libidine illis præscriberet. sed ne antiquis his nimium immorer, ferunt auctores, circa promontorium Bonæ spei, Æthiopes habitare, qui ex piscibus, sole exsiccatis panes sibi conficiunt, frumenti penuria. Auctor est Petrus Bellonius libro I. obseruationum, plerosque Asiæ, & Græciæ populos, piscibus frequentissimè vesci, ac saluberrimè viuere. Quid dicam de Carthusianis Monachis, qui perpetuò carnibus bellum indixerunt, egregia tamen & firma valetudine vti? Sed ecce aliud salubritatis non spernendum indicium, Pisces natura sua citra morbos degere, adeo in confesso est, vt inter populares nostros, in Parœmiam abierit, dum aliquem Pancraticè valere dicunt, Pisce saniorem ferunt. Non enim morbis obnoxij viuunt, vt terrestrium pleraque. Oues enim Hydrope, & Tinea; Boues viscerum abscessibus, & Podagra tentantur. Capras febri & caduco morbo laborare, non obscuri auctores asserunt. Lepores & Porci lepra, Gallinæ varijs inflammationibus, Meleagrides & Coturnices, epilepsiæ sunt obnoxiæ; & ne Iliadem texam, enumerando singula, Pestis nunc in armenta, in has vel illas pecudes, nunc in volucres grassatur, in Pisces verò nunquam incidisse, auctor est Aristoteles lib. VIII. Historiæ animalium capite XIX. Si itaque adeo salubriter pisces degunt, cur non etiam fatebimur, illorum esum nobis salubrem fore? Nemo tamen suspicetur, me ita piscibus patrocinari, quasi omnibus conuenire iudicem, nec vllam noxam, ex illorum esu nobis affricari. Absit hoc à medico, cui morborum naturæ, & humani corporis temperies, perspecta sunt. Non enim ita conueniunt, quibus stomachus multa pituita obseptus torpet, quibus

Catharri molesti sunt, aut hydrops; ac illis qui multa bile scatent, qui Febre tertiana, alijsque affectibus ex caliditate aut siccitate ortis, afficiuntur, humidiores enim sunt pisces natura sua, quàm vt ijs affectibus conducant, quibus exsiccans victus ratio ex vsu est.

CAPVT IX.

Contrariæ opinionis argumenta, & illorum reiectio.

QVamuis salubrem piscium esum, tot illustrium scriptorum suffragijs probatum: necesse tamen est aduersæ partis argumenta refellere, quæ nimis altè multorum animis insiderunt. Non quod omnia in medium adducturus sim, sed pauca numero, robore verò præcipua.

Rhasis libro III. ad Almansorem capite XVI. dicit omnes pisces difficilis esse concoctionis, longo tempore in stomacho hærere, sitim inducere. Iulius etiam Alexandrinus magni nominis Medicus, libro XIV. salubrium, credit ex piscibus, verum nullum, simplicemque cibum, naturæ nostræ suppeditari; sed medicamentosum tantum: ideoque humano corpori, quando secunda fruitur valetudine, noxium inutilemque esse. Addit, piscium alimento, id vitij inesse, vt excrementitium valdè sit, concoctu sæpè contumax, tardi descensus ex ventriculo in intestina: facilè corrumpi: neruosis partibus maximè noxium: articulorum, podagricisque doloribus nocumentum præbens. Populari etiam opinione receptum est, sitim maiorem à piscium vsu inualescere; quod certissimum indicium est, putredinosæ illos esse naturæ, quæ in causa est, quod calorem præter naturam excitent in ore ventriculi, vnde sitis nascitur: nam cùm pisces ad frigidum humidumque temperamentum inclinant, ἄδηψοι natura sua essent; potiusque deberent sedare, quàm accendere sitim.

Sed

Sed vanas has eſſe rationes, nulliuſque momenti argumenta, facilè videbunt omnes, quibus veritas potius curę eſt, quàm partium ſtudia: nam prorſus rationi repugnat, piſces medicamentoſum cibum eſſe, ſiquidē teſte Galeno lib. I. de alimentorum facultat. cibus medicamentoſus manifeſta aliqua qualitate corpus alterat, vt lactuca, piper & ſimilia, quod in piſces cadere nemo ſanæ mentis aſſeret. Nulla enim manifeſta qualitas in illis eſt, quæ corpus noſtrum ſtatim alteret, quod de natura medicamentoſi cibi eſſe, diſertis verbis docet Galenus libro III. de temperamentis. *Quare rationabiliter, cibi id genus vtrumq; præſtet, & quod veluti medicamentum corpus noſtrum afficit, & quod nutrit. toto quidem concoquendi ſui tempore, vt medicamentum; vbi verò iam nutrit, ac prorſus eſt aſſimilatum, tunc nihil amplius in nos agit, ſed calorem noſtrum naturalem auget.* Quæ certè nemo de piſcibus aſſeret, non enim manifeſta qualitate ventriculum refrigerant, vt lactuca, vel intybus; hæc itaque conditio cùm illis deſit, nulla ratio poteſt euincere, vt medicamentoſus cibus dici debeat. Obijciunt porro, concoctu eſſe difficiles, excrementis abundare, ac tardè ex ventriculo deſcendere. Quæ tamen à vero maximè aliena ſunt, namque Galeno, Xenocrate, præcipuiſq; medicorum ſuffragantibus, nunc εὔχυμοι, nunc εὔπεπτοι, aliàs εὐκατέργαστοι, boni ſucci, facilis concoctionis, facilis digeſtionis paſſim dicuntur. Scio Lacuſtres piſces; atque Cœtacei generis, has noxas habere. Sed nobis ſermo eſt tantum, de laudatis piſcibus, quales ab omni vetuſtate fuerunt Saxatiles, Pelagici, alijque ſalubrioris notæ.

Quod verò vrgent, maiorem ſitim poſt piſcium eſum conſequi. Duplici de cauſſa id euenire arbitror, vel enim ex parte ſtomachi accidit; qui cum prauis humoribus refertus eſt, facili negocio piſces corrumpit, vnde maior calor excitatur: quo intus exæſtuante, neceſſe eſt ſitim ingruere. Sic oua & mel, quamuis laudata cibaria, in calidiori ſtomacho facilè corrumpuntur; altera cauſſa eſt, quod piſces ſolemus multo ſale,

aut varijs aromatibus condire, vt palato gratiores euadant, & vt nimiam illorum humiditatem castigemus; quæ cum stomachum exsiccent, atque calefaciant, non mirum est sitim maiorem excitari. Certè malè de humano genere meritus fuisset Galenus, alijque classici scriptores, si magnas hasce piscium noxas, imprudenter vel malignè præterijssent. Sed concludam tandem Galeni verbis lib. III. de Aliment. facultat. cap. XXVII. quæ omnes aduersariorum rationes subuertunt. *Alimentum quod ex piscibus sumitur, non modò ad coquendum est facile; sed hominum etiam corporibus est saluberrimum, vt quod sanguinem medium consistentia generet; medium autem voco, qui neque admodum tenuis, neque aquosus, neque vehementer crassus est.*

CAPVT X.

Cur Quadragesimali ieiunio, Ecclesia permisit piscium esum. Leonarthi Fuchsij & Nouatorum opinio exploditur.

CVm itaque piscium esus, adeò salubris ab omni antiquitate iudicatus fuerit; prudentissimo Ecclesiæ Catholicæ decreto constitutum reor, sacris Verni ieiunij diebus, illum Christianis permitti, carnium verò vsum interdici. Sed Nouatores nostri, quibus id vnum cordi est, veterum laudanda instituta antiquare: omnem mouerunt lapidem, vt imperito populo persuadeant, sanitati pernitiosos esse. Inter quos Leonarthus Fuchsius, non spernendus Medicus libr. II. Institutionum medicinalium capite IX. docet, nullo modo Verno tempore, piscibus esse vtendum; quia cùm Ver inter Hyemis immodicum frigus, & Æstatis immoderatos æstus vertatur, mediam etiam temperaturam obtinet; quare etiam tunc media victus ratione vtendum; non igitur tunc calefacientibus & siccantibus vt hyemali constitutione, nec refrigerantibus & humectantibus vt æstate, vtendum est, sed medio & magis tempe-

temperato alimento eſt opus; piſces autem cum frigidum & humidum corporibus noſtris ſuppeditent alimentum, magis Æſtati, quàm Veri congruent; carne igitur vitulina & hœdina, vtpote temperatis tunc potius veſcendum erit. Accedit, ventres Hyeme & Vere natura eſſe calidiſſimos, iuxta Hipocratis doctrinam, quare tunc minus ieiunandum, & pleniori cibo vtendum: ſed nouus hic Ariſtarchus, dum cornicum oculos vult configere; immane quantum cæcutiat. Nam cùm quatuor ſunt anni tempeſtates, vnicuique diuerſa victus ratio inſtituenda eſt, vt conciſa ſua breuitate monuit Hipp. 1. Aph.XVIII. *Æſtate & Autumno cibos difficillimè ferunt, Hyeme facillimè, Vere ſecundo loco.* Æſtate enim cùm per ambientis aëris immodicos æſtus, naturalis facultas languet, & calidum innatum diſſipatur, non poteſt ventriculus concoctionis munia fœliciter obire, quare minori quantitate cibus eſt dandus. Sed quia copioſa calidi innati fit difflatio, frequentiùs refici debent corpora, ſed in minori copia, aliàs debilitatus calor innatus, periclitaretur ſub copioſioris alimenti onere extingui. Autumno verò, quia ſuccedit Æſtati, & tempeſtas anni valdè eſt inæqualis, fit vt difficilius tunc cibos feramus: quare tunc etiam ſæpiùs alimentum eſt exhibendum, ſed in minori copia vt Æſtate. Hyeme autem, cum ob ambiens frigus, calor noſter minus exhalet, ventriculi tunc ſunt calidiores, quare cibos copioſiores bene ferimus, ac fælicius concoquimus: dandusque cibus eſt maiori in quantitate, & frequentiùs; quia calidum innatum auctius, pabuli maiorem copiam poſcit. Verno autem tempore, nec indigemus adeo multis validiſque cibis, ac Hyeme, quia non eſt tãta copia caloris in viſceribus, ac Hyberno tempore, nec adeo frequenter alimentum eſt dandum ac Æſtate, quia non eſt tanta diſſipatio caloris ac per æſtus ſolet contingere. Quare tunc temporis ſaluberrimus eſt piſcium eſus, quia propter ieiunium raro cibum capimus, ſed multum; opus enim eſt cibis vti, qui maiori quidem copia ingeran-

gerantur, vt calori aucto sufficiant, sed non multum nutriant, quales sunt pisces ac legumina; periclitantur enim tunc corpora ab humorum multitudine, qui tunc fundi incipiũt (quod discrimen plerique sibi cauentes, vel venam incidunt, aut medicamento purganti vtuntur) nam quod ex piscibus fit alimentum, cum non æquê validum sit, atque illud quod carnes suppeditant, minùs etiam periculi ex illorum esu, tunc temporis nobis imminet. Immò si verum est, quod Fuchsius asserit, mediam victus rationem adhibendam esse, temperatissimo tempori, quod inter duo extrema, Æstatem scilicet & Hyemem medium est; nulla victus ratio, illi, quæ ex piscibus petitur, prȩferenda est, siquidem, teste Galeno lib. III. de Alimentorum facultat. cap. XXVII. *Pisces sanguinem medium consistentia, generant; Medium autem voco, qui neque admodũ tenuis, neque aquosus, neque vehementer crassus est.* Accedit, plus illos nutrire fructibus Horarijs & leguminibus; minùs verò carnibus, quorum hæ magis Hyemi, illa Æstati conueniunt; ergo media est victus ratio, & quæ temperatissimo anni tempore conuenit.

Scio esse Viros doctos, qui credunt pisces permitti verno ieiunio; quod lento viscosoque succo sint præditi, qui diutius atque constantius calorem natiuum foueant, quàm terrestria animalia; ideoque durabilius pabulum suppeditare, vt longæ abstinentiæ commodiùs sufficiat. sed palam Galeno repugnant, qui lib. III. de Aliment. facultat. cap. XXV. dicit alimentum quod ex piscibus prouenit, sanguinem gignere consistentia tenuiorem, quam qui ex terrestribus animantibus sumitur, adeò vt non adfluenter nutriat, & celerius discutiatur. Nugantur ergo, qui pisces crassos, & viscidos humores, in nostris corporibus aiunt gignere, & mille alias noxas illis affingunt, vt imperitos ab illorum esu deterreant, & Ecclesiæ præceptum, sanitatis tuendæ specie infringant. Maiori certè religione Populus Constantinopolitanus sacros hosce ieiunij dies obseruauit; siquidem Cedreno teste, cum ex vitiosa Paschalis Festi suppu-

ſupputatione, clerus intempeſtiuè abſtinentiam carnis Populo indixiſſet. Iuſtinianus Imperator errore cognito, iuſſit vbique carnes proponi; quæ licet paſſim in Macellis proſtarent, nemo tamen illas emit aut guſtauit. Poſſet hoc exemplum Nouatoribus pudorem incutere; niſi illum iam pridem exuiſſent.

CAPVT XI.

Piſces in Ægrorum Diæta fuerunt.

ABundè hactenus demonſtratum, ſalubrem fuiſſe piſcium eſum, ac ſanis alimentum εὔχυμον ſuppeditare : nunc addendum, ægris etiam exhibitos paſſim à medicis fuiſſe; Plutarchus IV. Sympoſiacorum refert, Zenonem ac Cratonem conſueuiſſe, ægrotantes ante omnes alios cibos, ad piſces ablegare, veluti cibum leuiſſimum; nec carere ratione, quod mare ſaluberrima, ac elaborata corporibus noſtris alimenta gigneret, quando etiam nobis aërem tenuitate ac puritate reddit commodum. Hippocrates libro de affectionibus. ἰχθύες κοῦφον ἔδεσμα, καὶ ἑφθοὶ καὶ ὀπτοὶ, καὶ αὐτοὶ ἐφ' ἑουτῶν καὶ μεθ' ἑτέρων σιτίων. *Piſces leue ſunt alimentum, & cocti, aſſati, & ipſi per ſe & cum aliis cibis:* qua de cauſſa paſſim tum libro de morbis, de Internis Affectionibus, de morbis mulierum, ægros piſcibus alit. Sed ne quis antiquiſſimis ſeculis, hoc tantum in vſu fuiſſe nobis obiiciat; lubet Galenum conſulere, qui medicinam primus in optimam formam redegit, is libro I. ad Glauconem capite IX. in curatione exquiſitæ tertianæ, piſces ſaxatiles exhibet, libro VIII. Methòdi medendi ca. II. in curatione Ephemeræ, piſces recenſet, qui ægrotantibus ex vſu ſunt, idem libro IX. Methodi capite VI. libro VI. de ſanitate tuenda capite XVI. vbi de habitu ſicco & gracili, calculis obnoxio tractat. Piſces exhibet tum ſaxatiles, tum qui in alto mari degunt, alioſque qui nihil

glutinosi habent: & quod maximè quis miretur, in curatione vxoris Boëthi, quæ fluxu muliebri laborabat, piscibus saxatilibus, illam cibabat, vt videre est in libro de præcognitione ad Posthumum capite VIII. idem etiam Com. I. in Hipp. de ratione victus in morbis acutis, in pleuritide post ptisanam, & mulsam, pisces saxatiles & asellos, cæteris omnibus præponit. Alexander verò Trallianus, doctissimus post Galenum medicus, in omnibus penè morbis ægros piscibus varijs nutrit; nec satis, nisi & ægrorum ferè luxuriæ subscriberet, dum ostra-codermα, atque Isicia ex ipsis piscibus parata (lautissimum olim cibi genus) permittit; vt cæteros scriptores prætercam, qui idem consulunt. Hæc dum exactius considero, nescio quid Viro doctissimo Hieronymo Mercuriali in mentem venerit, vt libr. I. Variarum lectionum capit. XXV. scriberet, pisces idcirco decumbentibus olim oblatos fuisse passim, non quod ipsi natura sua valdè conueniant, sed quia infrequentes erant, qui sanitatis tempore non potius piscibus, quàm carnibus vescerentur. Sed luce clarius me docuisse puto, non ob consuetudinem solam, ægris fuisse oblatos, sed quia natura sua salubres essent, εὔχυμοι καὶ εὐφθαρτοι, vt testantur Hipp. Galenus, Xenocrates, Plutarchus, aliique medicinæ proceres. Frustra certè Galenus libro de attenuante victus ratione, libro de cibis boni & mali succi; indagasset ciborum naturas, si pisces ideò tantum salubres dixisset, quod plurimum illis consuescerent homines, non quod natura sua tales essent.

CAPVT XII.

Qui pisces salubres. Illorum genera. De fluuiatilibus plura.

SEd quia non æquè est salubre vniuersum piscium genus, lubet per classes illos distinguere, vt cuique obuiam sit, salubriores eligere, noxios fugere. Sunt autem in triplici differentia:

ſentia: Lacuſtres, Fluuiatiles ac Marini. præter illos, ſunt & piſces qui in terra non ſolum victum quærunt, ſed etiam in locis vliginoſis & ſubterraneis, immò & ſub terra viuunt, quos Foſſiles veteres dixerunt; de quibus licet olim in Hiſpania mea quædam diximus, ſub finem tamen operis, neceſſe erit illorum meminiſſe. Lacuſtres, cum limoſis inertibuſque aquis victitant, admodum ſunt graues, excrementiſque abundant, quare & ſummoperè inſalubres. Fluuiatiles verò ſalubriores ſunt Lacuſtribus; ſed marinis, longè bonitate inferiores. Antiquiores Medici, æquè penè noxios Fluuiatiles iudicabant, ac Lacuſtres: Et ne à pedario aliquo, & ignobili auctore, hoc dictũ quis putet, Dictatorem noſtrum is audiat. lib. de Affectionibus, Καὶ οἱ μὲν λιμναῖοι ἰχθύες, καὶ πίονες καὶ οἱ ποτάμιοι βαρύτεροι, οἱ δὲ αἰγιαλαῖοι, θαλασσίοι, κουφότεροι, *Lacuſtres piſces & pingues, & Fluuiatiles grauiores; littorales verò, marini, leuiores.* Xenocrates. Ποτάμιοι δὲ καὶ λιμναῖοι κακοστόμαχοι παχυμερῆς ὕλης, δυσκρινικοὶ δυσδιάκειτοι, *at Fluuiatiles & qui ſtagnis degunt, ſtomacho ſunt noxij, craſſiores ſuccos faciunt, difficulter excernuntur*, Paradoxon certè videtur, piſces Fluuiatiles cum Lacuſtribus componi; cum hi ſtagnantibus aquis, turbidiſque degant, & cœnoſo alimento vtantur: Fluuiales verò è contrario, aquis perpetuo recentibus, ac meliori pabulo fruuntur: adde illos exerceri aſſiduo, ob continuum aquæ fluxum. Proinde iniquè videntur, iniuria hac affecti. Sed litem hanc componit Simeon Sethi περὶ δυνάμεων τροφῶν his verbis, οἱ δὲ ἐν ποταμοῖς καθαροῖς τρεφόμενοι ἰχθύες, εὔχυμοι, ὥσπερ οἱ ἐν θολεροῖς: καὶ ἐν οἷς εἰσβάλλουσιν ὑπόνομοι, καὶ ἀχρεῖοι, ὕλαι, κακόχυμοι καὶ γαστρὸς βλαπτικοί. *Piſces autem qui in fluminibus puris & limpidis paſcuntur, boni ſucci ſunt; ſicut qui in turbidis, & in qua, cloacæ & ſordes influunt, reliquaque immunda, mali ſucci ſunt & ventriculo noxij.* Certum enim eſt, inter fluuiales eſſe, qui ſucci bonitate cum marinis certare poſſunt, vt Perca quæ in Rheno naſcitur, Salar in Moſella, Coracinus in Nilo, tum vniuerſi qui ἀνάδρομοι vocantur, qui ſcilicet è mari fluuios ſubeunt.

ſubeunt. Alexander Trallianus libro I. cap. de Epileſia. τῶν δὲ ποταμίων λαμβανέτωσαν μαλιςα τοὺς καλουμένους ἀναδρόμους, *ex fluuiatilibus veſcantur Anadromis*. Sunt enim reuera marini illi piſces, quia in mari nati, ſed fluminum dulcedine allecti, ſubeunt eo, ad multa ſæpè milliaria, Vnde Xenocrates, dicit illos non eſſe expertes τῆς θαλαττίας ὕλης: ſed quamuis tales bonitate proximi ſunt marinis piſcibus, longo tamen ſunt interuallo proximi: nam Galenus lib. III. de Aliment. facultat. ex marinis piſcibus illos præfert, qui nunquam fluuiorum oſtia ſuperant, immò mare illud deterius dicit, quod plures & maiores fluuios admittit. Verba eius ſunt cap. XXIV. *Perſpicuum igitur eſt, ex iis quæ diximus, mare alterum alteri præſtare, quod aut purum plane eſt, aut fluuios multos & magnos excipit vt Pontus; Piſces enim qui in huiuſmodi mari degunt, quanto ſtagnales antecellunt, tanto iis qui in puro mari degunt ſunt inferiores*. Mneſitheus verò Athenienſis apud Athenæum, refert è marinis piſcibus, illos eſſe concoctioni contumaces ac grauiſſimos, qui è mari, in fluuios & ſtagna aſcendunt. licet verum ſit illos magis pingueſcere, ac palato gratiores euadere. Cur autem fluuiales marinis inferiores multo ſint, ipſius maris natura eſt; cuius ſalſedo, humiditatem nimiam piſcium, & frigiditatem attemperat ac conſumit; quod in fluuialibus non accidit. Quod cum veteres non lateret, merito marinos piſces ſummo in honore habuerunt, adeò vt vix fluuiatilium vel in ſanitatis tutela, vel in menſarum lautitiis meminerint. Quamobrem his miſſis ad marinos propero.

CAPVT XIII.

Marinorum alij Pelagij, Littorales, vel Saxatiles. Qui piſces πλανῆται *Hippocrati. Diphilus explicatus. Cornelij Celſi error.*

MAgnum etiam inter marinos, diſcrimen præbent ipſa maria, quæ piſcem educant: alterum enim alteri, ſalubritate præſtat, multum enim refert, an Auſtro vel Boreæ ſit

expoſitum

expoſitum, an tempeſtatibus crebris exaſperetur, an verò pacatis vndis ſemper moueatur. Galenus lib.III.de Aliment. facult. *Piſcium optima eſt caro, qui puro mari viuunt, præcipuè cum ventorum procellis agitatur, nam in quieto nulliſque agitato fluctibus, tanto ipſorum caro fit deterior, quanto minus exercitatur.* Et paulò inferius.

Quodſi præterea ad Boream ſpectet, longè erunt meliores; cum enim exercitationes propriè, non parum ad ſucci probitatem omni animāti conferant, puritas adhuc eius venti, qui aquæ miſcetur, ſubſtantiæ ipſorum bonitatem auget. Simeon Sethi. Ἀλλὰ καὶ οἱ ἐνηνέμοις τόποις διαιτώμενοι ἰχθύες, οὐ χρηστοί, καὶ οἱ μὲν θαλάττιοι τούτων, πλεῖον, *ſed qui in locis degunt piſces non ventoſis, non ſunt boni, ſi verò marini, his adhuc peiores ſunt.* Xenocrates etiam auctor eſt, Tyrrheno mari captos piſces, meliores eſſe iis qui in Adriatico. καὶ τὰ πελάγη δὲ διαφέρει, μέτριοι μὲν γὰρ οἱ κατὰ τὴν Ἀδρίαν: οἱ δὲ κατὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν ἡδύτατοι *iam maria quoque inter ſe differunt, ſunt namque mediocres piſces qui in Adriatico, ſed qui in Tyrrheno degunt ſuauiſſimi.*

Tres autem marinorum piſcium præcipuæ ſunt differentiæ, alij enim Pelagij, alij Littorales, alij Saxatiles.

Πελάγιοι ſunt, qui in imo profundoque maris communiter viuunt, quales ſunt Glauci, Erythrini, Pagri, Paſtinacæ, Aſelli. Littorales ſeu αἰγιαλώδεις, Hippocrati verò ἀκταῖοι, Galeno teſte ſunt, qui in puriſſimo mari degunt, vbi littora, quæ aquam coronæ modo ambiunt, terra non abundant, nec leuia, ſed aut arenoſa, aut aſpera ſunt; cuiuſmodi ſunt Mulli, Gobij, Mugiles, Canthari. Saxatiles verò, ſeu πετραῖοι, qui in ſaxoſis locis, aut aſperis promontoriis, vbi ſaxa frequentia ſunt deliteſcunt, ac pariunt, vt auctor eſt Galenus citato loco. Non vt Ælianus hallucinatur, libro XII. Hiſtoriæ animalium capit. II. quod loca illa quæ incolunt, minuta habeant ac rara ſaxa, crebris algis interiectis. Hippocrates verò libr. II. de Diæta. Duplicem tantum piſcium differentiam videtur agnoſcere, alios enim πετραίους, alios πλανήτας ſeu errones indigetat, ita enim loquitur.

 quitur.

quitur. κοῦφοι δὲ οἱ πετραῖοι σχεδόντι πάντες, οἷον κίχλη, φυκὶς, ἐλεφιτὶς, γωβιὸς; οἱ τοιοῦτοι δὲ καὶ προρρηθέντες, κουφότεροι τῶν πλανήτων; ἅτε γαρ ἀρτεμίζοντες οὗτοι ἀραιὴν τὴν σαρκα, καὶ κούφην ἔχουσιν, οἱ δὲ πλανῆται καὶ κυματόπληγες πεθρυμμένοι τῷ πόνῳ στερωτέραν τὴν σάρκα ἔχουσιν. *Leues autem ſunt petroſi, ferè omnes veluti Turdus, Phuca, Elephetis, Gobius; tales autem & prædicti itidem leuiores ſunt erronibus, nam vt hi quieſcentes, raram ac leuem carnem habent: errones autem, vt vndas verberantes laboribus exerciti, ſolidiorem carnem habent.* Sed quinam ſunt hi πλανῆται, à cæteris ſcriptoribus præteriti; ego, niſi me coniectura fallit, exiſtimo illos eſſe, quos Galenus Pelagios ac Littorales vocat; cum enim Hippo. illos ſaxatilibus opponat, certum eſt illis nomen hoc optimè conuenire: nam ſaxatiles teſte Gal. *Nec alimenta, nec loca mutant.* cæteri verò loca mutant, pro pabuli enim copia aut qualitate, hac illac vagantur; vnde non mirum eſt ſi iugi exercitatione, caro ipſorum ſiccior duriorque euadat, quidquid enim excrementitium in corpore aliàs colligitur, motu frequenti diſſipatur, vnde & σκληρόσαρκοι. i. duræ carnis paſſim appellantur: ſaxatiles verò molli ac friabili carne præditi ſunt. Inter marinos verò palmam obtinent ſaxatiles. Gal. III. de Aliment. facultat. cap. XXVII. *Alimentum quod ex ſaxatilibus ſumitur non modò ad concoquendum eſt facile, ſed hominum etiam corporibus eſt ſaluberrimum: vt quod ſanguinē mediæ conſiſtentiæ generet, qui ſcilicet neque admodum tenuis, neque admodum craſſus eſt*; ſic libro de attenuante victus ratione, alimentum quod ex Saxatilibus ſumitur, cum eo quod ex auibus montanis bonitate comparat Simeon Sethi. οἱ δ᾽ ἐν πέτραις τρεφόμενοι τῶν ἄλλων εἰσὶν ἀμείνους; εὔπεπτοι ὄντες, καὶ εὔχυμοι καὶ μετρίως ὑγραίνοντες, διὰ το μὴ ἔχειν σκληρὰν σάρκα. *qui verò in ſaxis paſcuntur, aliis piſcibus meliores ſunt; probè enim concoquuntur, & boni ſucci ſunt, mediocriterq́ humectant, quoniam duram carnem non habent.* Diuerſus ab his videtur eſſe Diphilus Siphnius, apud Athenæum lib. VIII. τῶν θαλασσίων ἰχθύων οἱ μὲν πετραῖοι εἰσὶν εὐφθάρτοι, εὔχυλοι, σμικτιοὶ, κοῦφοι, ὀλιγοτρόφοι. *Ex marinis piſcibus Saxatiles facilè corrumpuntur,*

tur, boni sunt succi, abstergentes, leues, parum nutrientes. Si enim facilè corrumpuntur in stomacho, deterioris cõditionis erunt aliis piscibus, non optimi, vt medicorũ est recepta opinio. Sed nulla est difficultas, sed interpretis potius lapsus in verbo εὔφθαρτον. Veteres enim concoctionẽ variis modis in vẽtriculo peragi opinabantur; Erasistratus enim ex cõtritu ventriculi; Empedocles verò per putrefactionem, vt auctor Galenus libro de Definitionibus Medicis, & Plutarchus de placitis Philosophorum. Vnde non semel confunduntur πέψις καὶ σῆψις, sic Hipp. libro περὶ παθῶν excrementa ἄσηπτα pro ἄπεπτα intelligit, eodem modo apud Diphilum, εὔφθαρτον, est εὔπεπτον, quod facilè concoquitur, exponi debet. Sed mirandum magis est, quod Cornelius Celsus, saxatiles pisces inter cibos κακοχύμους recenset. lib. II. cap. XXI. enarrans res mali succi. *Pisces*, inquit, *quoque saxatiles, omnesque qui ex tenerrimo genere sunt, aut hi qui nimium duri virosiq́ sunt.* Sed labitur Celsus, quemadmodum & ca. XXVIII. vbi teneros pisces, recenset inter illa, qui facilè in stomacho vitiantur. Sed Alexandrum Aphrodisiensem huic placito fauere dicet aliquis? qui Problemate LIII. quęrit, cur bubulę carnes facilius concoquuntur, quàm saxatiles pisces; quoniam, inquit, quidam immoderata ventriculi caliditate præditi, illa quæ facilè concoquuntur statim corrumpunt: quæ autem duriora sunt, cùm non ita facilè mutantur legitimè concoquuntur. Sed nemo prudens ideò aliquid vitiosum dicet, quia in ventriculo intemperato, & feruido corrumpitur, quando nihil tam bonum est, cui impurus ventriculus non aliquam noxam communicabit, bonum enim alimentum vocamus, non quod nunquam corrumpitur, sed quod temperatis corporibus nihil damni, noxæve adducit. Post saxatiles, laudantur Pelagij, qui cum carne sunt dura, difficilè concoquuntur, sed copiosius corpori alimentum ministrant. Diphilus Siphnius. οἱ δὲ πελάγιοι δυσφθαρτότεροι, πολύτροφοι, δυσοικονόμητοι. *Pelagij difficile concoquuntur, multùm alunt, tardè distribuuntur.*

CAPVT XIV.

Piſcium diſcrimen ab ætate, anni tempore, & à membris. Plinij lectio firmata. Nota bonitatis piſcium, cur Niue circumdati.

NEque verò in generibus tantummodo piſcium, ſed in ipſis etiam, diſcrimen eſt; quod ex ætate, anni tempore, & membris naſcitur. Senectute deteriores fieri, auctor eſt Ariſtoteles, lib. VIII. Hiſtoriæ animalium c. XXX. quia tunc temporis πολὺ συντήκεται τῆς σαρκὸς *multum carnis abſumitur*. Ideò Xenocrates. περὶ δὲ ἡλικίας, οἱ μὲν βραχεῖς, καὶ νέοι, εὔφθαρτοι, *quod ad ætatem, parui & iuniores, faciliùs digeruntur*. Solus Barbus prærogatiua hac gloriatur, quod ab ætate commendetur. Auſonius in Moſella.

Liberior laxos exerces Barbe natatus,
Tu melior, peiore æuo: tibi contigit vni
Spirantum ex numero; non illaudata ſenectus.

Plurimi etiã piſcium grauidi, ſunt meliores, vt cruſta intecti, quales Locuſtæ, Cammari, qui & hac tẽpeſtate in pretio ſunt, vbi ouis implentur, aliàs vileſcunt: mollia etiam, vt lolligines, ſepiæ, polypi, tunc præſtare refert Ariſtoteles citato loco, qui etiam addit Fluuiatiles, & Lacuſtres piſces, optimos eſſe poſt partum: Cornelius Celſus, laudat in piſcibus quoque mediam ætatem: *quæ nondum ſummam magnitudinem impleuit*. Sic etiam diuerſis anni temporibus; alij, atque alij, bonitate excellunt. Xenocrates breuiter illos perſtringit. καὶ ἔαρος μὲν οἱ πλεῖστοι διὰ τὸ ὠοτοκεῖν, ἀμείνους ὡς τρίγλαι: θέρους δὲ φαγρόι τε, καὶ συνόδοντες. φθινοπώρου δὲ ἥπατοι, παραιτητέοι, κακόχυμοι ὄντες, κεστρεῖς καὶ λάβρακες τρυφερώτεροι. *Verno etiam tempore quamplurimi illorum qui oua pariunt ſunt præſtantiores, vt Mulli: Æſtate verò Phagri, & Synodontes; Autumno Hepati improbãtur, qui tũc vitioſi ſunt ſucci, Mugiles & Lupi tũc delicatiores*. Sic Ananius Poëta Chryomyn verè,

Anthiam hyeme dicit expetendum. Eiuſdem verò piſcis diuerſæ partes,diuerſas etiam dotes habent. Hippoc. lib. II. de Diæta. τῶν δὲ ἰχθύων ξηρότατα ἐστιν τὰ ἄνω, κουφότατα δὲ τὰ ὑπογάστρια; καὶ αἱ κεφαλαὶ ὑγρότεραι, διὰ τὴν πιμελὴν καὶ τὸν ἐγκέφαλον: *ex piſcibus ſicciſsimæ ſunt ſupernæ partes, leuiſsimæ ſub vētre, & capita ipſorum humidiora ſunt, propter pinguedinem ac cerebrum.* Galenus, partes quæ ad caudam ſpectant, vt exercitatiores magis laudat, ſicut etiam Xenocrates, nam partes quæ ad caudam ſunt, cum motu exerceantur, bonum alimentum præbent, & teneriores ſunt; quæ verò ad ventrem, cum pingues ſunt, tum fluitant, & facilè excernuntur: in dorſo verò dura caro eſt, at capita omnino propter ſalſum humorem, non nutriunt & difficulter diſtribuuntur. Plinius lib. IX. in Thynnis quæ caudæ proxima ſunt, damnari aſſerit. *Viliſsima ex his quæ caudæ proxima, quia pingui carent: probatiſsimæ quæ faucibus; at in alio piſce circa caudam exercitiſsima;* ſed vocula addita firmanda eſt tota ſententia, nam aliàs obſcurus eſt ſenſus. hoc pacto, *At in alio piſce circa caudam, vt exercitiſsima,* innuit ſcilicet in alio omni piſce, exceptis Thynnis probari partes circa caudam, quia exercitiſſimæ: nec opus erit mutare vocem exercitiſſima, in Probatiſſima, vt contendit Vir doctus Franciſcus Maſarius in Nonum Plinij. Sed ganeæ periti de piſcium partibus aliter ſentiunt, pinguiores enim magis commendant, vt caput Glauci, Mulli, Thynni epigraſtrium; Congri caput & dorſum. Noſtro æuo Salmonis caput, palatis eruditioribus vnicè laudatur; ſed Medicina, quæ ſanitati, quàm gulæ ſtudet, pinguiora hæc damnat; vt etiam obeſos piſces: nam auctore Galeno, pingues ſoluti ſunt ſaporis, tum etiam ad concoquendum ſunt deteriores, præterea ſtomacho ſunt noxij, ac vitioſi ſucci: quamobrem cum origano ipſos parant, vt luxurians aruina caſtigetur. Addit libro de cibis boni & mali ſucci, pinguiores piſces citius emarceſcere, ac facillimè putredine tentari. Quamobrem optimè nos docet Galenus lib. de Attenuante victus ratione cap. VI. explorare

piſcium ſalubritatem, ex mollitie & friabilitate ipſius carnis; *Hæ itaque duæ tibi ſint notæ, de cuiuſuis animalis carne: mollities ſcilicet, & friabilitas: quibus attentus, eam animalis carnem cum vtrumque adeſt, quantumuis mandas licet, cui autem neutrum ineſt abijcias; cui alterutrum, interdum cum alijs cares, mandas: modò ea ad ſaturitatem vſque non veſcare; cùm igitur ſaxatiles deſunt, Aſellos, Mullos, & alios eius generis pelagicos poſſimus exhibere, & eos potiſſimum, qui cum ſinapi manduntur: cuius generis eſt Scorpius.* Quod ſi verò piſces durioris carnis ſint, vt friabiles redderentur, & tardiùs corrumperentur, veteres niue illos circumdabant: docet hoc Galenus libro de cibis boni & mali ſucci: cap.xv. *Sed qui puro mari victum petunt, & boni odoris ſunt, guſtuque ſuaues, pinguedinis autem vel nihil omnino, vel pauciſſimam in ſe habent, diutiuſque à putredine illæſi durant, præſertim ſi niue circumdati fuerint; ad hunc enim modum qui duriores fuerint, præſtantiores euadunt: cum caro ipſorum reddatur friabilior, vti & caro Aſelli & eorum qui ſaxatiles ſunt; nam quod in his naturaliter ineſt, id piſces, qui duræ ſunt carnis, à niue ſumpſerunt.*

CAPVT XV.

De vario apparatu piſcium. Piſces iuſſulenti, Patinarij. ἐξάλμης. *cur Ficus poſt piſces edebant veteres.*

NOn minor veteribus cura in apparatu, quam in delectu piſcium fuit: ſiue ſanitati proſpicerent, ſiue luxuriæ ſubſcriberent. Quamobrem lubet varios illorum coquendi modos percurrere, ſed perfunctoriè tantum; ne quiſpiam me coquorum prouinciam inuaſurum exiſtimet. Fecêre id diffusè, atque accuratè Apicius, & Platina; nec ego laureolam ex hoc muſtaceo quæro. Quatuor erant præcipui coquendi modi: aut enim frixi, aſſi, elixi, aut iurulenti apponebantur. quibus firma & inculpata eſt valetudo, frixos maximè conuenire au-

ctor

ctor est Galenus, (quos Iulius Pollux ἰχθύες ἐκ ταγήνου alij ex τηγάνου, pisces ex sartagine vocant) addito vino & garo cum tantillo olei. Secundo loco, sunt assi quibus plus olei & gari, minus vini est inijciendum. Elixi ægrotis maximè conueniunt, cum iure albo, veteribus maximè celebrato, quod Galeni verbis placet hîc adscribere.

Copiosam aquam primum inijce, deinde olei quod satis sit affundito, cum pauco anetho & porro; deinde cum semicocti fuerint pisces, salis tantum inspergito, quoad ius salsum nondum apparuerit. Obseruant Lusitani hodierno die hunc penè coquendi modum, nisi quod crocum & piper, loco anethi inspergunt; ita paratos pisces Galen. passim commendat in ægrorum victu, vt libro IX. Methodi: III. de Aliment. facultat. atque alibi frequenter; vltimo loco erant pisces iurulenti, quos iussulentos vocat Apuleius in Apologia, *Q. Ennius*, inquit, *pisces alios multis versibus decorauit, & vbi gentium quisque eorum inueniatur, qualiter assus, aut iussulentus optimè sapiat.* Apud Plinium Medicum, iuscellati vocantur, quamuis hæc vox non semel corrupta legitur. libro V. capite XXIV. *Pisces dabis Echinos, pectines, Batos (fortè Balanos) pipiones, pisces viscellatos*, lego iuscellatos: sic capite sequenti, exhibet, *lactucas in viscello coctas cum apij radice*, & alibi sæpius viscellum pro iuscello vsurpat. Græci has vocant ἐν λοπάσι σκευαζομένους, in patinis paratos. Quos vt insalubriores, noster damnat. ἀλλ' αἱ μὲν μαγειρικῶν λοπάδων σκευασίαι, οὐ πέπαν ἀπεψίας εἰσὶν αἴτιαι. *verum hi coquorum in patinis apparatus, cruditatis in totum sunt caussæ.* Vnde & Plauto tales pisces, Patinarij dicuntur. In Asinaria.

Quasi piscis est amator lenæ, nequam est nisi recens,
Is habet succum, is suauitatem, eum quouis pacto
Vel Patinarium, vel assum, versas, quo pacto lubet condies.

Sic Apicius lib. IV. varias piscium patinas describit, sic etiam apud Macrobium in cœna Pontificia, patinam piscium, patinam suminis, capio pro piscibus, aut sumine iussulentis.

 Ple-

Pleriſque etiam Græcis, in vſu erat piſces ex muria edere. Hinc Iulius Pollux, ἰχθύς ἐξ ἅλμης, οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὸν τῶν ἰχθύων ζῶμον, interpres vertit, *piſcis ex ſalo, ſic enim piſcium ius vocarunt*, cùm ex muria dicere debuiſſet, ſic etiam dixit Hippoc. III. de Diæta, καὶ τοὺς μὲν ἑφθοὺς ἐν ἅλμῃ ἐσθίειν, τοὺς δὲ ὀπτοὺς ἐν ὄξει. *Elixos piſces ex muria edere oportet, aſſos verò ex aceto*, idem ex Antiphane liquet;

θύννον τὸ μὲν γλαυκίδιον ὥσπερ ἄλλοτε
ἕψειν ἐν ἅλμῃ.

Paruum itaque Glaucum vt aliàs, aio elixandum in muria; notauit hęc Archeſtratus in ſua Hædipathia, aliјq; antiquiores Comici non ſemel; obſeruat etiam Gal. piſces pingues, ac duræ carnis ſinapi, origano, aut aceto indigere pro intinctu. apud Lampridium verò conditurae Venetæ mentio fit, in Eliogabalo. *Piſces ſemper quaſi marina aqua, cum colore ſuo coctos, conditura Veneta comedit*. Quos tanto artificio coctos fuiſſe puto, vt quali colore viui eſſent, eodem menſis illati ſpectarentur. Peculiaris verò apud diuerſas gentes, condiendi piſces modus erat; ſic omnes Siculi, ac Itali plerique, teſte Archeſtrato ſolebãt caſeo, aceto, ac laſere, piſces condire. Byzantij verò, abſynthio, ſale & allio, vt oſtendit Diphilus comicus, nam ob frequentiſſimum piſcium vſum,

Πάντες βλιχώδεις εἰσὶ, μεστοὶ λάπης

Pituitoſi ſunt omnes, ac mucco abundantes. Qui cùm natura ſua, ἀπόσιτοι ſunt, ob pituitæ copiam, quæ appetitum exſurdat, neceſſe illis ſunt calida ac detergentia, qualia ſunt abſynthium, ſal & allia. hac etiam de cauſſa ſuſpicor olim moris fuiſſe, vt piſcium eſum, ficus clauderent: vt teſtatur Parœmia:

Σῦκον μετ᾽ ἰχθὺν, ὄσπριον μετὰ κρέα.

Poſt piſcem ficus, poſt carnes legumina. Abſtergunt enim valenter ficus, & ſtomachi excremẽta purgant. Prudentiùs certè quam recentiorum quidam præcipiunt, ſumendas nuces à piſcium eſu, quod ſiccitate ſua, pituitoſi humores copiam coaceruari prohibeant.

CAPVT

CAPVT XVI.

De Nobilioribus veterum piſcibus, ac primum de Lupo. Lanatus, & Varius, Optimus Tyberinus, inter duos pontes captus. Caput in pretio.

OPportunum nunc demum eſt, nobiliores illos piſces in lucem producere, qui priſcis ſæculis, vel in delicijs, vel ſalubri victus ratione, principem locum obtinuerunt, non apud Romanos ſolùm, ſed etiam apud Græcos; hos tamen diligentiores fuiſſe ὀψωφάγυς, monumentis ſuis ad poſteros tranſmiſſis palam fecerunt. Agmen ducat Lupus, λάβραξ Græcis, Venetis Varolo, Romanis Spigola dictus, nam & antiquiſſimis ſæculis, inter ſummas menſarum lautitias Romæ habitus fuit; nam Feneſtella referente, Tripatini pars erat; vt ſupra dictum. Græcis etiam adeo æſtimatus, vt non dubitauerit illum Archeſtratus in Gaſtronomia, θεόπαιδα, prolem deorum cognominare. Plinius etiam libro IX. capite XVII. *Lupo & Aſellis, præcipuam auctoritatē poſt Acipenſerem, auctore Cornelio Nepote, & Laberio Poëta Mimorum, fuiſſe memorat.* Duplices verò erant Lupi, alij enim Lanati, alij Varij. Plin. *Luporum laudatiſſimi qui appellantur Lanati, à candore mollitieque carnis*, Martialis Laneos vocat.

Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui,
Æquoreo dulces cum ſale paſtus aquas:

Perennauit illorum poſteritas in hoc æuum apud Venetos, plurimi enim ac optimi lupi paſſim ibi Macellum complent. Varij verò non æquè in honore erant, nec Lanatis comparandi; teſtatur hoc Columella lib. VIII. cap. XVII. vbi de piſcibus agit, quos piſcinæ includi expedit. *Turdi complura genera, Meruláſque, & auidas Muſtellas, tum etiam ſine macula (nam ſunt & Varij) lupos includimus.* Xenocrates hos Varios ἐπιστιγμένυς vocat.

cat. Iuuenalis ſanè Satyra. v. vilioribus cibis illos annumerat.

Vos Anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie aſperſus maculis Tyberinus, & ipſe
Vernula riparum, pinguis torrente Cloacæ,
Et ſolitus mediæ cryptam penetrare Saburræ.

Cum enim voraces admodum ſint, dum eſcam vndique perſequuntur, Cloacas ipſas frequenter ſubibant; vnde à Lucilio Catillones dicti.

Illum ſumina ducebant, atque altilium lanx,
Hunc pontes Tyberinos inter, captus Catillo.

Propriè enim Catillones, dicebantur guloſi, qui abſumptis dapibus, etiam catillos liguriebant. Notat etiam Poëta optimum lupum eſſe, qui in Tyberi, inter duos pontes eſſet captus, huic enim palmam deberi teſtatur Plinius libro IX. capite LIV. *Eadem aquatilium genera, alibi atque alibi, meliora, ſicut Lupi piſces in Tyberi amne, inter duos pontes.* Horatius lib. II. Ser. II.

Vnde datum ſentis Lupus hic Tyberinus, an alto
Captus hiet, ponteſne inter iactatus, an amnis
Oſtia ſub Thuſci.

C. Titius apud Macrobium lib. III. Saturnalium cap. XVI. in oratione qua legem Fanniam ſuaſit, vocat Lupum inter duos pontes captum Germanum, tanquam is ſolus Lupi nomine dignus eſſet. *Eunti in conſilium, ibi hæc oratio: quid mihi negotij eſt cum iſtis nugatoribus, quin potiùs potamus Mulſum, miſtum vino Græco? Edimus Turdum pinguem, bonumque piſcem Lupum Germanum, qui inter duos pontes captus fuit.* Sed cur Lupum inter duos pontes captum cæteris prætulit vetuſtas: Acron ad Horatij ſupra citatũ locum. *Dicuntur autem Lupi eſſe meliores, qui aut inter duos pontes capiuntur, vbi aqua concitatior eſt, aut in oſtio fluminis Tiberis.* ſupra etiam dixerat. *Illi enim qui ſubtilitate gloriantur palati, melioris ſaporis aiunt eſſe piſces illos, qui rapidiore vnda exercentur, quàm qui languidiore torpeſcunt.* Video expoſitionem hanc Acronis, placuiſſe Gerardo Voſſio V. Doct.mo lib. IV. de

origine

origine & progressu Idololatriæ cap. XXII. & XXIX. *Vbi non de nihilo est, quod iactatus dicat. Nam illa Lupi inter duos pontes agitatio, sine dubio saporem eius reddit meliorem.* Sed ratio saporis vel bonitatis Lupi non in illo motu consistebat, quem acquirebat iactatione illa inter duos pontes, quoniam valdè exiguum illud spatium erat, vbi optimi Lupi capiebantur; sed quia circa duos illos pontes, cloaca maxima se in Tiberim exonerabat: cuius sordes cum Lupi auidissimè sectarentur, ibi frequentes & pinguiores capiebantur, quos erudita gula maximè probabat, non Medicina; ideò à Lucilio diximus Catillonem vocatum. Paulus Iouius libro de Romanis piscibus cap. IX. de Lupo. *Solertissimus piscium habetur, Lupus, idem & delicatissimus, præsertim è Tiberi, & inter duos pontes: quod aquæ subiecti fluminis, à multis cloacarum effusionibus, pinguiorem escam subeuntibus præbeant.* Idem refert cap. IV. de Sturione, quem etiam pinguiorem inter duos pontes captum asserit, ob escarum copiam; non propter agitationem fluminis, quam piscis eo loci percipit.

Sed quanam vrbis regione erant duo illi pontes, Poëtis adeo celebrati? Bartholomæus Marlianus libro V. Topographiæ suæ, putat illos fuisse, Sublicium & Senatorium Pontem, infra quem cloaca maxima vrbis sordes in Tyberim deuehebat. Plutarchus verò in Vita Valerij Poplicolæ, dicit fuisse circa insulam sacram, siue Æsculapij,

τοῦτο νῦν νῆσος ἐστὶν ἱερὰ, κατὰ τὴν πόλιν: ἔχει δε ναοὺς θεῶν, καὶ περιπάτους, καλεῖται δὲ, τῇ Λατίνων φωνῇ, μέσο δυοῖν γεφυρῶν.

Nunc insula sacra intra vrbem est, templaque Deorum, & porticus in ea sunt. & Latina lingua, Media inter duos pontes dicta. Nihil potest dici clarius: erat autem hæc insula, inter pontem Senatorium, siue Palatinum, & Cestium, nunc Sancti Bartholomæi. Hoc certè in confesso est, illis in locis frequentes optimosque Lupos hodierno die capi, vt testantur Romanæ vrbis periti ores. Primus autem M. Philippus ex Romana nobilitate, Tyberinum Lupum præstantissimum iudicauit. Columella

lib.VIII. *Memoria auorum circumfertur M. Philippi vrbanißimum, quod erat luxuriosißimum factum, atque dictum: nam is fortè Caßini cùm apud hosp tem cœnaret, appositumque è vicino flumine Lupum degustasset, atque expuisset: improbum factũ dicto prosequutus, Peream, inquit, nisi piscem putaui; hoc periurium, multorum subtiliorem fecit gulam; doctaque & erudita palata fastidire docuit, fluuialem Lupum, nisi quem Tyberis aduerso torrente fatigasset.* Nec immeritò Lurcones Tyberinum lupum cæteris præferebant, quod cum vrbis purgamentis pasceretur, egregiè pinguesceret, ac palatis ideo gratior, Medici verò talem damnant vt insalubrem. Galenus libro III. de Aliment. facult. cap. XIX. *In omnibus verò piscibus, memoria tenere oportet, peßimos gigni in eorum fluuiorum ostijs, qui latrinas expurgant, aut culinas, aut balnea, aut vestium ac linteorum sordes, aut si quæ sint alia in vrbibus per quas fluunt expurganda, & potißimum si populosa vrbs fuerit;* clariùs verò paulò inferiùs improbat. *Quin & alius quidam est fluuius, in Tyberim erumpens, trecentis & quinquaginta ab vrbe stadijs, quem Nar appellant, qui pisces habet longè Tyberinis præstantiores, nam ab ipsis fontibus statim magnus oritur, & purus, perpetuò decliui rapidoque fluxu in ipsum vsque Tyberim profluit.* Græci verò Lupos Milesios præcipuè extollebant, quos in Gesone lacu piscabantur. Archestratus.

Λάμβανε δ' ἐκ Γαίσωνος, ὅταν Μίλητον ἵκηαι,
Κέστρεα τὸν κέφαλον, καὶ θεόπαιδα λάβρακα,
Εἰσι γὰρ ἐνθὰδ' ἄρισοι.

Miletum cum adueneris, ex Gesone tu accipe, Cestreum Cephalum, & prolem Deorum Lupum, illic enim optimi sunt. Inter verò Lupos, minores præferebantur maioribus: quod Horatium non fugit.

——— *Quò pertinet ergo*
Proceros odisse Lupos.

Quoniam vt auctor est Xenocrates, quantò maior est Lupus, tantò durior euadit, bimestris verò optimus, stomacho idoneus; boni succi & tener. Caput verò, potissimum Græcis in pretio erat, vt apud Aristophanem in Lemnijs videre est.

οὐκ ἐρχνίον

οὐκρανίον λάβρακας, ὀυχί κάραβον πριάσθαι.
Non lupi caput, non locuſtam emes. Idem Eubulus alijque teſtantur Comici; piſcis hic, præterquam quod ſuaui ſapore ſe commendat, Medicis etiam vt ſalubris probatur, Gal. lib. III. de Aliment. facultat. *Sanguinem ex illo gigni tenuiorem, & qui non adfluenter nutriat.* Hiceſius verò, εὔχυλον ἢ οὐ πολύτροφον, dicit eſſe boni ſucci, nec multum nutrire. Cornelius Celſus lib. II. cap. XX. inter cibos boni ſucci, lupos Vernas ſeu Tyberinos annumerat.

CAPVT XVII.

Murænæ Cicures. Flutæ, Tarteßiæ optimæ, Columella emendatus. Sæuitia Vedij Pollionis.

MAgna olim adeo Murænis nobilitas, ac exiſtimatio fuit, vt & Liciniorum nobiliſſimæ familiæ, nõ puduerit cognomen inde ſibi adſciſcere, ſi Varroni credimus. Sed in primis curæ Romanis fuit, vt cicures alerent in ſuis piſcinis, quæ ex Domini manu, non reformidarent cibum capere. Martialis.

Natat ad magiſtrum delicata Muræna.

Hortenſius verò Orator ille nobilis, apud Baulos, Murænam adeo dilexit, vt exanimatam, lachrymis etiam proſequutus ſit. Alij hoc L. Craſſo, non Hortenſio adſcribunt. vt Ælianus hiſtoriæ animalium libro XII. cap. XXIV. Macrobius etiam lib. III. cap. XV.

Craſſus vir Cenſorius (nam cum Cn. Domitio Cenſor fuit) cum ſupra cæteros diſertus haberetur; eſſetque inter clarißimos ciues, princeps; tamen Murænam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus, tanquam filiam luxit: neque id obſcurum fuit, quippe collega Domitius, in ſenatu hoc ei quaſi deforme crimen obiecit, neque id Craſſus erubuit, ſed vltro etiam, ſi Dijs placet, gloriatus eſt Cenſor, piam affectuoſamque rem feciſſe ſe iactans. Antonia verò Druſi, teſte Plinio: Murænæ quam

diligebat, inaures addidit, cuius propter famam, nonnulli Baulos videre concupiuerunt. Sed præcipuus ad mensas illis honor delatus, adeo vt C. Hirrius, qui primus Murænarum viuarium excogitauit, Cæsarique Dictatori in cœnas triumphales, sex millia Murænarum mutuo appendit, nam permutare quidem pretio noluit, Plinio teste; quamquam Varro duo tantum fuisse millia asserat, sed anguste nimis, ne dicam parcè, pro Cæsaris vasti animi magnificentia. Sed non omnibus Murænis eadem gloria, Siculæ enim cæteris prælatæ. Iuuenalis.

Virroni Muræna datur, quæ plurima venit
Gurgite de Siculo.

Tales enim peculiari nomine, Latinis Flutæ, Græcis verò πλῶται dicebantur. Varro libro II. rei Rusticæ capite VI. *Non enim si Murænæ Flutæ, optimæ sunt in Sicilia, & Ellops ad Rhodum, continuo hi pisces in omni mari similes nascuntur*, Macrobius lib. III. Saturnalium cap. XV. *Accersebantur Murænæ ad piscinas nostræ vrbis, ab vsque freto Siculo; illic enim optimæ esse à prodigis creduntur, tam Hercule, quam Anguillæ: & vtræque ex illo loco Græcè πλῶται vocantur, Latinè Flutæ, quod in summo supernatantes, Sole torrefactæ, curuare se posse, & in aquam mergere desinunt.* Vnde Martialis.

Quæ natat in Siculo grandis Muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Nec Romanis solum tales in pretio, sed & Græcis quod ex Archestrati versibus patet.

Ι᾽ταλίας ἢ μεταξὺ κατὰ στενοηύμενα πορθμὸν
Η῾ πλῶτη μύραινα καλουμένη ἄν ποτε ληφθῇ
Ω᾽ νόσ, τοῦτο γὰρ ἐστιν ἐκεῖ θαύμαστον ἔδεσμα.

Inter Italiam qua fretum angustum & fluctuosum est, si quando Muræna capta fuerit Fluta, illam emas, est enim admirabile edulium. Laudantur etiam Tartessiæ Murænæ tanquam optimæ, à Varrone in Satyra περὶ ἐδεσματῶν, quod præstantissimæ ibi prouenirent. De his etiam Columellam locutum puto, libro VIII. cap. XVI.

cap. XVI. *Sola ex pretiosis piscibus Muræna, quamuis Tarsensis, Carphatijque pelagi (quod est vltimum) vernacula, quouis hospes freto peregrinum mare sustinet.* Legendum enim esse, *Tartesij, Carphatijque pelagi*, meridiana luce clarius est; nullum enim Tarsense pelagus est; cum teste Plinio, Tarsus Ciliciæ vrbs sit mediterranea, quæ Cydno amne alluitur. Adde Suetonium in Vitellio. *Murænarum Lactes, à Carphatio vsque fretoque Hispaniæ, per nauarchos, & triremes petitarum commiscuit.* Vide vt vtrumque fretum, non secus ac Columella coniungat? nec dissentiunt à Latinis, Græci scriptores. Suidas. ταρτησία μύραιμα ὡς ἐκεῖ γινομένων μεγιςῶν. *Tartesiæ Murænæ quod ibi maximæ gignantur.* Strabo lib. III. de illo tractu, ἐν δὲ τοῖς ἐξωτέροις τόποις καὶ μείζονας, ὀγδοήκοντα μνῶν τὴν σμυραίναν καὶ τὸν γόγγρον *In exterioribus verò locis, Murænam, & supra octoginta minarum piscantur & Congrum.* Nec Aristophanem quidem his omnibus vetustiorem hoc fugit, de illis enim in Βατράχοις, tanquam de monstris.

πλευμόνων, τ' ἀνθάψεται ταρτησία μύραινα.

Laniabunt tibi pulmones Tartesiæ Murænæ. Accedit Carphatium pelagus, ipsam Ciliciam attingere in qua Tarsus. Sed non eadem nobilitas Tyberinis Murænis, ac Lupis fuit; siquidem vilissimæ omnium habebantur. Galenus hoc testatur libro III. de Aliment. facultat. *Pessima tamen Muræna in huiusmodi fluuiorum ostijs qualis est Tyberis, Romam præterfluens, euadit, eoque in ea vrbe, omnium ferè marinorum piscium minimo emitur.* Præcipuè verò in Muræna commendabant eruditiora palata, eius lactes, vt ex Suetonio patet. Sic etiam Ælius Lampridius in Elogabalo, *Murænarum lactibus, & Luporum, in locis mediteraneis rusticos pauit*; immensa Hercules Murænarum copia opus fuit, vt illarum lactibus qui exigui sunt, rustici pascerentur; sed ab hoc monstro, quod in pernicem Romani Imperij, natura edidit, quid nisi portentosa expectes? præfertur etiam grauida cæteris, vt delicatior multo, Horatius lib. II. Satyrarum vltima.

Affertur Squillas inter Muræna natantes,
In patina porrecta: sub hoc herus, hæc grauida inquit
Capta est, deterior post partum carne futura.

Vbi etiam animaduerto, moris fuisse illã mensis inferri, Squillis vndique stipatam, vt infra dicemus fusius. Athenæus etiam ex Dorionis mente, refert fluuiatilem etiam Murænam esse, cui vnica tantum spina sit, non absimilem Asello, quem Gallariam vocant. Murænæ caro ex Medicorum opinione, inter mollem & duram, media est: vnde succum quoque gignit, neque crassum neque tenuem, sed temperatum & bonum; Athenæus addit, non minus illas alere, quàm Congrum & Anguillam.

Sed non satis veteribus fuit, luxuriem in illo pisce exercere, nisi & inauditam sæuitiam iunxissent aliqui. Plinius lib. IX. cap. XXIII. *Inuenit in hoc animali documenta sæuitiæ, Vedius Pollio Eques Romanus, ex amicis Diui Augusti; viuarijs earum, immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere, totum pariter hominem distrahi spectare non poterat.* Tertullianus libro de Pallio. *Immergo æquè scalpellum acerbitati ei, qua Vedius Pollio seruos Murænis inuadendos obiectabat, noua scilicet sæuitia oblectatus; terrenæ bestiæ, exedentulæ, & exungis & excornis; de piscibus placuit feras cogere, vtique statim coquendis: vt in visceribus earum, aliquid de seruorum suorum corporibus, & ipse gustaret.* Plura hac de re apud Senecam, & Dionem Nicæum. Hoc tamen obiter monendum, Tertulliano esse Murænam exedentulam; quæ tamen alijs scriptoribus ttuculenti est morsus. Nisi fortè mendi aliquid in voce illa subsit; tu Lector despice.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Mugiles olim Romæ in pretio? variæ illorum differentiæ.

NOn defuit olim Mugili ſuus honor in pollucibili cæna, nam Feneſtella auctore, in Tripatino locum habebat Myxo (quem alij Bacchum vocant) Mugilis ſpecies. Quamobrem etiam veteres Romani, ne venti aut irata maria, huius præſentiam illis inuiderent, piſcinis ſuis Mugiles concludebant. Varro libro III. rei ruſticæ, *Quis habebat piſcinam niſi dulcem, & in ea dumtaxat, Squallos aut Mugiles piſces.* Columella libro VIII. *Frequenter animaduertimus, intra ſepta, pelagicos greges, inertis Mugilis, aut rapacis Lupi;* cicures etiam paſcebant, & qui vocati ad manum accederent, Martialis.

Nomencalator Mugilem citat notum:

Sed poſtquam piſcinarij Triumuiri, imperium lautitiarum obtinuerunt; paulatim Romæ euiluit, & gloria eius obſoleuit. Græci illum nunc κέφαλον, Latini Capitonem, nunc χέστρεα vocant; in varias porro ſpecies diuidunt, χελῶνας, μύξυνους, νηστεῖς, σαργίνους, λευκίσκους, labeones myxones vel mucones, ieiunos, ſargones, leuciſcos: adduntur ab alijs δαδακτυλεὺς, quod teſte Euthydemo, duobus digitis minorem latitudinem habeat, & σφήνευς ſeu cuneatus, quod figura ſit quadrangula. Gal. verò multò preſſiùs, ſpecies Mugilum contrahit, ac κέφαλον & λευκίσκον tantum agnoſcit, quem ea tantum ratione à κέφαλοις differre dicit; quod paulò ſint candidiores, capite verò minori, ac ſapore ſunt acidiori. Polemon libro de Fluminibus Siciliæ, ſcribit Mugiles à quibuſdam πλῶτας vocari. Idem Xenocrates. καλοῦσι δέ τινες καὶ πλῶτα τὸν κεστρέα. *Vocant verò aliqui Mugilem Flutam:* Optimos verò Mugiles Abderæ eſſe, deinde Sinopi, dicit Archeſtratus. Antiphanes Hymettium cæteris præfert; Clemens verò Alexandrinus Pædagogici lib. II. ex Schyatho inſula præſtantiſ-

simos adferri scribit. Sed plurimùm interest num maria, vel flumen Mugilem pauerint: Docet hoc Galenus libro III. de Aliment. facultat. cap. XXIV. *Proinde particulares Mugiles, magnum inter se habent discrimen, adeò vt pelagici Mugiles, genus diuersum videtur esse, ab eo quod in fluminibus, stagnis, aut lacubus prouenit.* Dorion etiã apud Athenæum, marinos laudat, fluuiatiles vituperat. Xenocrates. κεστρεὺς πελάγιος ἄριστος, εὔστομος, δριμὺς οὐκ ἀπόλιπων λαβρακὸς, εὐδιαχώρητος, καὶ οὗτος πρὸς τὸ τρυφερὸν ποταμοῦ διαυγέσι καὶ καθαροῖς, νηξάμενος αὐχαλᾷ τὴν θαλάττιον σκληρότητα, ἀπὸ τῆς τοῦ γλυκέως ἐπικεράσεως. *Mugil verò pelagius optimus, ori gratus, acer, Lupo non cedens, prætereà hic quoque præterquam quod tener & facilè subducitur, in limpidis quidem ac puris fluminibus natans, marinam duritiem dulcis aquæ temperiei beneficio remittit.* Aëtius etiam libro I. refert, fluuiatiles Mugiles spinis refertos, concoctu deteriores, stomacho noxios, ac mali succi esse. Veteres caput præcipuè laudabant, vnde Anaxilas Poëta, Matronem sophistam gulæ insimulans.

> τοῦ κεστρέως κατεδήδοκεν τὸ κρανίον,
> Ἀναρπάσας Μάτρων, ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι.

Mugilis caput abreptum deuorauit Matron, ego verò perij. Hodierno adhuc æuo multis in locis lautiorum conuiuia honestat. In Belgica etiam nostra, superioribus sæculis inter lautissimos pisces adscriptus fuit, vt videre est apud Ausonium in Mosella.

> *Squammeus herbosas Capito interlucet arenas*
> *Viscere prætenero, fartim congestus aristis.*

Vtitur enim Græcorum more, Capitonis nomine pro vniuerso Mugilum genere. Archestratus hyeme præsertim Mugilem commendabat.

CAPVT

CAPVT XIX.

Acipenser nobilißimus piscis. cum tibijs, & coronis inferebatur in triclinium.

PRudens penè Acipenserem præterieram, quod non solùm nostro æuo, sed & superioribus sæculis ignotus fuit. Nam qui Sturionem nostrum esse opinantur, non mihi persuadent, vt suo loco dicam: sed quia maximæ nobilitatis, & tanquam διὸς ἐγκέφαλον, *Iouis cerebrum* olim fuit. Necessarium duxi pauca de illo dicere, nondum enim ad magnitudinis suæ, luxusque fastigium, res Romana peruenerat; cùm iam Acipenser, apud Nepotes imperium obtinebat; siquidem secundo bello Punico, iam in pretio erat. Testatur hoc graphicè Plautus in Baccharia.

Quis est mortalis, tanta fortuna affectus vnquam,
Quam ego nunc sum, cuius hæc ventri portatur pompa,
Vel nunc, qui mihi in mari Acipenser latuit antehac,
Cuius ego latus, in latebras reddam meis dentibus & manibus.

Cicero in Dialogo de Fato, apud Macrobium; *Cùm esset apud se, ad Lauernium Scipio, vnaque Pontius, allatus est fortè Scipioni Acipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, vt ferunt in primis nobilis: cum autem Scipio, vnum & alterum ex his qui eum salutatum venerant inuitasset, pluresque etiam inuitaturus videretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas, Acipenser iste, paucorum hominum est.* Ouidius in Halieutico nobilem vocat.

Tuque Peregrinis Acipenser nobilis vndis.

Lucilius verò, Gallonium quendam egregium obsoniorum gurgitem perstringit, quod conuiuium Acipensere, vt pretiosissimo pisce ornasset.

O Publi, ô gurges Galloni, es homo miser,
Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista

Consu-

Consumis Squilla, atque Acipensere cum Decumano.

Quem etiam tangit Horatius libro II. Satyr.

——— Haud ita pridem.
Galloni præconis erat, Acipensere mensa
Infamis.

Nec satis erat immenso illum pretio conquirere, nisi etiam singulari pompa Asotorum mensis inferretur; cum tibijs enim & coronis in triclinium, tanquam hostia Deæ Potuæ ferebatur. Atheneus lib. VII. Ἀρχέστρατος δ' ὁ τὸν αὐτὸν Σαρδαναπάλῳ ζήσας βίον, περὶ τοῦ ἐν Ῥόδῳ γαλεοῦ λέγων, τὸν αὐτὸν εἶναι ἡγεῖται τῷ παρὰ Ῥωμαίοις μετ' αὐλῶν, καὶ στεφάνων, εἰς τὰ δεῖπνα περιφερομένων ἐστεφανωμέναν καὶ τῶν φερόντων αὐτὸν, καλούμενον δ' Ακκιπενσέρα. *Archestratus qui Sardanapali vitam vixit, de Galeo Rhodio cum verba facit, eum esse putat quem Acipenserem vocant Romani, & cum tibijs ac coronis circumferunt in cœnis, coronatis etiam illis qui illum ferunt.* Sammonicus Serenus, qui sub imperatore Seuero vixit, apud Macrobium lib. III. Saturnalium idem refert. *Apud antiquos in pretio fuisse Acipenserem, Ego testimonijs palam faciam, vel eo magis, quod gratiam eius video postliminio redijsse, quippe qui dignatione vestra cum intersum Conuiuio sacro, animaduerto, hunc piscem à coronatis ministris cum tibicine inferri.* Nam quamuis, constat ad Symphoniam non solùm missus singulos mensæ illatos, sed etiam ablatos, ex satyrico Petronij: tamen prærogatiua quadam, hunc honorem Acipenseri soli delatum vides, vt coronatos ministros ac tibicinem haberet. Sed mirum est, sub Vespasianis euiluisse nobilem hunc piscem. testatur hoc Plinius lib. IX. *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus Acipenser, vnius omnium, squammis ad os versis, contra aquam nando meat, nullo nunc in honore, quod equidem miror, cum sit rarus inuentu, quidam eum Elopem vocat.* Secùs tamen sentire videtur Martialis eius contemporaneus.

Ad Palatinas Acipenserem mittito mensas,
Ambrosias ornent munera rara dapes.

CAPVT

CAPVT XX.

Elopem esse diuersum ab Acipensere. Piscatores nauesq́ coronatæ illo capto. Galeus Rhodius pretiosus piscis.

TAnta fuit Acipenseris, cum Elope, & Galeo Rhodio affinitas, vt multi eundem piscem crediderint, cum tamen longè diuersi sint. Appion certè Grammaticus apud Athenæũ libro VII. Acipenserem eundem cum Elope facit. Plinius verò libro XXXII. diuersum ab illo esse disertè docet. *Elopem quoque Ouidius dicit, nostris incognitum vndis, ex quo apparet falli eos, qui eundem Acipenserem existimauerunt*; Ouidij autem locus est in fragmentis Halieutici.

Et pretiosus Elops, nostris incognitus vndis.

Est enim non solum Italiæ ignotus, sed nusquam ferè capitur, nisi in Pamphylio freto, Columella libro VIII. *Non enim omni mari potest omnis esse, vt Elops, qui Pamphylio profundo, nec alio pascitur.* Cumque adeò rarus esset, non mirum si auro contra veniret; Varro apud Nonnium Marcellum, *Non multinummus piscis ex salo captus Elops. Neque ostrea vlla magna capta, quiuit palatum suscitare.* Epicharmus etiam vocat πολυτίματον ἔλοπα, *magni pretij*, quem fingit Poëta, Iouem sibi & vxori vt raras lautitias apposuisse. nec mirum carum fuisse ac valdè expetitum, cum teste Plinio, Elopi palmam saporis inter pisces multi dedere; optimum autem fuisse Rhodi, auctor est cum Varrone Plinius. Archestratus verò, Syracusis natum ceteris omnibus præfert.

τὸν δ' ἔλοπ' ἔσθε μάλιστα Συρακόσσαις ἐνὶ κλιναῖς
τόν γε τραπιστεύοντα, οὗτος γὰρ ἂν ἔστιν ἐκεῖθεν
τὴν ἀρχὴν γεγονώς.

Apud inclytas Syracusas Elope tu potissimum vescere, est enim præ-

 stantissimus,

ſtantiſsimus, ſiquidem illic primum natus eſt. Plutarchus libro de Sollertia animalium auctor eſt, magno plauſu & veneratione, piſcatores Elopis capturam celebrare. σπάνιος γάρ ἐστι, καὶ οὐ ῥάδιος ἁλῶναι, φαίνεται δὲ περὶ Παμφυλίαν πολλάκις. ἂν οὖν ποτὲ λάβωσι, στεφανοῦνται μὲν αὐτοὶ, στεφανοῦσι δὲ τὰς ἁλιάδας, κρότῳ δὲ καὶ πατάγῳ καταπλέοντας αὐτοὺς ὑποδέχονται καὶ τιμῶσιν. *Elops rarus eſt, nec facilis captu, circa verò Pamphyliam ſæpenumero viſitur, & cum capitur, tum ipſi piſcatores coronantur, & lembos ſuos ſertis redimunt, ac cum ſtrepitu plauſuq́ue aduecti, excipiunt & venerantur.* Eadem ex Plutarcho ad verbum tranſcripſit Ælianus lib. II. cap. XXI. Hiſtoriæ animalium. Xenocrates dicit Elopem eſſe εὐστόμαχον, γλυκύχυλον, τρόφιμον, εὐεκκριτον, *ſtomacho eſſe bonum, dulcem ſuccum gignere, bene alere, facileq́ue excerni.* Galeum verò Rhodium, quem alij ἀλώπεκα, *vulpem*, Syracuſani verò κύνα πίονα, canem pinguem vocant, non eſſe eundem cum Acipenſere, oſtendit, contra Archeſtratum Athenæus; eo quod Acipenſer minor ſit, roſtro longiore ac corporis figura magis triangulari quàm Galeus. Additque minimum atque viliſſimum Galeum, non minoris venire mille drachmis Atticis. Quid credimus bonum magnumq́ue veniiſſe? quanti verò lurcones illum æſtimauerint, Archeſtrati verſus indicant qui ſuis familiaribus ſuadet.

ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλώπεκα κἂν ἀποθνήσκειν
Μέλλῃς ἂν μὴ σοι πωλεῖν θέλῃ, ἅρπασον αὐτὸν
ὃν καλέουσι Συρακόσιοι κύνα πίονα κἆτα
ὕστερον ἤδη πάσχ᾽ ὅτι σοι πεπρωμένον ἐστί.

Apud Rhodum, Galeum vulpem etiam mortis periculo, vendere ſi nolint, præripe, quem pinguem canem appellant Syracuſij, deinde quod fatis deſtinatum fuerit, poſtea feras.

CAPVT

CAPVT XXI.

Aselli quondam in pretio. alij Bacchi, alij Callariæ. valdè salubres.

DE Asello nunc ordinis ratio postulat, pauca vt dicam, nam Plinio teste lib. IX. cap. XVII. post Acipenserem apud antiquos, nobilissimum piscium: præcipuam auctoritatem fuisse Lupo & Asellis, Cornelius Nepos & Laberius Poëta Mimorum tradidere. Græci ὄνον & ὀνίσκον appellant, Plinius verò aliter distinguit, libro IX. *Asellorum*, inquit, *duo sunt genera, Callariæ minores, & Bacchi, qui non nisi in alto capiuntur, ideò prælati prioribus.* Dorion verò apud Athenæum, ὄνον ab aliis γαδὸν, ὀνίσκον verò γαλλερῖδα dictum asserit. Ita vt Plinij Callarias, & Dorionis γαλλαρίης idem sint. Xenocrates verò Bacchum ab Asellorum genere videtur seiungere, μέσοι ἢ ὀνίσκοι, βάκχοι, σκιάδες. *Inter hos medij Aselli, Bacchi, Vmbræ.* Plinius lib. XXXII. Callariam ab Asellorum genere videtur diuersum facere, immemor eorum quæ dixerat, *Callarias*, inquit, *Asellorum generis, ni minor esset.* M. Varro, à colore quem refert ita dictum putat. vnde Ouidius in Hallieutico.

Et tam deformi, non dignus nomine Asellus.

Est autem optimi alimenti Asellus, nec iniucundi Saporis. Gal. lib. III. de aliment. facult. *Aselli, si probo vtantur alimento. & in mari puro degunt, carnis bonitate cum saxatilibus contendunt*; libro etiam VIII. Methodi Medendi, post saxatiles pisces, Asellos commendat, nisi si propè lacum aut magnum fluuium depasti fuerint, ideoque humidam magis ac glutinosam carnem habeant. Post Asellum verò, vt bonitate inferiores, Lupum, Soleam, Mullum, & Mugilem recenset. Xenocrates verò, ὀνίσκος, οὐ δριμύς, εὔχυμος, δυσδιοίκητος, εὐδιαχώρητος, τρόφιμος. *Asellus*

non

non acris saporis, boni succi, difficilis distributionis, facile subducitur, bene alit. Sed nō video quo pacto cōueniunt, δυσδιοίκητον & εὐδιαχώρητον esse; vix enim fieri potest aliquid difficulter distribui, & facilè per aluum subduci. Non dubito mendum hic latere; emendet cui melior codex obtigerit. Optimos autem Asellos Pessenuntios esse, auctor est Varro in Satyra περὶ ἐδεσμάτων, Archestratus dicit, aliquibus non placere Asellum: quod habeat raram & fungosam carnem. Pro corrolario sit, quod Plinius scribit libro XXXII. capite X. Lapillos qui in eius capite plena luna inueniuntur, contra febrium circuitus in linteolo alligari.

CAPVT XXII.

Scarus Italiæ peregrinus. Viscera eius optima. Diphili error. Saluberrimus piscium.

SVccessit in mensarum postea delicias Scarus: qui adeò peregrinus Italiæ fuit, vt ne Latinum quidem nomen vnquam inuenerit; quamuis Isidorus, aliter nobis vult persuadere libris originum, *Escarus,* inquit, *dictus quod solus escam ruminare perhibetur.* Vbi corruptè Escarus, pro Scarus legitur. Ouidius enim in Halieutico Scarum dicit ruminare.

Vt Scarus, epastas solus qui ruminat herbas.

Asiæ verò vniuersæ, Græciæque littoribus, Sicilia tenus frequentissimus: nec vnquam in Ligusticum aut Ibericum mare sponte penetrauit, ideoque serò admodum Romæ cognitus. Nec repugnat Q. Ennio non fuisse ignotum, cuius versus sunt apud Apuleium in Apologetico.

——— At quid
Scarum præterij, cerebrum Iouis penè supremi!
Nestoris ad patriam hic capitur, magnusq; bonusq;

Quippe is Archestratum exprimit; illosque celebres esse apud Pylum

Pylum refert. Augusti certè ætate, rarum adhuc fuisse innuit Horatius,

Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magisve Rhombus, aut Scari,
Si quos Eois intonata fluctibus,
Hyems ad hoc vertat mare.

Quasi dicat, nobilem illum piscem in Italia non capi, nisi fortuito, qui vi tempestatis, in illud mare inuitus sit eiectus. Sub Tiberio verò Claudio, immensa Scarorum copia nauibus fuit aduecta, & per Italiæ maria, tanquam noui coloni, in alium orbem missi. Plinius libro IX. *Nunc Scaro datur principatus, qui solus dicitur ruminare, herbisq́ue vesci, non aliis piscibus; mari Carphatio maximè frequens, promontorium Troadis Lecton, sponte nunquam transit, inde aduectos, Tiberio Claudio Principe, Optatus* (Macrobio est Octauius) *è libertis eius, Præfectus classis, inter Ostiensem & Campaniæ oram, sparsos disseminauit. Quinquennio ferè cura est adhibita, vt capti mari redderentur; postea frequentes inueniuntur Italiæ in littore, non ante ibi capti, admouitq́ue sibi gula sapores, piscibus satis, & nouum incolam mari dedit: ne quis peregrinas aues parere Romæ miretur.* Huc respexisse videtur Petronius Arbiter in Satyrico,

——— vltimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis,
Si quid naufragio dedit, probatur.

Varro in Satyra περὶ ἐδεσμάτων, Cilices Scaros commendat, nam Carphatium mare Ciliciæ vicinum est, vnde Scari aduecti fuêre: nam suo æuo, necdum erant Italia donati. Duplex autem Scarorum genus statuit Nicander Theiateirenus, vnum αἰόλον quod variis sit coloribus, alterum ὀνίας, quod ferè concolor est, vt Melanurus. Sed lasciuientium potius Poëtarum sunt Epitheta, quàm species distinctæ. Magnus ille & subtilis helluo Archestratus, optimos Epheso, Carthagini, ac Byzantio capi auctor est, tanti certè illum vetustas æstimauit, vt

 οὐδὲ

οὐδέ τὸ σκῶρ θεμιτὸν ἐκβάλλειν θεοῖς.

Ne excrementa quidem illius, fas sit Diis reiicere, dixerit Epicharmus. Non secus nostro æuo Scolopacem, siue rusticam perdicem, cum ipsis excrementis lautiores vescuntur. Nam intestinis visceribusque, in primis ferunt esse pinguissimum, vnde Martialis.

Hic Scarus æquoreis qui venit obesus ab vndis,
Visceribus bonus est, cætera vile sapit.

Suetonius etiam in immensa illa Vitellij Patina, quam Mineruæ clypeum vocabat, Scarorum iocinera, vt summas delicias commemorat; sed mirum est quod Martialis exceptis visceribus, nihil in Scaro laudat, sed vilem ipsius carnem dicat: cum tamen cæteri scriptores palmam illi inter pisces tribuant. caussa nisi fallor est, quod vulgo, illi sapidissimi censentur pisces, qui pingui carne constant, Scarus autem sicciori magis ac friabili carne est; quare à plebeis illis palatis spernebatur. In salubri verò dieta, primas partes obtinebat. nam Gal. III. de Alimentor. facultatib. inter saxatiles pisces (qui omnium erāt saluberrimi) Scarum optimum esse, asserit. Xenocrates, Σκάρος εὔστομος, δυσδιαφόρητος, εὔφθαρτος, διαχωρητικός. *Scarus ori gratus difficulter digeritur, facilè concoquitur & deiicitur.* Diphilus verò, carnem esse Scaro friabilem, dulcem, leuem, concoctu facilem, & quæ per aluum facilè elabitur, promteque distribuitur (contra ac Xenocrates ait) in pisce tamen recenti suspecta; quia Marinum Leporem venatur, eoque pascitur, quamobrem eius intestina, choleram morbum efficiunt. Quæ postrema verba Paradoxi instar sunt, siquidem Mullis hoc adscribunt, Plutarchus libro de Sollertia animalium. Et Plinius disertè his verbis. *Vescitur Lepore marino, vnum tantum modo animalium, vt non intereat Mullus piscis, & tenerescit tantum, & ingratior, viliorque fit.* adde Scarum non esse σαρκοφάγον (quamuis contrarium aliqui tuentur) sed herbis tantum algaque vescitur. Inter Pythagoræ præcepta hoc etiam cauebatur μὴ σκαρὸν ἐσθίειν,

ἐσθίειν, *Scarum ne edito*, quoniam τρυγηφάγος. i. *vua vorator sit.* Quisnam verò hac tempestate piscis sit Scarus, parum liquet, cum Italiæ littoribus non capiatur: an quod longo patrij maris desiderio, in Græciam iterum remeauit? Rondeletius propè Massyliam, & Stæchadas insulas, plurimos inueniri asserit, ac pro Sargis, ab imperitis piscatoribus venundari.

CAPVT XXIII.

De Turdo, Merula, Iulide, Phycide. Turdus Ptissana Marina dictus. Collumella, Dioscorides & Oribasius emendati.

INter Saxatiles pisces post Scarum, nobilissimi censentur, Turdus, Merula, Iulis & Phycis: ita tamen vt à Galeno, cæterisque melioris notæ medicis, Turdis Merulisque palma detur. Qua de caussa quondam à ganeæ peritis, piscinis vnà cum lectioribus piscibus includebantur. Columella lib. VIII. *Turdi complura genera, Merulasque & auidas Mustellas, tum etiam sine macula, (nam sunt & Varij) Lupos includemus.* Varia enim in primis memorantur Turdorum genera, vnde Nicander Theaterenus κιχλὴν πολυώνυμον cognominat. Alexander Trallianus tantis laudibus Turdum extollit, vt cæteris penè videatur piscibus preponere lib. VI. cap. de Pleuritide. ἔστι γὰρ κίχλης ὁ ἰχθὺς, καὶ ἁπαλὸς, καὶ ὑγρὸς, καὶ εὔπεπτος, καὶ ἴσως πτισάνην αὐτὴν ὀνομάζων θαλασσίαν, οὐκ ἂν ἁμάρτοις· οὕτως ἐστὶν ἀπέριττος ἡ ἐξ αὐτῆς τροφή. *Est autem Turdus piscis, & mollis & humidus, concoctu facilis, & si fortè ipsum Marinam Ptissanam nomines, non erraueris, adeò excrementi est expers.* Plinius item Medicus, quem alij Valerianum vocant. lib. v. *Sed & pisces offeres maximè κίχλας, est enim molli carne, & natura humidus & digestibilis, quem & Marinam Ptissanam vocant.* Diocles etiam & Diphilus, Turdum & Merulam, mollis carnis esse tradunt,

Pli-

Plinius lib.XXXI.Merulam inter ſaxatiles laudatam ſcribit. Xenocrates breuiter illorum dotes enumerat. Κίχλας, κόσσυφοι, φυκίδες ἁπαλόσαρκοι, εὔχυλοι, εὐδιαφορώτατοι, ἄτροφοι πρὸς διαχώρησιν ἐπιτήδειοι. *Turdi, Merulæ, Phycides, teneræ ſunt carnis, boni ſucci, facile digeruntur, non multũ nutriunt, ad alui deiectionẽ commodi.* Vulgus ab auibus nomẽ illis fluxiſſe credit, ſed à veritate illos deuiare oſtendunt D. Ambroſij verba lib. VII. Hexameri, quæ ob elegantiam lubet hic adducere. *Quid attexam etiã Merulas, Turdos, Pauos quoque, quorum etiã colores in auibus videmus expreſſos, vt nigræ Merulæ. Paui diuerſi coloris, dorſo & collo depicti ſunt: Turdi aluo varij, & cætera, quorum ſibi terræ ſpecies & nomina vendicarunt, nam priùs iſta in mari cœperunt, diuerſiſque fluminibus: ſiquidem aquæ prior animarum viuentium reptilia, diuino nutu imperatæ produxerunt. Videant ne grauiter aberrent, qui piſcibus nomina indita, ab animalium terreſtrium ſimilitudine opinantur.*

Poſt Merulas & Turdos, ſequuntur Iulides & Phycides, nutrimenti bonitate, medicis magis quàm Ganeæ peritis commendati. Hippolytus Saluianus, erudito ſuo de piſcibus opere, refert Iulidem formoſiſſimum omnium piſcium videri, ob varios colores, quibus à natura depictus cernitur; vnde & pleriſque Italis Donzella dicitur. Auctor eſt Athenæus ab Hermippo Smyrneo, Iulidem etiam vocari ὕκκαν. Sed cur ita vocetur, non explicat. Ælianus hiſtoriæ animalium lib. XI. cap. LII. tradit Iulides piſces ſaxatiles eſſe, quibus os veneno ſceleratiſſimo refertum eſt, adeò vt quemcumque piſcem deguſtauerint, inhabilem ad edendum, pernicioſumque ei, qui poſtea guſtauerit, efficiunt: vrinantes etiam infeſtis morſibus petunt. Eadem Oppianus in Halieutico, ſed ἴουλον is piſcem vocat. Qui dubio procul alius à Iulide: nec enim medici adeò obeſæ naris vnquam fuerunt, vt in rerum ſalubrium catalogo, piſcem venenati morſus recenſerent. Galenus enim, teneram habere carnem, concoctu facilem, ac humanis corporibus ſaluberrimam prædicat. Eundem gradum cum Iulide, in ſalubri alimento

mento Phycis obtinet. Diphilus. τῶν πετραίων ὁ φυκὺν καὶ ἡ φυκὶς, ἁπαλώτατα ἰχθύδια ὄντα, ἄβρωμα καὶ εὔφθαρτα ἐστιν. *Saxatilium Phycides sunt tenerrimi pisciculi, qui virus non sapiunt ac facilè concoquuntur.* Apud Columellam, deprauatè vtriusque nomen legitur. Sic enim ille lib. VIII. cap. XVI. *At arenosi gurgites, planos quidem non pessimè, sed Pelagios melius pascunt; vt Auratas, Dentices, Punicasque & Indigenas; Vmbrasque.* Substitue audacter, *Phycidasque & Iulidas*, nulli enim sunt pisces Punicæ & Indigenæ, nec obstat, Columellam inter Pelagios hos recensere, cum è saxatilium numero sint; nam & Vmbris arenosos gurgites attribuit, Oppianus verò saxosa loca, aut herbis virentia. Non enim de natura piscium, sed de piscinæ commodo situ, disputat; similiter etiam, & Oribasius in mendo est lib. IV. Synopseos. *Ex piscibus*, inquit, *Saxatilibus vesci poterimus Iulide, Phenicide, Merula, Turdo, Scaro.* Quis non videt legendum esse Phycide. Nec me fugit Phœnicem piscem esse: sed rubri tantum maris est incola, Æliano teste lib. XI. cap. XLIX. Historiæ animalium, *Piscem Rubro mari nasci ferunt cui nomen* ὑγρὸς φοῖνιξ. *i. aquaticus Phœnix*, non vt Petrus Gyllius, & Raphaël Volateranus legunt vna voce, Hydrophœnix. Sic etiam in Glossario veteri legendum, φυκὶς non φέκις, sic apud Dioscoridem lib. XI. cap. XXXII. corruptè legitur φωκίων pro φυκίδων. verba eius apponam, ἰδίως δὲ σκευάζεται πρὸς ταῦτα, ὁ ἀπὸ τῶν φωκίων καὶ σκορπίων, καὶ ἰουλίδων, καὶ περκίδων, καὶ τῶν ἄλλων πετραίων. Legendum φυκίδων. *priuatimque in hunc vsum conficitur ex Phycidibus Iulidibus, Percis & saxatilibus aliis teneris.*

CAPVT XXIV.

Perca alia marina, Fluuitialis alia. Aurata vnde dicta. Veneri sacra. Nobilis olim piscis.

QVæ Latinis Perca dicitur. Græcis est πέρκη vel πέρκις. à Galeno ac præcipuis medicorum, laudatissimis Saxatilium

lium annumeratur. Duplex autem eſt Perca, Marina & Fluuiatilis, Plinius certè libro XXXII. capite XI. Percam amni & mari communem facit. Marina maximè laudatur, vtpote ſalubris admodum, quales cæteri ſaxatiles piſces: quamque vetuſtiores medici in pretio habuerunt. Poſteriores & Fluuiatilem commendarunt, vnde & Xenocrates, Percam quam Rhenus ſubmittit, cæteris præponit; quæ etiam hoc æuo inter Germanos in pretio eſt. Auſonius verò in Moſella ſuo, graphicè illam depingit & laudat.

Nec te delicias menſarum Perca ſilebo,
Amnigenos inter piſces dignande marinos:
Solus Puniceis facilis contendere Mullis,
Nam neque guſtus iners, ſolidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, ſed diſſociantur ariſtis.

Salubrior tamen marina longè eſt Fluuiatili, & ſucci bonitate præſtat: nam qui tantopere illam extollunt, ignorant quantum inter Fluuiatiles ac marinos piſces ſit diſcriminis.

Auratam lubet Percæ ſubiungere, quamuis Oppianus & Ariſtoteles inter littorales, Columella verò inter pelagios annumerant. cum ſaxatili tamen genere de præſtantia certare poteſt. Eoque maior me tenet admiratio, nobiliſſimum hunc piſcem à Galeno præteritum, qui tamen tanto olim in honore fuit, vt Sergius Romanus Patritius, luxurioſa huius piſcis æſtimatione, Aurata, cognomento vocatus ſit, vt ſuprà ex Varrone, & Columella diximus. olim verò Orata dicebatur. Feſtus. *Orata, genus piſcis à colore auri dicta, quod ruſtici Orum dicebant, vt auriculas Oriculas; Itaque Sergium quoque quendam prædiuitem, quod duobus annulis aureis & grandibus vteretur, Oratam dicunt appellatum.* Sed diſſentiunt à Feſto citati auctores, qui non ab annulis aureis; ſed à piſce, Auratam vocatum dicunt. Græci χρύσοφρυν piſcem appellant. ab Ouidio etiam in Halieutico ita vocatum video,

—— & auri

Chry-

Chrysophrys imitata decus.

Isidorus Auratam dictam vult, quia in capite Auri colorem habet. Veneri hunc piscem sacrum credidit vetustas. Archippus apud Athenæum.

Ἱερὸς Ἀφροδίτης χρύσοφρυς Κυθηρίας.

Veneri Citheræa sacer Chrysophrys; idem obseruauit Eustathius ad Iliadem Τ. fortè quod formosus admodum piscis esset. de quo Matron Parodus.

Χρύσοφρυς ὃς κάλλιστος ἐν ἄλλοις ἵσταται ἰχθῦς.

Chrysophrys omnium piscium formosissimus. Archestratus laudat Auratam ex Epheso, quam & ἰωνίσκον ibi vocari tradit. Romani verò non omnes æqualiter laudabant, nam qui in Lucrino lacu pascebatur, cæteris præferebatur. Martialis.

Non omnis laudem, pretiumq́; Aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Hicesius piscem hunc omnium suauissimum, oriq́ue gratissimum esse prædicat. Xenocrates: *Aurata est candidæ carnis, solidæ, condensæ, boni succi, facilis distributionis, alitque, & non difficulter excernitur.* Cornelius Celsus, inter pisces durioris carnis Auratas recenset, minimeq́ue in stomacho vitiari. sic etiam Mnesitheus, Auratam dicit difficiliùs quidem concoqui, sed vberius mox alimentum suppeditare. Nostro etiam æuo, inter Hispanos Italosq́ue, auitam gloriam egregiè adhuc tuetur Aurata.

CAPVT XXV.

Passer, Ausonio Platessa. Solea quæ & Lingulaca. Plauto videntur differre.

DE Planis etiam piscibus nunc aliquid dicendum, hos Columella l. VIII. c. XVII. nunc iacentes, nunc prostratos

 vocat,

vocat, cæteros verò Erectos. Matron verò Parodus festiuè admodum apud Athenæum lib. IV. Σάνδαλα τῶν ἀθανατάων, *Soleas Deorum nominat.* Duplex autem illorum est genus; alij enim spinas habent, vt Passer, Solea, & Rhombus. Alij verò pro spinis Cartilaginem, vt Torpedo, Raia, Pastinaca: de prioribus nunc tantum agam, qui & lauti egregiè, & salubres ab antiquis censebantur. Passer Græcis ψῆττα dicitur (licet etiam hoc nomen, promiscuè cæteris planis piscibus penè attribuatur, vt infrà docebimus) Ausonius in Mosella Platessam vocat,

——— referuntur ab vnda
Corrhoco, læthalisq́ Trygon, mollesq́ Platessæ.

Vnde in nostrum æuum, nomen hoc in Belgio remansit **Platyse** vulgo, nam frequens hic vbique piscis: Romanis etiam, in deliciis fuisse Horatius ostendit, lib. II. Satyrarum VIII.

——— cum Passeris, atque
Ingustata mihi porrexit ilia Rhombi.

Mirum est quod Athenæus scribit, Atticos vocasse Passerem Cynoglossum, cum cæteri scriptores Soleæ potius speciem faciant.

Passeri affinis est Solea, sed nobilitate longè prior. Vnde Ouidius in Halieutico, vtrumque coniungit.

Fulgentes Soleæ candore, & concolor illis
Passer.

Varro, & Festus, Lingulacam vocant; Plautus Lingulacam à Solea distinguere videtur, in Casina, Olympio ad forum piscarium mittitur vt emat

St. Soleas. Ch. qui quæso potius quàm sculponeas,
Quibus batuatur tibi os senex nequissime.
Ol: vin Lingulacas: St. quid opus est quando vxor domi est,
Ea Lingulaca est nobis, nam numquam tacet.

Vtrumque nomen à Græcis mutuatum, nam & Σανδάλιον & βούγλωσσαν vocant. Hysichius. ψῆττα, ἰχθύδιον τῶν πλατείων: ἢ ψῆττα

ἢν

ἣν τινὲς Σανδάλιον ἢ βούγλωσσαν. *Psetta pisciculus è Planorum genere; & Psetta quam aliqui Soleam, aliqui Lingulacam vocant*, Quamquam parum propriè pisciculus vocatur passer, qui inter magnos pisces numerari potest. Quo loco etiam obseruo, ψῆτταν aliquādo de Solea dici, sic & Suidas: ψῆττα τῶν πλατείων τὶς ἰχθύων ἔνιοι βούγλωσσαν. Xenocrates inter pisces duræ carnis recenset, Galenus verò lib. III. de Alim. facul. cap. XXIX. ex Philotimi sententia inter μαλακόσαρκους .i. *mollis carnis pisces*, annumerat Passerem & Soleam, inter se valdè quidem similes, nisi quod Solea longè sit mollioris carnis, & gustui suauior, ac Passere multum prǽstantior. lib. etiam VIII. Meth. Med. post Asellos & Saxatiles, commendat Soleas. libr. etiam de Attenuanti victus ratione, cap. VI. Buglossum recenset inter illos pisces, qui in Saxatilium penuria ægrotis conueniunt. Diphilus etiam Passerem, & Soleam abundè nutrire, & ori suaues esse dixit. Hodierno etiam die, summo in honore est Solea; nam in lautioribus conuiuiis, in summa etiam cæterorum piscium copia, in pretio est, leuissimum enim generat alimentum, & facilè concoquitur.

CAPVT XXVI.

Rhombus lautißimus piscis. Græci nunc ψῆτταν, nunc Rhombum vocant. An idem ψισίον vocetur.

NOn vltimum locum, popinales deliciæ dabant olim nobilissimo planorum piscium Rhombo: vnde Horatius inter præcipuas Lautorum lautitias, iure illum recenset.

——— Fastidis omnia, præter
Pauonem & Rhombum.

Persius etiam Satyra VI. pro delicato cibo enumerat.

Nec Rhombos ideo libertis ponere lautis.

Nec immerito quidem, habet enim carnem candidam & succulentam,

culentam, quæ & palato non ingrata eſt: atque affatim, ſalubriterque alit. Græcis ψῆτταν dici, multorum eſt opinio, Athenæus ſub finem ſeptimi. Ρωμαῖοι δὲ καλοῦσι τὴν ψῆτταν Ῥόμβον. *Romani vocant Pſettam, Rhombum.* Ariſtoteli diligentiſſimo naturæ ſcrutatori, Rhombi nomen ignotum. Xenocrates tamen, diuerſum ſtatuit à Pſetta, καὶ σκληρόσαρκοι μὲν φάγροι, συνοδόντες, βούγλωσσοι, καὶ οἱ πλατεῖς ὡς ψῆτται, ῥόμβοι. *Duræ carnis ſunt Phagri, Dentices, Bugloſsi, & Lati, vt Paſſeres & Rhombi.* à Plinio etiam vt diuerſi recenſentur libro IX. capite XVI. *Terra quidem, hoc eſt vado maris excauato, condi per Hyemem, Torpedinem, Pſettam, Soleamq́ tradunt*; de Rhombo enim alibi agit; ineptum certè eſſet, & Romana grauitate indignum, omiſſo vſitato Rhombi nomine, peregrino Pſettæ vocabulo vti, niſi diuerſos piſces exiſtimaſſet. monet tamen doctiſſimus Iſacus Caſaubonus, à Siculis vocari Rhombum, quem Pſettam interior Græcia indigetat, à quibus ad Romanos vox hæc vt plures aliæ, defluxit: teſtatur hoc Nauſicrates Poëta apud Athenæum.

——— γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ὃν
Ὄχλος ὀνομάζει Ῥόμβον. ἢ ψῆτταν λέγεις?

Lactei coloris Rhombum quem Siculus populus vocat. An Pſettam dicis? Sic enim mendoſum hunc & tenebricoſum locum, idem Vir doctus primus reſtituit. Optimi autem Rhombi erant Attici, teſte Clemente Alexandrino in Pædagogico. Plinius verò Rauennæ optimos eſſe ſcribit. Sero autem Romanorum menſis adhibitum ex Horatio liquet.

——— *Quid? tum Rhombos minùs æquor alebat?*
Tutus erat Rhombus, tutoque Ciconia nido,
Donec vos auctor docuit Prætorius.

Quidam hunc Sempronium, alij Rutilium Rufum nominant. Martialis Rhombi magnitudinem egregiè exaggerat.

Quamuis lata gerat patella Rhombum,
Rhombus tamen eſt latior patella.

Iuuenalis etiam feſtiuè valdè ludit, in Rhombum inuſitatæ magni-

magnitudinis, qui Domitiani sæculo Anconæ captus fuit.

Cum iam semianimem laceraret Flauius orbem
Vltimus, & Caluo seruiret Roma Neroni.
Incidit Adriaci spacium admirabile Rhombi,
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Impleuitq́; sinus.

Quem refert, adeò ingentis formæ fuisse, vt necesse fuerit, nouum fornacē extruere, conficiendæ patinæ, vt integer Rhombus Principis mensæ inferri posset: vnde egregium hoc Senatus-consultum, monstro illi dignum natum fingit,

——— ex hoc
Tempore, iam Cæsar figuli tua castra sequantur.

Sed ad Rhombum: auctore Diphilo, Passeri & Soleæ proportione respondet, abundè autem nutrit, oriq́ue suauis est. Xenocrates verò difficulter illum concoqui scribit, quare expedire vt per diem vnum asseruetur, priusquam coquatur. Nostro æuo, nobilis etiam piscis est apud plerasque Europæ gentes, Hispanos dico, Italos, Gallos, Belgas.

Simeon Sethi inter cibos εὐχύμους καὶ εὐπέπτους, refert ψισίον piscem, quem etiam commendat, ex morbo conualescentibus: eiusdem meminit, & Michaël Psellus, libro de Diæta ad Constantinum Imp. an verò hic piscis idem sit cum ψῆττα, dubitari posset, præsertim quod Simeon Sethi nusquam ψῆττας, laudatissimi piscis mentionem fecerit; tum quod Trallianus passim ψίσσαν pro ψῆττα legit. Vnde fortè, per ætatis decursum ψησία & ψισίον deducta sunt. Suidas. ψησία εἶδος ἰχθύων, piscium speciem dicit, viderint doctiores, quorum iudicio libens acquiescam, nam ego hīc Dauus sum, non Oedipus.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Mulli Etymon. Pretia immensa. Cur maiores præcipuè in pretio. Plinij lectio firmata. Conuiuarum manibus vitro inclusi moriebantur. Barbæ illorum in deliciis. Dianæ sacri.

SEd inter omnes pisces prærogatiua quadam, omniumque consensu, Mullus sibi imperium occupauit, nec alius vnquam maiori in honore, aut gratia apud Romanos fuit. Græcis τρίγλη dictus, quod ter in anno pariat. Hodie Regulos marinos vel Barbos appellant. Isidorus Hispalensis ita dictum credit quod molli sit carne: sed manifesta est hallucinatio, nam medicorum omnium consensu, dura ac friabili est carne præditus; Fenestella apud Plinium, à colore Mulleorum calceamentorum dictum, ait, qui punicei erant qualis & Mullorum color, vnde passim à Poëtis Epithetum hoc illis inditum. Ausonius in Mosella de Perca.

Solus Puniceis facilis contendere Mullis.

Oppianus in Halieutico vocat.

—— τρίγλησε ῥοδόχροα φῦλα νέμονται.

Mullorum genus rubri coloris pascitur. à Matrone verò apud Athenæum ἐρυθρόχροος vocatur: summa in illo pisce gulę insania fuit, & Asotorum prodigalitas. nam cum piscinæ raros Mullos alerent, non erat ita frequens illorum copia, nec in promptu ac cæterorum piscium. Nam teste Plinio, nec in viuariis, piscinisque crescunt. Quod Columella clarius docet libro VIII. capite XVII. *Neque enim si velimus, vt in mari nonnunquam conspeximus, in viuario multitudinem Mullorum pascere queamus, cum sit mollissimum genus, & indignantissimum seruitutis; raro itaque vnus aut alter, de multis millibus claustra patitur.*

Accedit etiã aliud gulę incentiuum, corporis exigua moles, siqui-

ſiquidem Plinio auctore, binas raro libras ſuperat. Qua de cauſſa, maiores auro contra veniebant, adeò vt ſolius tantum Mulli pretium paſſim ſcriptoribus celebratum ſit. Cùm nuſquam, Scari, Lupi, vel Acipenſeris, aut aliorum nobiliorum piſcium pretia memorentur. Seneca Epiſtola XLV. *Mullum ingentis formæ (quare autem non & pondus adjcio, & aliorum gulam irrito? quatuor & ad Selibram fuiſſe aiebant) Tiberius Cæſar, miſſum ſibi, cum in Macellum deferri, & venire iußiſſet; Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum Mullum aut Apicius emerit, aut P. Octauius. Vltra ſpem illi coniectura proceßit, licitati ſunt, vicit Octauius & ingentem conſequutus eſt inter ſuos gloriam: cum quinque millibus HS. emiſſet piſcem quem Cæſar vendiderat; ne Apicius quidem emerat.* Eſſent noſtræ monetæ CXXV. philippici; hui! dices tantum pro tantillo piſce, atqui maius multo eſt, ac fidem penè ſuperat, quod Suetonius in Tiberio. *Corinthiorum vaſorum pretia immenſum exarſiſſe, treſq́; Mullos* XXX. *millibus nummum veniſſe grauiter conqueſtus eſt*. Et merito, cum ſinguli piſces CCL. philippicis conſtarent. Miror ego, ſi in numeris non ſit erratum, C. Plinio hoc excidiſſe, qui tanquam extremum prodigalitatis facinus refert, *Aſinium Celerem ſub Caio Cæſare, octo millibus nummum, vnum Mullum mercatum fuiſſe;* lubet mirari, illius ætatis priuatorum opes, & prodigioſum luxum: cum nemo Regum hodie tam inſanè profuſus ſit; vnde paſſim à Poëtis Ganeones illi notantur. Iuuenalis Satyra IV. de Criſpino.

——— Mullum ſex millibus emit.
Æquantem ſane paribus ſeſtertia libris.

Martialis in Callidorum ſatis acriter.

Nec bene cœnaſti, Mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cænæ pompa Caputque fuit.
Exclamare licet, non eſt hoc improbe, non eſt
Piſcis, homo eſt, hominem Calliodore voras.

Sed paulatim iterum ſub bonis ac frugi principibus, imminuta fuerunt hæc Macelli pretia. Macrobius, *in qua re luxuriam illius*

ſæculi eo magis licet exiſtimare, quod Plinius Secundus, negat facilè Mullum repertum, qui duas pondo libras excederet. At nunc & maioris ponderis paſſim videmus, & pretia hæc inſana neſcimus. Sed quæ cauſſa eſt cur maiores Mullos, tam grandi pecunia coëmerent veteres illi Helluones, cum nec Palato adeo ſuaues ſint, nec ad concoquendũ faciles. Gal. lib. III. de Alim. facult. cauſſam reddit, *Cum quendã, inquit, aliquando interrogaſſem, qui ingenti pecunia prægrandes Mullos emerat; quid eſſet quod illos tantoperè expeteret: reſpondit ſe primum propter hepar, tum autem propter caput illos tanti emiſſe.* Aëtius lib. II. c. LXXIX. θαυμάζουσι δὲ τινὲς τὸ ἧπαρ αὐτῆς, καὶ τὸν ἐγκέφαλον ἡδονῆς ἕνεκεν. *Admirantur quidem ipſius hepar, & caput voluptatis cauſſa.* Mulli certè caput, Matron Poëta, in Nuptijs Hebes extollit. De hepate verò idem Galenus, *Verum Mulli Hepar, propter voluptatem à guloſis ſummoperè expetitur; quidam verò, nec ipſum quidem per ſe mandere volunt; ſed Oleum & Garum, in vaſe cum pauxillo vini præparantes, in eo viſcus ipſum tantiſper comminuunt, quoad totũ ſimul ex ipſo & liquoribus illis præparatus ſuccus, vnus fiat ſimplex ad ſenſum, in quo Mulli carnes intinctas edunt.* Plinius hunc ſuccum Alecem vocat lib. IX. cap. XVIII. *M. Apicius ad omne luxus ingenium, mirus; in Sociorum Garo (nam ea quoque res cognomen inuenit) necare eos præcellens putauit, atque ex iecore eorum, excogitare prouocauit Halecem.* Quo loco obſeruo, non ſatis illis fuiſſe ex Mullis Alecem parare, niſi primum illum in Garo necaſſent: quamquam Vir Doctus Hippolitus Saluianus, lectionẽ Plinij controuerſam facit, & ſiccari eos in Garo, non necari legendum putat. Parum ἀκριβῶς. Idem enim priùs obſeruauit Seneca. *Alios necant in Garo & condiunt viuos.* Plato Comicus.

ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ἀποπνίξουσι μέ.

In putido Garo ſubmergentes ſuffocarunt me. De Mulli etiam Hepate, Lampridium intelligendum puto in Heliogabalo. *Exhibuit & Palatinis ingẽtes dapes, extis Mullorum refertas.* Nulla enim illis exta, præter Hepar in pretio. Sed non ſatis erat guloſis illis Palatum, niſi & oculos Mulli voluptate paſcerent, itaque in ſum-

in summis erat delicijs, videre Mullum in manu emori. Plinius libro IX. capite XVII. *Mullum expirantem, versicolori quadam & numerosa varietate spectari, proceres gulæ narrant; rubentium squammarum multiplici mutatione pallescentem, vtique si vitro spectetur inclusus.* Sed iuuabit Senecam audire libr. III. naturalium quæst. dum luxuriam, more suo acriùs increpat.

Parum videtur recens Mullus, nisi qui in conuiuæ manu emoritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & obseruatur morientium color; quem in multas mutationes, mors luctante spiritu vertit. Alios necant in Garo, & condiunt viuos. hi sunt qui fabulas putant; piscem viuere posse sub terra, & effodi, non capi. Quam incredibile illis videretur, si audirent, natare in Garo piscem, nec cœnæ caussa, occisum esse super cœnam: cum multum fuit in delicijs, & oculos antequam gulam pauit. Permitte mihi quæstione seposita castigare luxuriam. Nihil est, inquis, Mullo expirante formosius, ipsa colluctatione animam agenti. rubor primum, deinde pallor suffunditur, quam æquè variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est; & paulò infrà. *Da mihi in manus vas Vitreum, in quo exultet, in quo trepidet, vbi multum diúque laudatus est, ex illo pellucido viuario extrahitur: tunc vt quisque peritior est, monstrat: vide quomodo exarserit rubor, omni acrior Minio; vide quas per latera venas agat; ecce, sanguineum putes ventrem, quam lucidum quiddam, cæruleumque sub ipso tempore effulsit; iam porrigitur, & pallet, & in vnum colorem componitur.* bene Hercule post multa concludit. *Non sunt ad popinam, dentibus & ventre & ore contenti, oculis quoque gulosi sunt.*

Sed non æqualis Mullis omnibus honor aut par gratia: Galenus lib. III. de Aliment. facultat. optimos censet, qui alto puroque mari degunt: bonisque alimentis vescuntur, pessimos verò qui Cancellos vorant. Plinius, tales Lutarios vocat, quod in luto versentur, quos simul cum littoralibus improbat. Laudatissimos verò, Conchylium, inquit, sapere. Xenocrates Pelagios & Saxatiles commendat, Littorales verò inferiores iudicat. Qui Pelagios etiam à saxatilibus hac nota distinguit, quod

 hi sint

hi ſint rufi, Ciñabariq́ue atque auro ſimiles, ac barbam ferant, alij verò non. Sophron Poëta tales γεννεατίδας vocat, cæteriſque præſtantiores iudicat, Latini Barbatulos vocant. Plinius tamen vniuerſo generi barbam tribuere videtur, *Barba, inquit, gemina inſigniuntur inferiori labro.* Iuuenalis verò poëtica licentia, Iubas nuncupat, Satyr. VI.

——— Cariturus Turture magno,
Mullorumq́ue iubis,

Quod tamen Scholiaſtem veterem fugit, qui pro Iubis, Criſtas explicat. Fuere etiam olim illæ in delicijs. Lampridius in Heliogabalo. *Barbas ſane Mullorum, tantas iubebat exhiberi, vt pro Naſturtijs, Apiaſtris, & Facelaribus & Fænugræco exhiberet, plenis, ſabatarijs & diſcis, quod præcipuè ſtupendum.* Certè ſtupendum hoc: & penè incredibile: immenſa enim Mullorum copia fuit opus, vt illorum barbæ, diſcos capaciſſimos implerent, cùm geminæ illis tantum ſint, nec omnibus quidem. Optimos verò Mullos, ex Tichiunte Mileſij agri vrbe, peti dicebat Archeſtratus. Cratinus verò, ac Meneſicrates Comici, Æxonicos laudant, erat autem Αἰξόνις, Pagus Athenienſium. Iuuenalis ex Corſica etiam, & Sicilia peti ſcribit, Satyra V.

Mullus erit domino, quem miſit Corſica, vel quem
Taurominitanæ rupes; quando omne peractum eſt,
Et iam defecit noſtrum mare.

Alimentum verò quod ex Mullis ſumitur optimum eſſe, teſtatur Gal. lib. III. de Aliment. facult. *Mullus omnium fere piſcium carnem habet duriſſimam & valdè friabilem; quod idem ſignificat, ac ſi dicas nihil in illo eſſe lentoris, ac pinguedinis: nutrit certè cum probè confectus fuerit, omnibus alijs piſcibus copioſius.* & paulò infrà, *ergo Mulli caro iucunda quidem eſt, vt quæ alimentum eſt hominum naturæ accommodum, & quamquam alijs piſcibus ſit durior, mandi tamen quotidie poteſt; propterea quod friabilis eſt, ac pinguedinis expers, cum quadam acrimonia, nam pinguia & lenta cibaria, ſtatim vt ſumpta fuerint, celeriter implent, & appetentiam euertunt.* Xenocrates

crates apud Oribasium. *Mullus obsoniorum præstantissimum, & stomacho ideoneus, & boni succi, ori gratus, caro plana, difficilis ad corrumpendum, mediocris verò ad excernendum.* Sed non omni anni tempore æquè bonus. Aristoteles in Autumno, Xenocrates Verno tempore meliorem esse asserit, quod oua tunc pariat. Sed quamuis laudatas omnes has dotes habet, non desunt tamen & noxæ quædam; nam auctor est Diphilus apud Athenæum libro VIII. sanguinem elicere, κοινῶς δὲ πᾶσα αἵματος ἐκκλητικὴ, *in vniuersum sanguinem elicit.* Dioscorides verò, τρίγλα συνεχῶς ἐσθιομένη, ἀμβλυωπίας δοκεῖ κατασκευαστικὴ ὑπάρχειν. *Mullus continuò comestus, creditur claritati oculorum nocere*, idem & Aëtius asserit. Plinius verò neruis esse inutilem dictitat. Sed aduersa hæc, magno & vnico beneficio compensari possunt, quod in vino necatus, ijs qui inde biberint, vini tædium adfert, vt auctor est Plinius; temulentis & madidis nostris bonum remedium, si maria nostra Mullum darent. Qua de caussa par illi haberetur honor, ac olim à Dianæ sacerdotibus, quod marinum Leporem, homini pestiferum, vbicumque persequeretur & necaret: quod præter Athenæum, testatur Ælianus lib. XII. Histor. animalium cap. XXI. *Eleusinæ sacris initiati, idcirco Mullo pisci honores habent, vel quod is ter anno pariat, vel quia mortiferum homini Leporem marinum, exest, planèque conficit.*

CAPVT XXVIII.

De Capro pisce. Nobilissimus apud Græcos. Ennius explicatus. Hesychius emaculatus. Glaucus Piscis. eius Etymon, caput in pretio.

INter pisces, quos ad insaniam penè, magnis impensis conquirebant Græci, imprimis erat κάπρος, quem Aprum vocant, Romanis fuit ignotus. Apud Comicum quidem Philemonem, cocus enumerans nobilissimos pisces, Scarũ & Glau-

 ciscum,

ciſcum, ex Argis Caprum refert. Archeſtratus verò pleno ore, illum præ cæteris extollit.

Αὐτὰρ ἐν Ἀμβρακίαν ἐλθὼν εὐδαίμονα χώραν,
τὸν κάπρον γ᾽ ἂν ἐσίδῃς, ὠνοῦ καὶ μὴ καταλείπε,
Κ᾽ ἂν ἰσόχρυσος ἔῃ, μή σοι Νέμεσις καταπνεύσῃ
Δεινὴ ἀπ᾽ ἀθανάτων. τὸ γὰρ ἐστιν νέκταρος ἄνθος,
τούτου δὴ θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν.

Ambraciæ in beatam regionem ſi te conferas,
Aprumq́ videas, eum mercare, neque inemptum relinquas,
Vel ſi auri tantum rependendum ſit, afflatum ne
Te Nemeſis deturbet, irata & infeſta Dea.
Is enim eſt flos nectaris, nec cuiuis mortalium fas eo veſci.

Quem imitatus Q. Ennius in Phagiticis, Ambraciæ Caprum in pretio eſſe canit.

Mytilenæ eſt pecten, Caproſque apud Ambracienſes,

Ita enim legendum primus monuit Doctiſſimus Iſacus Cauſſabonus, ad Apulei Apologiam. Scio Hieronymum Mercurialem non de piſce, ſed de Quadrupede animali, aſſerere loquutum eſſe Archeſtratum, libris variarum lectionum: eò quòd Varro inter cibos, qui è longinquo Romam adueherentur, Hœdum ex Ambracia recenſet. Sed nimis infirmo tibicine, coniectura hæc innititur, Athenæus enim, vbi Archeſtrati verſus adducit, nimis quam clarè de piſce loquitur. *Ariſtoteles*, inquit, *libris de animalibus, ſcripſit piſces quoſdam leues eſſe ac edentulos, vt acum: quoſdam in capite habere lapidem, vt Chromyn; quibuſdam verò carnem eſſe duram, & aſperam cutem, vt Capro.* Adde Græcis vocem κάπρος nuſquam ſignificare Hœdum. Heſychius, κάπρος, σύαγρος, ὗς ἄγριος, ἢ τὸν φάγρον ἰχθύν, καὶ νόσημα τι γενόμενον ταῖς μελίσσαις. *Caprus ſuem agreſtem, & Phagrum piſcem, & morbum, aliquem ſignificat qui Apibus ſuperuenit.* Quamquam in eo labitur Heſychius, quod Phagrum, eundem cum Capro faciat; qui ſint diuerſi. Quo loco etiã à turpi Gloſſemate auctor mihi videtur vindicandus, quorſum enim illud ὗς ἄγριος cum primo σύαγρον nominauit: in margine aliquis libri annotauerat, σύαγρος. i. σῦς ἄγριος,

ἄγριος, ita enim & olim dicebatur non ὗς ἄγριος, inde in textum irrepsit, vt apud alios auctores passim obseruarunt Viri docti. Sed mitto hæc: Hœdos autem nobiliores ex Melo insula Græci accersebant. Clemens Alexandrinus lib. 11. Pædagogici καὶ τοὺς ἐν Μήλῳ ἐρίφους. Idem & Athenæus libro primo. Ennius etiam præter Caprum, meminit & Apriculi piscis.

Apriculum piscem scito primum esse Tarenti.

An diuersus sit ab Apro pisce, necne, non ausim affirmare.

Nulla in re Apro erat inferior Glaucus piscis, cœnarũ apud Græcos, vel præcipuus fundus. Dictus autẽ est Glaucus, teste Isidoro à colore & quod sit albus, Græci enim γλαύκον album vocant. Sic Hesychius. γλαύκος, λευκός. A Theocrito enim in Berenice λευκον vocari, auctor est Eustathius. Θεόκριτος δ' ἐν Βερενίκῃ ἄλλο τι βούλεται, εἰπὼν ἱερὸν ἰχθὺν ὃν λευκον (ἢ γλαῦκον) καλέουσιν. ὁ γὰρ ὅδ' ἱερότατος ἄλλων. Nemo enim hactenus nouit λευκον piscem sacrum, quem Poëta scribit piscatores sacrificare vt fælicem iactum faciant. Philotimus inter duræ carnis pisces recenset. Xenocrates in omnibus Lupo similem facit. Alexand. Trallianus laborantibus oculis biliosa fluxione, inter alimẽta quæ minus corrumpũtur, Orphum & Glaucum annumerat, vt durioris carnis, ex quibus etiam Isicia parari docet. Præcipuè verò προτομὴ eius erat in honore, seu caput. Iulius Pollux. κρανίον γλαύκου εὐδόκιμον ἦν. Anaxandrides Comicus.

ὃ πρῶτος εὑρὼν πολυτελὲς, τμητὸν μέγα
Γλαύκου πρόσωπον.

Qui primus inuenit magni pretij ora execta Glauci grandia. Quod adeo apud omnes notum fuit, vt in Parœmiæ locum penè abierit. Antiphanes.

——— ἀπισταίην ἂν ὧν προειλόμην,
ἢ Καλλιμέδων γλαύκου πρόοιτ' ἂν κρανίον.

Difficilius capta deseram quam Callimedon Glauci caput.

Eustathius ad Iliada μ. οὗ περ ἔκκειτο ἡ κεφαλὴ καὶ μάλιστα οἱ ὀφθαλμοί. *Vbi in capite præcipuè oculos commendat.* Archestratus optimos

mos prædicat Olynthios, & Megarenſes: Ennius verò Surrentinos.

Surrenti ſas emas Glaucum Cumas apud.

Optimi verò hyberno erant tempore Glauci, nam æſtiuo, illos latere præter Ariſtotelem, teſtatur Ouidius in Halieutico.

Et nunquam æſtiuo conſpectus tempore Glaucus.

Quod etiam peritiſſimus ille, apud Damoxenum monet coquus.

τὴν ἔχει διαφορὰν πρῶτος, ὦ, βέλτιστε σὺ
Γλαυκίσκος ἐν χειμῶνι, καὶ θέρει.

Primum qualem habet differentiam vir optime, Glaucus Hyeme atque Æſtate. Vnuſquiſque enim piſcium ſtatas habet tempeſtates, quibus ſuauis & iucundus eſt, aliàs ingratus & inſuauis.

CAPVT XXIX.

Anguilla Græcis in honore. Cœnarum Helena. Copaides olim celebres. Congri caput.

QVamuis Romæ olim, nullo vnquam in pretio Anguillæ fuerunt, vtpote quæ pullatorum tantum menſis inferebantur, vt oſtendit Iuuenalis Satyr. v.

Vos Anguilla manet, longæ cognata colubræ.

Neceſſarium tamen duxi, illas non omnino præterire, vt neque Congros, quod Græcis in delicijs fuerunt. adeò enim auidè Anguilla illis expetita fuit, vt Eraſiſtratus Comicus dicat,

——— ὅμως δ' οἴμαι βασιλεὺς
Πάντων τῶν περὶ δαῖτα καὶ ἡδονῇ ἡγεμονεῖα
ἔγχελος, ἢ φύσει, ἐστὶν ἀπύρηνος μόνος ἰχθύς.

Omnium ſanè vt arbitror, quibus veſcimur, Anguilla tanquam regina voluptatis, obtinet principatum, ſoluſq; piſcium eſt ſine ſpina. Epicureorum verò non nemo apud Athenæum libro VII. τῶν δείπνων Ἑλένην. i. *Cœnarum Helenam vocat.* Hinc etiam Archeſtratus, Meſſanenſes

ſanenſes cæteris feliciores prædicat, ob Anguillarum frequẽtiam. Ariſtophanes verò in Acharnis, de Anguilla tanquam lautiſſimo obſonio loquitur.

Σκέψασθε παῖδες, τὴν ἀρίστην ἐγχέλην,
Ἡκοῦσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην.

Videte hanc pueri optimam Anguillam, quæ vix poſt ſextum annum optata aduenit. Sed ſuprà omnes Antiphanes Comicus, nimis graphicè & facetè illius præſtantiam ac pretium exponit.

πολὺ τῶν θεῶν γαρ ἐστὶ τιμιωτέρα,
τῶν μὲν γαρ εὐξαμένοισιν ἐσθ' ἡμεῖν τυχεῖν,
τούτων δὲ δραχμὰς τὸ λάχιστον δώδεκα
ἢ πλεόν ἀναλώσασαν ὀσχᾶσθαι μόνον.

Multo namque magis Diis eſt honoranda Anguilla; precibus enim ſolis propitiamus Deos, aſt Anguillas, drachmis cum minimum duodecim, vel pluribus impenſis odorari vix liceat. Variæ autem variis in locis celebratæ ſunt, Clemens Alexandrinus, Menandri Anguillas guloſis expetitas dicit: Pauſanias in Bœoticis, Anguillas Copaidis vel Cephiſſidis lacus, eſſe ingenti magnitudine, eſuque ſuauiſſimas memorat. de his Ariſtophanes.

Πρεσβείρα πεντήκοντα Κωπαΐδων κορᾶν
Ἔκβαθι, τῷ δὲ κήπι χάριτται τῷ ξένῳ.

Heus quinquaginta Virginum Copaidum maxima, exi, & gratificare huic hoſpiti. In pretio etiam erant in Strymone amne, & circa Rhegium captæ. Coquebantur autem inuolutæ betæ foliis, quas, vna dictione vocat Ariſtophanes ἐντετευτλανωμένους. Eubulus aliter. Βοιώτιαι παρῆσαν ἐγχέλεις θεαὶ τευτλ' ἀμπεχόμεναι. *aderant Bæotiæ Anguillæ diuæ betis amictæ.*

Hodierno verò tempore vix alibi apud lautiores in gratia, vtpote communi Medicorum ſententia, è ſalubrium ciborum numero, eliminatæ. Quamuis contrarium ſenſit olim Hiceſius libro de alimentorum materia. *Succi bonitate*, inquit, *Anguillæ omnes alios piſces ſuperant*, ventriculoque eſſe longè gratiores plurimis aliis piſcibus. Auctor eſt Galenus, Anguillas nunquam eſſe boni ſucci, tametſi in pura aqua verſentur, nec-

 dum

dum in illa, quæ vrbium ſordes, & purgamenta in ſe recepit. Minus tamen noxæ habent, quæ ſecundis amnibus in mare deuehuntur; exuunt enim ibi viſcoſum lentumque humorem, quo antea ſcatebant, ſalſuginoſæ aquæ beneficio. Pari cum Anguillis in honore, erant Congri apud Græcos, præſertim ſi ex Sicyone eſſent aduecti. Philemon.

> ἥκῃς Σικυῶνος τῆς φίλης, ὃν τοῖς θεοῖς
> φέρει Ποσειδῶν γόγγρον εἰς τὸν οὐρανόν.

Vel ſi ex chara Sicyone, quem Diis Neptunus Congrum in cælum vſque fert. Circa enim hanc vrbem ferunt tantæ magnitudinis Congros capi, qui hominem ſinguli poſſent onerare. Archeſtratus autem, in Italia optimos prouenire narrat. Nihil verò in toto Congro, capite lautius habebatur, ſic enim Poëta in γαστρονομίᾳ.

> Γόγγρου μὲν γὰρ ἔχεις κεφαλὴν φίλος ἐν Σικυῶνι
> Πίονος, ἰσχυροῦ μεγάλου, καὶ πάντα τὰ κοῖλα.

Congri quidem caput è Sicyone habens amice, pinguis, validi, magni, inteſtinaq; omnia.

Apud Romanos rarò in deliciis, vel apud Comicos infrequens illius mentio. Terentius in Adelphis.

> ——— *piſces cæteros purga Dromo*
> *Congrum iſtum maximum, in aqua ſinito ludere*
> *Pauliſper, vbi ego venero, exoſſabitur.*

Inter duræ carnis piſces, ac difficilis concoctionis, à medicis annumeratur.

CAPVT XXX.

Tructa noſtra diuerſa à τρώκτῃ Græcorum. Lupi varij non ſunt Tructæ. Auſonij & Sidonij Apolinaris Salar. Pyruntæ Mneſithei, ſunt Tructæ. Athenæi lectio firmata. Auſonij Fario.

HActenus maiorum quaſi gentium piſces, quos vel in deliciis veteres, vel ſanitatis tutela habebant, pleroſque per-

percurri. Nunc æquum eſt, vt nobiliores aliquot noſtri ęui ſubiungam; vt etiam piſcium hoſtes ſciant, non ſolum ſalubres, ſed & lautos ſuppeditari nobis piſces, qui nulla in re veterum delicatiſſimis cedant: incipiam autem à Tructis, quę palmam facilè inter omnes obtinent, ſiue carnis bonitatem, ſiue ſaporis iucunditatem ſpectes, cunctorum certè piſcium qui dulci aqua generantur, omnium ęquali gentium calculo, nobiliſſimi cenſentur. quare non poſſum non vehementer mirari, cur tam altũ de illis apud veteres ſit ſilentiũ, vt ne nomẽ quidem ſatis notum fuit. Inter Gręcos, Ælianus Hiſtorię animalium lib. XII. cap. LIII. τρώκτης meminit piſcis, quem acerrimè cum Delphine pugnare refert. huius etiam Philes meminit in animalium Hiſtoria.

> Τρώκτης δὲ χαλκοῖο, βασιλεῦ, παλινστόμου
> Σοφαῖς ἑαυτὴν μηχαναῖς ὑπεξάγει.
> *Hami, Imperator, Trocta ſe curuamine*
> *Subducit artis ſingulari machina.*

Sed longè hic diuerſus à Tructa noſtra, piſcis; primum enim marinus eſt ille, noſter verò Fluuiatilis: dentes habet, Æliano teſte, frequentes & continẽtes, Tructa penè ſine dentibus ſpectatur; adde quod omnia quæ Ælianus & Philes, de Troctarum cum Delphinis pugna commemorant, ab Oppiano Amiis adſcribi; ita vt certũ ſit, Troctam illam, Amiam eſſe. Plinius ille Secundus, qui confusè ſatis de re medica ſcripſit, lib. V. c. XLIII. Tructæ noſtræ vt ſalubris piſcis, mentionem facit. *Omnem aſpratilem piſcem, vt ſunt Lupi, Corui: piſces de flumine qui petram habent, vt Tructæ, Squali, comede.* Gloſſarium vetus Tructa, τρώκτης. Iſidorus in Ethymologico, primus penè lucem aliquam Tructis dedit. *Piſcium,* inquit, *nonnulli à colore, appellantur, vt Vmbræ, quia colore vmbræ ſunt, & Auratæ, quia in capite auri colorem habent, & Varij à varietate, quos vulgo Tructas vocat.* Fuêre igitur Iſidori æuo, doctioribus Varij vocati, quod maculis ſint variegati, quanquam hoc nomen apud alium nullum claſſicum

 au-

auctorem legisse memini. Ex hoc loco Hippolitus Saluianus, doctissimis suis Commentariis de piscibus, in illam deuenit opinionem, vt crediderit Tructam nostram, esse Lupum Varium Columellæ, de quo suo loco actum. Sed duo sunt imprimis, quæ illius me opinioni vetãt subscribere. Vnum, quod Columella eo loci de marinis piscibus, piscinæ includendis agat, Tructæ autem omnino Fluuiatiles sunt; alterum quod suprà ostendi ex Iuuenale, Varios Lupos esse infimę plebis vile obsonium; quod de Tructa, nemo cui sanum est palatum dicet. Ausonius verò, Salarem vocat in Mosella, quo loco, ita exactè suisque coloribus Tructam depingit vt nemo melius.

Purpureisque Salar stellatus tergora guttis.

Cedo enim piscem aliquem Mosellæ incolam, de quo hoc dici possit? nullus enim ibi est, cuius tergora purpureis maculis sunt variegata, excepta Tructa. Nec soli Ausonio Tructa nostra Salar vocatur, vt sibi persuasit Hippolitus Saluianus, nam & Sidonio Apollinari nomen hoc vsurpatum fuit libro II. Epist. II. *Vt nocturnis per lacum excursibus, rapacissimi Salares in consanguineas agantur insidias. Quid enim hic congruentius dixerim? cum piscis pisce capitur.* Quo loco lubens legam *rapidissimi Salares*, nam summa pernicitate aduersis amnibus subeunt, nec enim sunt rapaces, sed miti ingenio. Ioannes Baptista Pius, dum Salaris nomen illi vt ignotum displicet, Salaces substituit, vel iratis Musis, & Mugiles vult intelligi; quod illi consanguineis insidiis capiantur; Femella enim, tenui linea alligata, mares facillimè alliciuntur, atque in nassam præcipitantur. Sed non solum à vero abhorret lectio, sed etiam ineptissima euadit, cũ duobus adiectiuis, nullum iungatur substantiuum. Sidonius etiam sub finem epistolæ adeo dilucidè mentem suam aperit, vt dubitationi omnem præscindit ansam.

Qui repulsi in gurgitem Pigriorem, carnes rubras albis abdominibus extendunt, ita illis nec redire valentibus, nec exire permissis, quẽdam viuum & circumlatitium carcerem corpulentia facit. Rubras enim

nim carnes, nemo ſanus Mugilem habere dicit, ſed Tructas. Mneſitheus apud Athenæum lib.VIII. Pyruntas refert eſſe piſces Fluuiatilium omnium longè præſtantiſſimos, quorum deſcriptio Tructis noſtris egregiè conuenit. Sed lubet ipſum audire. Καὶ τῶν ποταμίων ἢ αὐτῶν βέλτιστοι εἰσιν, οἱ ἐν τοῖς ὀξυτάτοις τῶν ποταμῶν ὄντες, οἵ τε πυροῦντες, οὗτοι γὰρ οὐ γίνονται ἂν ὁ ποταμὸς ὀξὺς, ἢ καὶ ψυχρὸς, διαφέρουσι ἢ τῶν ποταμίων ἰχθύων εὐπεψία. *Ex ipſis verò Fluuiatilibus, primum bonitatis locum obtinent, qui verſantur in rapidiſsimis amnibus, vt Pyruntes, nuſquam alibi naſcentes, quam in gelidiſsimis, & rapidiſsimis fluuiis, qui inter Fluuiatiles, cæteros concoctionis bonitate ſuperant.* Hæc, inquam, omnia Tructis egregiè quadrāt, namque in frigidis rapidiſſimiſque amnibus, ſolent degere; immò illis peculiare, ſummo impetu, aduerſo flumine ferri. Scriptorum teſtimoniis comprobatum eſt, Ex Nare fluuio, in Velinum lacum (qui hodie Pede Lupo eſt) miranda velocitate, volucrum inſtar, aſcendere: cæteris verò Fluuiatilium piſcibus, ſucci bonitate antecellere Tructas noſtras, anxiè velle probare, eſſet mero in meridie, facem accendere: πυροῦντες autem fortè dicti, quod ἔμπυροι ſeu igniti quodammodo videantur, quod & Tructis noſtris conuenire quis negabit, ob maculas igneas, quibus conſperſæ viſuntur. Scio Doctiſſimum Virum apud Athenæum legere, οἵ τε ἐπὶ ῥοῦν ἰόντες, *aduerſus fluxum tendentes* pro recepta lectione, οἵ τε πυροῦντες, ſed pace eius dictum; contra auctoris mentem hæc lectio eſt. Nam cùm dixerat optimos Fluuiatilium piſces eſſe, qui rapidiſſimis in amnibus morantur, tales ſunt Pyruntæ. Addit, *tales non generantur niſi celeri & frigidiore amne*: atque ita omnibus numeris abſolutus ſenſus euadit, quod de altera lectione an dici poſſet, Lector iudicabit, non enim omnes piſces qui ἐπὶ ῥοῦν ἰόντες, naſcuntur in rapidiſſimis amnibus, vt ſunt Aloſæ, Salmones, aliique ἀναδρόμοι, nec poſſimus dicere tales eſſe omnium ſaluberrimos, cum varij piſces aduerſis amnibus ſubeunt, nec vno ſalubritatis gradu continentur. Pyruntæ verò ſeu Tructæ, omnes bo-

nitate piſces amnicos ſuperant. Tructarum verò alia eſt Fluuiatilis, alia Lacuſtris. Hæ quidem, maiores ſunt, & pinguiores multò; adeò vt interdum centum libras pendeant: Gregorius Turonenſis, de lacu Lemano. *In hoc ſtagnò, ferunt Tructarum piſcium magnitudinem, ad centum librarum pondus trutinati*; Fluuiatiles verò, minores multò, ſed longè ſalubriores; nam cum aduerſo torrentium impetu fatigentur, hincque inde occurrentibus vadorum petris illiſæ, caſtigatiora ſumina, carneſque friabiles magis, quàm pingues habent: quo fit vt ægris non incommodè exhibeantur, adeò vt Plinius Medicus, correptis Paralyſi, non dubitauerit Tructas offerre.

Tructæ noſtræ vel Salari, affinem piſcem, Auſonius deſcribit, quem alij Sarionem, alij verò Farionem vocant.

Teque inter geminas ſpecies, neutrumq́; & vtrumq́;
Qui necdum Salmo, nec iam Salar, ambiguuſq́;
Amborum medio Fario intercepte ſub æuo.

Recentiores, vno penè conſenſu, Tructæ Salmoneuſe indigetant, magnitudine enim ad Salmonem proximè accedit, colore ad Tructam; nec ego aliter Poëtam explicauerim, nam quod non nemini viſum, ex Salare Farionem, illum denique in Salmonem mutari; ἀλογιςὶ nimis dictum puto. diſplicet etiam Roberti Conſtantini opinio, qui Salarem, paruum Salmonem vocat: ſunt enim ſpecie diſtincti piſces, non ætate tantùm, vt ille ſomniat.

CAPVT XXXI.

Salmo Græcis ignotus. Cur Ἀτλακεὺς dictus. An Caßidiori Anchorago.

INter præcipuas noſtri ſæculi lautitias, locum obtinet Salmo, carnem enim habet teneram, dulcem & præpinguem, nec

nec ſecus nobis in pretio ac veteribus Acipenſer, niſi quod frequentior ſit. Duplex autem eſt, marinus, ac Fluuiatilis. Nec tamen omne mare generoſum hunc piſcem ſuppeditat, ſed ſoli Oceano eſt vernaculus: vnde Græcis ſcriptoribus prorſus indictus, adeò vt ne nomen quidem apud illos, niſi precario inuenerit. Nuſquam enim illius mentio, quod ſciam, præterquã in Gloſſario veteri occurrit, *Salmo* Ἀτικεύς. Sed vnde peregrinum illud nomen, & nulli ſcriptorum notum? an corruptum fortè pro Ἀντακαῖος, non magna nimis mutatione? eſt enim Ἀντακαῖος Heſychio teſte, ἰχθύς κητώδης, piſcis cætaceus, ex maioribus ſcilicet, vt Thynnus; cum itaque Salmo Galliæ & Germaniæ populis in pretio ſit, Gloſſarij Auctor Ἀντακαῖος ſubſtituit, qui Græcis olim notus fuit; circa Iſtrum enim, & Boryſthenem, ex illo Salſamenta fiebant, Gręcis non ignota, quæ tandem vox corrupta fuit. Romanis etiam parum notus, neque enim in omnibus fluuiis degit, ſed in illis tantum qui in Oceanum decurrunt. Fluuiatiles autem marinis præſtant, in dulci enim aqua degentes, marinam & ſalſam qualitatem exuunt, quare teneriores & ſuauiores redduntur. Plinius libro IX. cap. XVIII. Aquitanicis palmam defert. *In Aquitania, Salmo Fluuiatilis, marinis omnibus præfertur.* Germani verò, in Rheno captum Salmonem cęteris pręſtare contendunt: quamobrem non defuerunt Viri docti, qui ſumma cum ratione ſuſpicantur, Caſſiodori Anchoraginem, eſſe noſtrum Salmonem, ita enim ille libro XIX. epiſt. IV. de menſa Principis.

Deſtinet Carpam Danubius, à Rheno veniat Anchorago, Exormiſton Sicula quibuſlibet laboribus offeratur. Dictum autem volunt Anchoraginem quod os inſtar Anchorę habeat incuruatum. Auſonius in Moſella, adeò graphicè Salmonem depingit, vt piaculum eſſet verſus illos pręterire.

Nec te puniceo rutilantem viſcere Salmo
Tranſierim, latæ cuius vaga verbera caudæ,
Gurgite de medio, ſummas referuntur in vndas:

Occultus

Occultus placido cum proditur æquore pulsus.
Tu loricato squamosus pectore, frontem
Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ:
Tempora longarum fers incorruptè morarum.
Præsignis maculis capitis, cui prodiga nutat
Aluus, opimatoq́ꝫ fluens abdomine venter.

Sed cum natura sua pinguis est, nec friabilis, ægrè concoquitur, & celerrimè satiat: qua de caussa ægris minimè est ex vsu, crassum enim, & lentum succum gignit. Nec solum recens in gratia est, sed etiam sale vel fumo seruatus, cuius magna copia, quotannis ex Belgio in cæteras Europæ regiones auehitur.

CAPVT XXXII.

Lampetra diuersis nominibus olim dicta, Fluuiatilis Muræna Dorionis. Galaxia Galeni. Mustella Ausonij, Exormiston Caßiodori.

NOn minor est apud plerosque nostro æuo, in Lampetris insana prodigalitas, ac veteribus in Murænis, aut Mullis fuit: nam & summo studio illas expetunt, & magna pecunia sæpius emunt: teneræ enim adeò suauesque sunt, vt pisciũ nobilissimi, à Ganeæ peritioribus censeantur. Sed non omni tempore aut loco, in honore sunt. Martio enim Aprilique mensibus, in amnibus captæ magni fiunt. Ineunte enim æstate, cartilago illa (quæ illis pro spina est) incipit callum facere, & instar nerui indurari. Marinæ autem minus in deliciis sunt, vtpote aridiores, ac minus succulentæ. Cùm autem piscis hic adeò nobilis sit, mirum est veteres obscurè adeò de illo loquutos fuisse, vt de nomine eius, non minor hodie sit controuersia, quàm olim de Homeri patria. Dorion apud Athenęum, videtur illam Fluuiatilem Murænam appellare, illique esse vnicam

vnicam tantum ſpinam, ſimilem Aſello, qui Gallaria dicitur. De Muræna enim hæc non dici clarius eſt, quam vt probari neceſſe ſit; ſed de Lampetra noſtra, vtpotè quæ Murænam corporis forma proximè æmuletur: in fluuijs enim degit, atque vnica tantùm ſpina conſtat, vel potius verè eſt ἀπύρηνος, ſiquidem ſpinæ loco, vnica illi eſt cartilago; adeo vt tota ſit exoſſis. Multorum eſt opinio à Galeno lib. III. de Alim. facult. γαλάξιαν eſſe vocatam, cuius verba ad maiorem lucem hîc apponam.

Τῶν γαλεῶν δ' οὐκ ἓν εἶδος ἐστί, ὁ γὰρ τοι παρὰ Ῥωμαίοις ἐντιμώτατος ἰχθὺς ὃν ὀνομάζουσι Γαλαξίαν, ἐκ τοῦ τῶν γαλεῶν γένους, ὃς οὐδὲν γεννᾶσθαι δοκεῖ κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν θάλασαν, καὶ κατὰ τοῦτο γε ὁ Φιλότιμος ἠγνοηκέναι φαίνεται. *Muſtellorum non vna eſt ſpecies, nam qui piſcis apud Romanos, in maximo eſt pretio, quem Galaxiam appellant, ex genere eſt Muſtellorum, qui ne in Græco quidem mari, vſquam naſci videtur: quæ cauſſa eſt cur Philotimus ipſum ignoraſſe videtur.* Addit poſtea Galenus, in eo differre Galaxiam à reliquis Muſtellis, quod illi σκληρόσαρκοι, hæc verò ἁπαλοσάρκος ſit: quæ omnia Lampetræ egregiè quadrant; ſiquidem tota lactei ſaporis eſt, ac precioſa, vt Galaxia: tum quod nulli Muſtellorum nomen hoc conueniat, cum ceteræ omnes viles, ac duræ ſint carnis. Hoc tamen mirum eſt, nomen hoc, apud alium claſſicum ſcriptorem non exſtare, niſi apud ſolum Galenum. Latinis verò auctoribus, Muſtellæ nomine videtur inclaruiſſe. Plinius lib. IX. cap. XVII. *Proxima eſt his menſa, generis dumtaxat Muſtellarum, quas mirum dictu, inter Alpes, lacus quoque Rhætica Brigantinus, æmulas Murænis generat.* Auſonius verò apertiſſimè Lampetram noſtram ſub Muſtellæ nomine in Moſella depingit.

Quæque per Illyricum, per ſtagna binominis Iſtri,
Spumarum indicijs caperis Muſtella natantum:
In noſtrum ſubuecta fretum, ne lata Moſellæ
Flumina, tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color! atra supernè

 Puncta

Puncta notant tergum, qua lutea circuit Iris,
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus:
Corporis ad medium fartim pinguescit, at illinc
Vsque sub extremam squalet cutis arida caudam.

Sed mirum est Poëtam, septena illa ab vtroque latere foramina, siue branchias quibus Lampetra respirat præterijsse, quæ vulgus oculos opinatur. Sed à Poëta nemo exactam fidem, vt ab Historico, aut Philosopho exiget. Cassiodorus lib. XII. variarum epist. XIV. Exormiston videtur Lampetram nostram vocare, peregrina quidem nobis voce, sed sæculo illi fortè familiari. *Exormiston quoque, inter pisces Regium genus, compar Murænis corpore, vel colore distans, naribus setosis, colostrea delicata teneritudine præditum, oleoso ac suaui liquore coagulatum, appetibilis gratáque pinguedo: cum spumis fluctuantibus, inter aëris confinia cæperit enatare, nescit ad cubilia redire, quæ deserit: credo aut immemor reuersionis, aut teneritudine summa emollitus, nequit, vndis eleuantibus, contraria obluctatione se demergere; fertur velut corpus exanime, nullis nisibus periculum, nulla arte deuitans, & hinc viribus destitutus, redire non creditur, quia nec fugere posse sentitur. Hic planè tantæ dulcedinis esse dignoscitur, vt ei nemo piscium comparetur.* Sed lubet pressius in singula Cassiodori verba inquirere, vt opinioni meę maior, sit fides. *Regium quidem illi genus*, quod magna illis nobilitas, apud deliciarum Principes. Vt & Lampetris nostris. Murænis sunt corpore similes, sed colore dissimiles. siquidem Ouidio teste in Halieutico, est, *Auratis Muræna notis;* Lampetra verò nigris, & cæruleis maculis distincta. vnde Ausonius.

—— Atra supernè
Puncta notant tergum, qua lutea circuit Iris,
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.

Naribus setosis.] Quia villosis fimbrijs, oris margo prætexitur.

Clostrea delicata teneritudine præditum, oleoso ac suaui liquore coagu-

coagulatum.] Nostra Lampetra lactea est, ac pingui teneritudine commendabilis, præsertim medio corpore, vbi pinguior. Ausonius:

Corporis ad medium fartim pinguescit.

Appetibilis grataque pinguedo.] Sunt enim pisces quidam, ingrata pinguedine præditi, quæ stomachum subuertit, & orexim soluit. *Cum spumis fluctuantibus inter aëris confinia cæperit enatare, nescit ad cubilia redire.* Cum Lampetræ, sint branchiæ apertæ, per respirationem excitantur crebræ bullulæ, quarum indicio capitur, has auctor vocat spumas fluctuantes, vt Ausonius,

Spumarum indicijs caperis Mustela natantum.

Addit Cassiodorus, *Exormiston ad aquæ superficiem delatum, non posse iterum ad cubilia redire, sed ibi capi viribus destitutum.* Idem ego Lampetris euenire crediderim, quod Murænis & Anguillis, vt à Sole torrefactæ, nequeant se iterum mergere, sed tanquam exanimes viribus destitutæ fluitent. Vnde Latinis Flutæ, Græci πλῶται tales dicuntur, præsertim circa fretum Siculum, vbi Rhegium Iulium erat, de quo hic auctor, vnde piscis hic Regali Mensæ adducebatur, vt supra docuit. *à Rheno veniat Anchorago, Exormiston Sicula quibuslibet laboribus afferatur.* Hoc ipsum, verba Cassiodori denotant, *nequit vndis eleuantibus, contraria obluctatione se demergere, fertur velut corpus exanime, nullis nisibus periculum, nulla arte deuitans;* an clarius de Fluta aliquid dici poterat, sic loquutus est de Muræna Martialis.

Quæ natat in Siculo grandis Muræna profundo
Non valet exustam mergere Sole cutem.

Nam cùm Lampetræ summis aquis, ob respirationis necessitatem cogantur innatare, aliàs enim suffocari periclitantur. Quid mirum si in Siculo freto, pariter vt Murænæ, vel Anguillæ, solis ardoribus cutis ita torreatur, vt se nequeant curuare atque ad cubilia redire.

Ab Oppiano etiam multorum suffragijs ἐχενηΐς, vocatur, quæ

longè ab Ariſtotelis Echeneide eſt diuerſa. Ferunt certè peritiores aliqui, Lampetram triremi affixam, illius curſum inhibuiſſe, præſertim ſi ſub clauo adhæreat. Sed fides ſit penes auctores. Hoc certè notum eſt, naues recenti pice oblitas, Lampetras conſectari, & pertinaci ſuctu illis adhæreſcere, qua de cauſſa nonnulli, & βδελλίδας Strabonis, i. *Hyrudines* cognominat, quas ille in Mauritaniæ quodam flumine gigni tradit. Sed nimium iam de Lampetræ nomine; venio ad alimentum, quod illa præbet. Cum carne pingui teneraque ſit, minimeque friabili, nequit ob lentorem ſuum, ex illa ſalubre aut εὔχυμον alimẽtum confici, idcirco à prudentioribus, inter ſuſpecta, atque intuta alimenta habetur. Sed noſtri Ganeones, ac cupediarum Magiſtri: magna cura, & operoſa diligentia, noxam omnem ſtudent auferre; quare in Cretico, aut alio generoſiſſimo vino illas enecant, obturatis priùs ſeptenis foraminibus, Caryophyllis; id ſecuritatem veſcentibus adferre creditur. Bene habet, multum profecit ætas noſtra, facimus iam,

Quod miſer & frugi non fecit Apicius vnquam.

Illum luxu noſtro ſuperauimus, io triumphe! ille Garo piſces enecabat, nos vino & Aromatibus pretioſum Lampetræ funus adornamus, vt & ventura ſæcula habeant, quod admirentur.

CAPVT XXXIII.

Sturionem non eſſe Acipenſerem. Nec Silurum Plinij, qui piſcis erat vilis. Hyccam eſſe Athenæi. & Suillum Iſidori. Heſychius & Simeon Sethi Emendati. Auſonij Silurus idem cum Sturione.

STurionem hac ætate Lautiores menſæ in ſummis delicijs habent, adeo vt pleriſque cænarum fundus ſit, nam vt maxi-

maximus piſcium eſt qui conuiuijs infertur, ita etiam inter ſapidiſſimos, multorum iudicijs non poſtremum locum obtinet. Maria hunc gignunt, ſed amnes nobilitant; dulci enim fluminum pabulo, marinus ille & ſubagreſtis ſapor edulcoratur. Nec minus doctorum ingenia, quam lautorum palatum hactenus exercuit, dum auitum, & penè obliteratum nomen reperit.

Rondeletius, in accurata ſua Piſcium hiſtoria, Nobilem illum antiquorum Acipenſerem eſſe contendit. Sed parum exactè; non enim eſt Italiæ peregrinus, vel rarus inuentu, non Squammis ad os verſis. Sturio enim noſter, maiorum amnium vbique penè eſt hoſpes, nec eſt paucorum hominum, (vt Pontius dicebat Scipioni de Acipenſere,) ſed multorum; nam ingens eſt piſcis. Hippolitus Saluianus, & Paulus Iouius, Silurum indigetant. Sed non perſuadent. nam teſte Plinio, *Silurus graſſatur, vbicumque eſt, omne animal appetens; equos natantes ſæpè demergens, præcipuè in Mæno Germaniæ amne.* Ariſtoteles refert hamo prehenſum, duriſſimi dentis morſu illum frangere; quæ in Sturionem noſtrum non cadunt, ſiquidem hic totus eſt mitis, & edentulus: nam os illi ſine maxillis eſt ac dentibus, ac diuerſa à reliquorum piſcium forma, idque ſub mento, in ipſa propè iuguli parte, rotundum & ſemper patens; roſtrum verò habet oblongum inſtar proboſcidis, quare dum eſcam venatur, roſtrum limo, vt infigat neceſſe eſt, nihil alioquin comprehenſurus. Quæ omnia multum à Plinij Siluro, diuerſum faciunt Sturionem: adde etiam vilem fuiſſe Silurum, nulloque in pretio; Iuuenalis, Satyra XIV.

—— Concham æſtiuam cùm parte Lacerti
Signatam, vel dimidio putrique Siluro.

Satyra etiam IV.

Iam Princeps equitum, magna qui voce ſolebat
Vendere municipes, fracta de merce Siluros.

Vbi Scholiaſtes vetus, *Siluri piſces ſunt Alexandriæ (vnde fuit Criſpinus) nullius pretij, quos inopes in Ægypto venditant.* His Antiphanes conſonat, apud Athenæum lib.VI.

Σαπρὸν σίλουρον ἀργυροῦς πίναξ ἔχων.

Putrem Silurum quadra habens argentea.

Didorus Sinopenſis fœdam Paraſitorum adulationem taxans.

——— οἷς ἐπειδὴ προσερύγοι
Ῥάφανίδα, ἢ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν;
Ἴα, ἢ ῥόδ', ἔφασαν αὐτὴν, ἠριστηκέναι.

Quibus in faciem ſi quis ructet, radicula vorata, aut Siluro putri, violam ipſam aut Roſam dicent pranſum eſſe. Noſtrum verò Sturionem, inter opiparos ac lautiores cibos eſſe, nemo eſt qui neget. Quod ſi verò olim Silurus aliquo in honore fuiſſet, non præterijſſet illum Athenæus libro VII. vbi omnes veſcos piſces enumerat, ſolis Rhodijs in lautitijs fuiſſe, oſtendit Diphilus.

Οἷον ῥοδίους κέκληκας, εἰσιοῦσι δὸς
Εὐθὺς ἀπὸ θερμοῦ τὸ μεγάλω αὐτοῖς ἀπάσαι
Ἀποσέσαι σίλουρον.

Veluti Rhodios ſi acciuiſti, ingreſsis da confeſtim magnum Silurum deſcerpendum cum feruefacto iure; erat enim illis in vſu Siluri eſus, quem σιλουρισμὸν vocat. Huc reſpexiſſe videtur Lucilius.

Occident Lupe, Saperdæ te & iura Siluri.

Hermolaus verò Barbarus & Ioannes Manardus, Viri citra controuerſiam, conſummatæ doctrinæ, Athenæi Hyccam opinantur noſtrum eſſe Sturionem; nam & nobilis olim erat piſcis, adeò vt Poëta Callimachus ἱερὸν ἰχθὺν vocauerit; accedit quod ὕκκης Porcum ſignificat, Sturio etiam hodierno die ab Italis Porcelleto vocatur, magna nominis affinitate. Nec abhorret ab hac opinione, non ſpernendus auctor Iſidorus libro XII. Etymologici. *Porci marini qui vulgo vocantur Suilli, qui dum eſcam quærunt, more Suis terram ſub aquis fodiunt, circa guttur enim*

enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt; non poterat clarius Sturio noster depingi. Perennauit etiam in hunc diem Suilli nomen in Hispania, siquidem parum mutata voce *Sollo* vocatur.

Apud Hesychium corruptè legitur, ὗκος, ἐρυθρῖνος, pro ὕκκης, nec de alio ibi pisce mentio, siquidem à Cyrenæis ita vocari Hyccam, refert Athenæus ex sententia Zenodoti, Ζηνόδοτος δὲ φησὶ, κυρηναίους τὴν ὕκκην καλεῖν ἐρυθρῖνον. Simeon Sethi, satis apertè nobis Sturionem, ob oculos ponit sub Hyccæ nomine, ita enim lego non ὕσκα. ὕκκα, ἰχθὺς ὁ κοινῶς ὀνομάζεται, ὕσχα, φλεγματικὸν ἀπογεννᾷ χυμὸν, κακόχυμος δέ ἐστι, διὰ τὸ ἥδεος σχεδὸν ἅπαντας τούτων προσφέρεσθαι; ὡς οἰκειότητα τινὰ ἐχούσης τῆς σαρκὸς, αὐτῶν πρὸς, τὴν ἡμετέραν· φύσιν, οἶμαι δὲ, ὅτι διὰ τοῦτο μετείληπται τοὔνομα ἀπὸ τοῦ ὗς, ὁ σημαίνει τὸν χοῖρον ἡμετέρῳ τροφὴν ἐμποιεῖ τῷ σώματι τῷ ἡμετέρῳ παρὰ τῷ τῶν ἰχθύων γένει, οἵαν τὸ χοίρειον κρέας παρὰ τοῖς χερσαίοις, οὐχ ὁμοίαν μέν τι, ἀλλὰ ἀνάλογον; δεῖ καὶ τοῦτον ἀρτύειν θερμοτάτοις ἀρτύμασιν, καὶ οἶνον ἐπιπίνειν αὐτῷ λεπτότατον καὶ παλαιότατον. *Hycca piscis quem communiter Hyscham nominant, pituitosum gignit humorem, malique succi est; ab omnibus libenter assumitur, tanquam carnem habens nostræ naturæ consentaneam. existimauerim ideo quoque nomen sortitum esse* ἀπὸ τοῦ ὑς. i. *à Porco, quod videlicet corpori nostro eiusmodi nutrimentum adferat inter pisces, cuiusmodi inter terrestria, caro porcina, non vtique simile, sed analogum, & proportione quadam respondens; oportet autem ipsum condire aromatibus, vinumque superbibere, quod tenuissimum sit & vetustissimum.* Nihil est in hac descriptione quod à Sturione nostro dissentiat, nam & solidum valdè alimentum præbet, qualis caro porcina inter quadrupedes; pituitosum etiam succum, ob pinguedinem illi interspersam gignit. Summoperè etiam ab omnibus, tanquam suauissimum edulium expetitur Sturio, vt olim Hycca. Sed quid facias illis qui Silurum putant, cum illorum opinioni apertissimè subscribat Ausonius, ita enim luculentis versibus sub Siluri nomine, nostrum Sturionem depingit in Mosella, vt nullum amplius dubitandi locum reliquerit.

Nun

Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure,
Quem velut Actæo perductum tergora oliuo,
Amnicolam Delphina reor, ſic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina ſoluis,
Aut breuibus defenſa vadis, aut fluminis vluis.
Aut quum tranquillos moliris in amne meatus,
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ; diffunditur alueo
Æſtus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam Balæna profundo,
Quum vento motuque ſuo, telluris ad oras
Pellitur; excluſum fundit mare, magnaque ſurgunt
Æquora, vicinique timent decreſcere montes.
Hic tamen, hic noſtræ mitis Balæna Moſellæ,
Exitio procul eſt, magnoque honor additus amni.

Dicam cum Ioſepho Scaligero, alium eſſe Plinij, alium Auſonij Silurum: ille enim ſæuus & ferox, hic mitis & innoxius; quod ne cui mirum videatur, nonne Echineis Oppiani, ab Ariſtotelis diuerſa; Muſtella veterum non conuenit cum illa quam Auſonius depingit. Eſt itaque Sturio noſter, Auſonij Silurus, Hycca Athenæi & Simeonis Sethi; Iſidori Suillus. Eius præcipua gratia ſub æſtiuuum eſt Solſtitium (quando Plinius Silurum ſuum ſiderari refert) carne eſt duriore, præpingui & glutinoſa; vnde & ægrè concoquitur, ac craſſum ſuccum generat: quare non Clinicis modò, verùm etiam Cauſſarijs interdicitur.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Cyprinus à Dorione λεπίδωτος dictus. Caßiodorus Carpam vocat. Benaci Carpiones. Lucius ab aliquibus creditur Lupus veterum fuisse. Thymallus nobilis piscis.

QVamuis nec Cyprinus, aut Lucius, vlla in re cum enarratis piscibus comparandi sint, siue salubritatem siue nobilitatem spectes. Tamen quia passim in pretio est vterque, non solum apud plebem, sed etiam medicorum plurimos: lubuit pauca de iis attexere, vt popularem hunc errorem, si non extirpare penitus, saltem detegere possim.

Κυπρῖνον antiquorum, eundem esse cum Carpa nostra, non est mihi anxiè inquirendum: vna est nota, multarum ad instar, quam tangit Aristoteles lib. IV. de Histor. animalium capite VIII. *Aquatilium generi data quidem est lingua, sed imperfecta incertaque, ossea enim, nec absoluta: sed palatum nonnullis carnosum pro lingua est, velut inter Fluuiatiles Cyprino, ita vt nisi diligenter inspexeris, lingua esse videatur.* Hoc Carpæ nostræ peculiare esse, diligentiores omnes fatentur. Vulgus tamen, linguam vocat; eamque inter lautissima fercula recensent Ganeæ periti. Dorion apud Athenæum, etiam λεπίδωτον vocari ab aliquibus, auctor est. Verba eius sunt de Cyprinis, Δωρίων δ' αὐτοὺς ἐν τοῖς λιμναίοις, καὶ ποταμίοις κατελέγων γράφει οὕτως. λεπιδωτὸν, ὃν καλοῦσι τινὲς κυπρῖνον. *Dorion hos inter Fluuiatiles & Lacustres recensens, sic scribit, Lepidotum quem aliqui Cyprinum vocant.* Probabile est Lepidotum vocatum, à Squamarum pulchritudine & magnitudine, auratis enim, magnisque Squamis, præ ceteris conspicui sunt Cyprini. Vnde ab Orpheo vatum antiquissimo, libello περὶ λιθῶν,

——— Καὶ φολίδεσσιν
Ἀργυρέσι λεπιδωτὸν ἀποστιλβόντα κελεύω.

Et Squamis argenteis Lepidotum fulgentem voco.

Plura de Lepidoto suprà, vbi ostendi, inter Sacros Ægyptiorum pisces annumeratum fuisse. Posterior ætas, Cyprinum; Carpam nominauit. Mansitque in vsu vox hæc inter plurimas gentes. Primusque, quantum memini, Cassiodorus hac voce vsus est, de apparatu Conuiuij Regij. *Destinet Carpam suum Danubius.* Nulli veterum quod sciam celebratus, vel succi vel saporis bonitate, hodie tamen, Septentrionalibus præsertim populis in honore. Quod si in puro flumine, vel non cœnoso lacu captus fuerit, non insalubribus potius alimentis, quã laudandis adscribi potest. Idque conditurae beneficio; nam aromatibus vinoque incoctus, aquosus eius sapor castigatur.

Italię etiã nobilissimus Lacus Benacus, Carpiones suppeditat, qui vt nomine Carpę nostrę affines sunt, ita nobilitate lõgè illos superant; namque à Tructis parum sunt diuersi. Incessit aliquando cupido Imperatorem Fredericum III. non solum videndi, sed etiã piscandi Carpiones vt auctor est Petrus Bembus libro I. Historiæ Venetæ. *Fredericus, Benacum primum inuisens, omniaque litora biremi circumuectus, eius præsertim oræ, quæ ad meridiem vergit, adspectu atque fragrantia, quod est pomi Medici plena, mirificè exhilaratus; tum aquæ perlucidissimæ amenitate, piscationibusque delectatus est. Capitur eo in lacu prope medio, quaque altissima est aqua, piscis clarus Carpio ab incolis dictus, pedis plerumque longitudine, qui omnino piscis alibi non capitur, eum piscem capere, atque cognoscere Frederico voluptati fuit.*

Leander tamen Albertus, in Pestano Lacu, prope Soram Aprutij oppidum etiam capi asserit.

Venio modo ad Lucium, qui licet è medio Latio nomen habet, nullum tamen ibi priscæ nobilitatis vestigium inuenit. Gallis, Germanisque familiaris, nec ignobilis piscis, adeò vt non vno in loco dubiæ cænæ caput habeatur. Franciscus Philelphus, in Crepusculo illo litterarum, non indoctus, credidit, hunc piscem, nobilem illum antiquorum Lupum esse, friuo-

friuola ſatis, leuique coniectura permotus, quod Λύκος Græcis Lupum ſignificet, vnde leuiter mutata vox in Lucium; legerat fortè apud Heſychium λύκον eſſe ποιόν ἰχθῦν, quod homo acutiſſimus, de Lucio dictum credidit: ſed exciderat illi, Lupum piſcem, Græcis paſſim λάβϱακα, non λύκον vocari: tum etiam quod Lucius ſolis aquis dulcibus victitet, maria enim formidat: Lupum verò omnes norunt marinum eſſe piſcem, licet fluuios quandoque ſubeat. Petrus Bellonius Vir Doctiſſimus libro II. obſeruationum capite XXXII. ſuſpicatur, Lucium, olim dictum Oxyrinchum, quod frequens admodum in Nilo reperiatur. Nullo olim in honore fuit, ſed popinis tantum notus. de quo Auſonius in Moſella.

Hic etiam Latia riſus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infeſtiſsima ranis.
Lucius, obſcurus vlua cœnoq; Lacunas
Obſidet; hic nullos menſarum lectus in vſus
Feruet fumoſis olido nidore Popinis.

Cui docta Italorum Palata ſubſcribunt, ſiquidem durum & inſipidum experiuntur. Nihil enim habet quod orexim excitet. Mirum eſt, medicos nonnullos inter ſaluberrimos ilium piſces recenſere. Sed parum illi penſiculatè ſalubris naturam alimenti quod ex aquatico genere deſumitur, expendunt. Nam ſi locum inquiras vbi capiuntur, vel fluuius vel lacus eſt, quorum neuter cum mari certare poteſt. Si verò carnem ſpectes, cum nec tenera nec friabilis ſit, (quæ duo præcipuè medici commendant) ex ſalubrium merito decuria expungentur Lucij, qui duri potius ſunt, ſed ſi probè concocti fuerint, copioſè affatimque nutrient.

Piaculum penè eſſet, nobiliſſimum piſcem Thymalum præterire. Iſidorus mendoſè Timallum vocat lib. XII. cap. VI. *Timallus ex flore nomen ſumpſit, Tymum quidem flos appellatur; nam dum ſit ſpecie gratus, & ſapore iucundus; tamen ſicut flos fragrat, & corpore odores aſpirat.*

Ælianus lib. XII. Historiæ animalium, cap. XLIX. refert captum Thymalum, non vt cæteros piscium, odorem pisculentum emittere, sed Thymi recenter lecti suauitatem spirare. D. verò Ambrosius lib. V. Hexameri, magnificè in eius laudes se effundit. *Neque te inhonoratū nostra prosecutione Thymalle dimittam, cui à flore nomen inoleuit; seu Ticini te vnda fluminis, seu amæni Athesis vnda nutrierit, flos es. denique sermo testatior, quod de eo qui gratam redolet suauitatem, dictum facetè sit, Aut piscem olet, aut florem: ita idem pronunciatus est piscis odor, qui floris; quid specie tua gratius? quid suauitate iucundius? quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo spiras:* Hippolytus Saluianus, non redolere Thymum hodierna die Thymalum dicit, sed suauius multò quàm cęteri pisces: in Galliæ Transpadanæ fluminibus, Athesi, Ticino, Abdua & Pado frequenter capitur. in aliis rarissimè; qui verò in Pado capitur cæteris bonitate est inferior; boni est succi, facilè concoquitur & mediocriter nutrit.

CAPVT XXXV.

Pisces Molles cur ita dicti. apud Græcos in honore. Sepiæ Atramentum in metu effundunt, sicut etiam Lolligines habent. Polypi inusitata magnitudo.

PIscium præcipui qui sanguine præditi sunt, Græcis ἐναίμοι dicti, à nobis enarrati: superest ἀναίμους, siue sanguine carentes percurrere; horum triplex genus, alia enim Mollia dicuntur, quædam crustis tenuibus, alia duris testis conclusa.

Mollia sunt quæ Græci μαλάκια vel μαλακόδερμα nuncupantur, quæ nec Squamas, nec asperam cutem, aut testaceam, sed mollem instar humanæ carnis habent; cuius generis sunt Sepiæ, Polypi, Lolligines; quæ tangenti quidem molles apparent, intus verò sunt duræ carnis, Hipp. lib. II. de Dięta, refert

refert Sepias, Polypos, & cætera mollia, neque leues velut videntur esse, neque per aluum secedere, quapropter etiam oculos liberalius comestos grauare. iuscula tamen aluum mouere. Galenus lib. III. de Alimentorum facultatibus ca. XXXIV. *Sepia difficilis est concoctionis, parumque in se continet salsi succi, quæ si bene concoquitur, satis nutrimenti præbet, sed multum crudi succi gignit.* qua de caussa, Simeon Sethi acrioribus condimentis coquendam suadet, vinumque vetus superbibendum. Diphilus verò apud Athenæum lib. VIII. refert, Sepiam esse teneræ carnis, ori gratam, concoctu facilem, eius autem succum aluum mollire, atque Hemorrhoides mouere. quæ tamen cum Galeno, cæterisque scriptoribus pugnare certum est. Græcis in frequenti vsu, immò & deliciis erant, nam & Amphidromiis aliisque solemnioribus epulis vescebantur, illis, vt capite VII. diximus. Ephippus etiam comicus, in Geryone apud Athenæum lib. IX.

> Κοινῇ τεκναύειν τευθίσιν σηπίδιοις,
> Πιλεῖν τε πολλὰς πλεκτάνας ἐπιστρόφως.

Sepiolisque ac Lolliginibus in commune vesci, flagella multa Polypodum diligenter congerere. Plautus etiam in Casina, vbi senex amator iubet.

> *Emi Sepiolas, Lepadas, Lolligiunculas.*

Abundant autem Sepiæ humore nigro, quem Atramentum vocant, quod Plinius illis pro sanguine esse refert, lib. IX. cap. XXIX. *Sepiæ vbi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur.* Vnde & Ouidius eleganter, nigrum cruorem vocat in Halyeutico.

> *Sepia, tarda fuga tenui cum fortè sub vnda*
> *Deprensa est, iam iamque manus timet illa rapaces,*
> *Inficiens æquor, nigrum vomit ore cruorem,*
> *Auertitque vices, oculos frustrata sequentes.*

Nigro hoc Sepiæ succo, videntur veteres atramenti scriptorij loco vsos, vt videre est apud Persium Satyra III.

Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat Sepia Lympha.

Huius atramenti *tantam vim esse, vt illo in Lucerna addito, Æthiopes videri ablato priori lumine*, ex Anaxilao refert Plinius libro XXXII. capite X. quod etiam ab Isidoro obseruatum video, libr. XII. cap. VI. fides auctorem appellet.

Sepiæ affinis est Lolligo, ita dicta teste Varrone, *quasi voligo, quod extra aquam subuolat*; duplex est, maior quæ τευθὸς minor τευθὶς dicta; Italis *Pesce Calamaro* vocatur, quod & illi quoque Atramentum suum est, & calami alicubi speciem in corpore, quo scriptores vtuntur, simul cum scriptorio cultello coniunctam videas. apud Lautos præsertim in calidioribus regionibus, in honore sunt, minores præcipuè, quæ citius coctionem admittunt quàm Sepia, aut Polypus. Atramentum illis esse nigrum, refert Aristoteles, quod in metu, vt cætera mollia effundit vteo infuscata aqua abscondantur. hinc Horatius libro I. Satyra IV.

——— *hic nigræ succus Lolliginis, hæc est*
Ærugo mera.

Oppianus verò in Halieutico, purpurascentem illi succum tribuit.

Durior Polypi est caro, quæ, vt tradit Iulius Alexandrinus Medicus doctissimus, nisi diu verberata, fusteq; contusa mollescit. difficilis autem est concoctionis, si verò probè concoquatur, valenter nutrire auctores ferunt. Diphilus autem Siphnius venerē excitare prodidit. auctor est Athenæus; Philoxenum Cithereum Poëtam Dithyrambicum, & egregium helluonem, deuorato bicubitali Polypo, in exitialem morbum incidisse, à quo extinctus fuit; multo enim crudoque succo; piscis ille abundat, à quo calor natiuus oppressus fuit. Diogenem etiam Cynicum, idem refert ex esu Polypi crudi vehemente alui perturbatione, siue Cholera morbo correptum, diem suum obiisse. Diogenes Laertius, ex bubuli pedis esu hoc con-

contigiſſe dicit; in immenſam molem aliquando excreuiſſe Polypum refert Plinius libr.IX.cap.XXX. obtinente L. Lucullo Proconſule Bæticam. *Carteiæ, in cetariis aſſuetus (Polypus) exire è mari, in lacus eorum apertos, atqui ibi ſalſamenta populari; conuertit in ſe cuſtodum indignationem, aſsiduitate furti, immodici, ſepes erant obiectæ, ſed has tranſcendebat per arborem: nec deprehendi potuit, niſi canum ſagacitate: hi redeuntem circumuaſere noctu, concitique cuſtodes, expauere nouitatem, primum omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti odore diro, quis ibi Polypum exſpectaſſet, aut ita cognoſceret? cum monſtro ſibi dimicare videbantur. namque & afflatu terribili canes abigebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robuſtioribus brachiis, clauarum modo incuſſos, ægreque multis tridentibus confici potuit. Oſtendere Lucullo caput eius, dolij magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (vt ipſius Trebij verbis vtar) barbas quas vix vtroque brachio complecti eſſet, clauarum modo toroſas; longas pedum.* XXX. *acetabulis, ſiue caliculis vrnalibus peluium modo; dentes magnitudini reſpondentes, reliquiæ aſſeruatæ miraculo, pependere pondo. DCC.*

CAPVT XXXVI.

De Cruſtatis. Plinius non conuenit cum Ariſtotele. Illorum diuerſitas. Squillæ in maximo pretio. Suidæ error. Squillarum ſpecies Cammarus. Locuſtæ Græcis familiares. Aſtaci qui. Cancrorum genera aliqua.

MOllibus piſcibus, ſuccedant duriori cute tecti, qui veteribus in ſummis deliciis erãt nec noſtro æuo euiluerunt. duplex illis genus; aut enim fragili Cruſta, aut duriore teſta, corpus contectum habent, illa μαλακόστρακα Græcis dicuntur, Latinis Cruſtata ſiue Cruſtis intecta. horum quatuor genera recenſet Ariſtoteles lib. IV. de Hiſtoria animalium cap. II. Lo-

II. Locustas, Astacos, Squillas, Cancros. Plinius verò nimis laxè, sub Cancrorum genere omnia comprehendit, libro IX. cap. XLI. *Cancrorum genera, Carabi, Astaci Paguri, Heracleotici, Leones. Carabi cauda à cæteris distant.* vbi obseruo, non semel hic à Plinio peccatum, vel ab imperitis potius librariis. Squillas enim hic omittit, quæ quartum genus constituunt. Carabos etiam dicit, cauda à cęteris distare, cùm non solùm Carabi, sed Astaci, & Squillę caudam habeant. nam vt inquit Aristoteles. ὁ δὲ καρκῖνος μόνος τῶν τοιούτων ἀνέρροσύγιον, καὶ τὸ σῶμα. τὸ μὲν τῶν καράβων, καὶ καρίδων πρόμηκες, τὸ δὲ τῶν καρκίνων στρογγύλον. *Cancris ex crustaceis solis cauda deest, & corpus locustis quidem & Squillis longum est, Cancris verò rotundum:* nomina tamen hæc sæpè à Scriptoribus confusa & mutata inuenies. Peritiores ita distinguunt, vt κάραβος siue Locusta, corporis anteriori parte rigeat, cornua item duo gestet, quibus præliatur, pedes vtrimque quinos, Chelym dextram vt Cancri, maiorem habet. Astaci Locustis similes, differunt verò brachiis, quæ denticulatis forcipibus portendunt, cornua item multo minora gestant. Squillæ seu καρίδες ab his diuersæ, quod forcipe careant & plures habent pedes. Cancris verò corpus est rotundum, cauda deest; pedes verò omnibus cum forcipibus deni. Notat tamen Athenæus libro III. Astacum nonnunquam pro lata Squilla, interdum etiam pro Carabo, siue Locusta à Poëtis sumi. Latinis scriptoribus Squilla præcipuè celebratur, quod mirum; nam obiter de illa Plinius, & tanquam aliud agens, tantum meminit. Lucilius suo æuo iam in pretio fuisse ostendit; cum de Gallonio nobili Lurcone loquitur.

Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in illa
Consumis Squilla.

Iuuenalis etiam Satyra. V.

Aspice quàm longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur Domino Squilla, & quibus vndique septa
Asparagis, qua despiciat conuiuia cauda.

Vides

Vides, hic Dominis tantum adferri Squillam, vt pretiosum edulium, non vilioribus conuiuis; tum etiam moris fuisse, vt Asparagis ornatæ, magnæ illæ Squillæ conuiuijs inferrentur. Paruæ enim Squillæ è contra, Murænam honoris caussa comitabantur.

Adfertur Squillas inter Muræna natantes,
In patina porrecta.

Varia enim Squillarum genera fuisse, docet Aristoteles libro IV. de Hist. Animalium: sed non possum hîc præterire supinum errorem, Ioannis Brittanici, qui ad Iuuenalis locum suprà citatum, dicit Squillã esse ex genere Concharum, ac Ciceronis locum, in subsidiũ præposterè adducit. Qui ibi de paruula Squilla agit, quæ Pinnam comitatur, societate comparandi cibi: non de magna illa, Ganearum delicijs nota. refert Athenæus lib. I. Apicium, nobilem illum Lurconem impensissimè hoc edulio delectatum, adeo vt Minturnis Campaniæ vrbe, illarum gratia plerumque hæreret; sed cùm fama esset, multo maiores in Africa reperiri, ilico eò profectus est; vt verò ad littus propius accessit, piscatores enim aduentus eius fama vndique exciti, maximas illi Squillas obtulerunt, quibus conspectis, num maiores haberent percunctatus, illis verò negantibus grandiores maria illa gignere; Minturnensium recordatus, iussit vela iterum flecti, & ne salutata quidem Africa, in Campaniam redijt. Idẽ narrat Suidas in dictione Ἀπικιός, & in dictone κάελδες sed deprauatè vtrobique κιντούρναις τῆς γαλατίας habet, cum legendum sit μιντούναις τῆς καμπανίας. Minturnenses enim Squillas maximas fuisse auctor est Martialis.

Cæruleus nos Liris amat, quem silua Maricæ
Protegit, hinc Squillæ maxima turba sumus.

Alluitur enim Liri amne Minturnensium vrbs, Plinio & Strabone testibus. Archestratus verò apud Iasum Cariæ vrbem, vt etiam in Ambracia, & Macedonia, prægrandes esse Squillas

 monet.

monet. Solebant autem Ganeæ periti Squillis præcipuè vesci, vt pigritiam nauseantis stomachi excitarent, ac ἀναςώμωσιν irritarent. Horatius lib. II. Satyr. IV.

Tostis marcentem Squillis recreabis, & Afra
Potorem Cochlea.

Veteres enim tanquam gratiores sic Palato essent, Squillas potius assabant, quàm elixabant; docet hoc Comicus Anaxandrides.

ἐρυθρώτερον καρίδος ὀπτῆς σ' ἀποφανῶ.

Rubicundiorem te Squilla assa reddam. Mnesitheus etiam Atheniensis, assari magis quàm elixari Ostracoderma illa suadet. Ananius verò Poëta laudat Squillam cum folijs ficuum coctam.

ὄψων ἄριςων καρὶς ἐκ συκέας φύλλων.

Obsoniorum optimum Squilla ex fici folijs parata.

Squillæ etiam genus, existimabatur Cammarus; vulgus nunc Gambarum vocat Athenæus lib. VII. κάμμαροι ἐςι τῶν καρίδων γένος, καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων οὕτως καλοῦνται. *Cammari sunt Squillarum generis, sic à Romanis vocati.* Idem obseruauit Eustathius ad Odyssæam α. Scio Plinium libro XXXII. capite XXII. Cammarum à Squilla distinxisse, vt reuera est distinctus, sed parua Squilla Cammaro valdè similis est; vnde nominis confusionem enatam credo. Plebeium autem ac vile erat Romæ obsonium. Teste Iuuenali Satyra V.

Sed tibi dimidio constrictus Cammarus ouo
Ponitur, exigua Feralis cœna patella.

Idem & Martialis ostendit.

Immodici tibi flaua tegunt Chrysendeta Mulli,
Concolor in nostra Cammare lance rubes.

Græcorum aliqui καμμορον vocant. Galenus verò καμμάριδα, nonnulli Astacum Fluuiatilem.

Squillis affines sunt κάραβοι, siue Locustæ, quibus adeò delecta-

lectatum ferunt Callimedontem Oratorem, vt inde κάραβος dictus fuerit. Alexis Comicus.

Πρῶτοι μὲν ἦν ςον Καλλιμέδων ὁ κάραβος.

Primum quidem tibi Callimedon Locusta præsto fuit. Tria verò Locustis inesse Dorion apud Athenæum libro VIII. refert διὰ τριβὴν, καὶ εὐωχίαν, καὶ θεωρίαν, *exercitationem, bonum edulium, & speculationem.* Quum enim Locusta integra apponitur frangendis pedibus, thorace cæterisque partibus deloricandis, manus, oculique occupātur. Edulium verò est conuiuis gratissimum; ipsa verò Locustæ species intuentes recreat, dum alius cornua, alius pedes, alius caudam, alius loricatum corpus sedulò speculatur. Viua autem coqui debet, aliàs ingrata. Plinius. *Vnū hoc animalium nisi viuum coquitur, feruenti in aqua fluida carne non habet callum.* Optimæ autem habentur Locustæ cum grauidæ sunt, vt & cætera Malacostraca, teste Aristotele, quanquam aliàs difficilis sint concoctionis. Simeon Sethi. *Locustæ difficulter concoquuntur, sed admodum nutriunt, salsique humoris participes, sunt, & si sæpe dulci aqua incoquuntur, ventrem cohibent.* Sed non ideo inutiles semper ægris sunt. Archigenes apud Galenum libro VIII. de Comp. Pharmacorum κατὰ τόπους, stomachicis in cibo conuenire docet, quia non facilè in stomacho corrumpuntur. Sic Cornelius Celsus. *Minimè, vitiatur in stomacho Locusta, Polypus & Lolligo.* Alexander verò Trallianus libro II. capite de Empyeumate, *vbi humor salsus & biliosus est, nihil absurdi est præbere Pectunculos, Buccinas, Astacos, Locustas.* Sed mirum est, quod Hipp. lib. I. γυναικείων consulat Puerperæ, vt lochia commodiùs profluant, Polypis ac Locustis vesci. Nostro æuo, maximo in honore mēsarum sunt Astaci (Theodorus Gaza apud Aristotelem vertit Gammarum) quos Plinius Medicus cap. de victu Dysentericorum corruptè, Astagines nuncupat. Æstiuis mensibus cum oua ferunt maximè laudandi. Plinius Secundus, Elephantum visus est vocasse libro XXXII. capite XI. *Elephanti Locustarum generis nigri, pedibus quaternis, bisculis, præ-*

 tereà

tereà brachia duo binis articulis, singulisq́; forficulis denticulatis. Locustis enim, non sunt pedes bisulci, nec forficulæ denticulatæ. Simeon Sethi auctor est, *Astacum frigidum & humidum esse, nutrire copiosè, sed ventrem cohibere, vix concoqui: illos præsertim maiores, Chelas illorum, quam caudam facilioris esse concoctionis*. Ego illa sum opinione, vt Squillas veterum, putem Astacos Græcorum fuisse; tum quod Astaci multo maiores Squillis sunt; illæ enim raro Spithamum excedunt. Simeon Sethi in dictione καρίδες inquit, γίνονται δὲ ἔν τισι τόποις σπιθαμιαῖαι σχεδὸν τὸ μέγεθος, αἳ καὶ ἐνεργεστέραι. *Gignuntur in quibusdam locis, adeo magnæ, vt Spithamum prope excedant, quæ etiam alijs efficaciores sunt*. Ineptè certè Iuuenalis vt Squillæ magnitudinem exprimeret, dixisset.

Aspice quàm longo distendat pectore lancem.

Si de propriè dicta Squilla locutus fuisset, sed è contrario, Astaco egregiè hoc conuenit, vel saltem Squillæ nomine, & Astacum & Squillam voluisse indicare. Addo Latinos Scriptores parum exactè Malacostraca, suis nominibus distinxisse, vt fecerunt Græci. Sed mitto hæc; venio ad Cancrorum genera, quæ varia admodum sunt, nec facilè teste Aristotele enumerari possunt. Maximi sunt Maiæ dictæ, corpus illis rotundum, dorso spinoso, cruribus oblongis, vulgus *Granceolas* nominat, Paguri minores Maijs, cum decoquuntur, partim rufescunt, partim nigrescunt Chelæ, Veneti *Granceporros* vocant, ac in delicijs habent; Aristoteles hos etiam videtur Heracleoticos cognominare, alij tamen diuersos faciunt; Simeon Sethi παγούρια vocat, minusque illis salsuginosi succi, quàm ceteris Ostracodermis inesse dicit.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Ostrea delicatorum cibus. Maris tubera dicta, Viuaria illorum exstructa. Quænam optima. Plinius emendatus, in gustu apponebantur. Dotes illorum, quo tempore optimæ.

CRustatis succedant Ostracoderma, Latinis Testacea, vel Testa operta dicuntur; multiplex horum genus, sed palmam inter omnia, vetustas Ostreis adiudicauit; nec nostra ætas abrogauit. Nam & marcentem stomachum vellicant, & Veneri egregiè opitulantur, quæ duo delicatis summè in votis sunt. Bene Seneca, *Ostrea non cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia, quod gratissimum est edacibus, & se vltra quàm capiunt farcientibus: facilè descensura, facilèereditura*; Quare, vt delicatorum cupediæ habebantur. Cicero libro VII. Epist. famil. *Ita ego qui me Ostreis & Muranis facilè abstinebam, à beta etiam & Malua deceptus sum.* Seneca. *Inde Ostreis, Boletisq́ in omnem vitam renunciatum est.* Matron Poëta Parodus, festiuè admodum maris tubera nuncupauit.

ὄστρεα τ' ἤνεγκεν Θέτιδος Νηρηΐδος ὕδνα.

Ostrea attulit Thetidis Nereidis tubera.

Tanta autem illorum cura erat apud veteres, vt etiam viuaria illis exstruerent, ne vnquam pręclara illa gulæ scitamenta deessent. Plinius lib. IX. cap. LIV. *Ostrearum viuarium, primus omnium Sergius Orata, inuenit in Baiano, ætate L. Crassi Oratoris, ante Marsicum bellum.* Parum hoc erat, nisi etiam ingeniosa gula, docuisset immota Ostrea, peregrinari, & nouas sedes, ac pascua quibus opimentur quærere. Plinius libro XXXIV. cap. VI. *Gaudent peregrinatione, transferrique in ignotas aquas, sic Brundisiana in Auerno compasta, & suum retinere succum, & à Lucrino adoptare creduntur.*

Gignuntur autem Oſtrea in fluuijs, ſtagnis, & mari: ſed præſtantiſſima teſte Athenæo lib. III. τὰ θαλάττια ὅταν λίμνη, ἢ ποταμὸς παράκειται, *quando lacus adiacet aut fluuius.* vnde Plinius; *Gaudent dulcibus aquis, & vbi plurimi influunt amnes, ideo Pelagia parua & rara ſunt.* Hinc Xenocrates apud Oribaſium. *Oſtrea Pelagia, rara & inutilia ſunt, quia Sol ea non aſpicit, exilis etiam magnitudinis, ac amara euadunt, nec eſculenta, quia ventrem mordicant, gaudent dulci temperamento immixta, quod carnes dulces auget;* hæc loca Græci λιμνοθαλάττας, Latini æſtuaria vocant, Auſonius eleganter epiſtola ad Theonem, Stagna dulcia.

Oſtrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis, reflui maris æſtus opimat.

Præcipua verò habentur in quaque gente, teſte Plinio libro XXXII. cap. VI. *Spiſſa, nec Saliua ſua lubrica, & craßitudine potius ſpectanda, quàm latitudine: neque in luto capta, neque in arenoſis, ſed ſolido vado, ſpondylo breui, atque non carnoſo, nec fibris lacinioſo, ac tota in aluo. Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras; eoque argumento generoſa interpretantur, Calliblephara appellantes.* Græci Abydenis præcipuam tribuerunt nobilitatem, teſtatur hoc Clemens Alexandrinus lib. II. Pedagogicon. Archeſtratus in Gaſtronomia.

ὁ μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος.

Quod Q. Ennius in Phageticis totidem verbis expreſſit.

Mures ſunt Æni, aſt aſpra Oſtrea plurima Abydi.

Romani verò Lucrina, maximi ſemper fecerunt, iam à Sergij Oratæ temporibus, qui primus illis optimum ſaporem adiudicauit. Petronius Arbyter in Satyrico.

—— Lucrinis
Eruta littoribus, vendunt Conchylia cœnis,
Vt renouent per damna famem.

Martialis lib. XIII.

Ebria Baiano veni modo Concha Lucrino,
Nobile nunc ſitio Luxurioſa Garum.

Iuuena-

Iuuenalis verò Gaurana vocat à vicino monte Gauro.

—— Canet licet Ostrea centum
Gaurana.

Sed non minus postea Brittannica inclaruerunt. Plinius. *Nondum Brittannica seruiebant littora, cum Orata, Lucrina nobilitabat.* De illis Senecam loquutum puto. *Non est necessum perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec Conchylia vltimi maris, ex ignoto littore eruere.* Vix enim Senecæ sæculo nota erat Brittannia, Apertiùs Iuuenalis de Montano famoso Helluone Satyra IV.

—— Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinouè edita fundo,
Ostrea callebat, primo deprendere morsu.

Rutupinum enim Brittanniæ est oppidum. de simili Ganeone illud est Lucilij, qui primo aspectu Ostreorum qualitates indicabat.

—— Quid? ego si cerno Ostrea
Cognorim fluuium, limum, ac cœnum sapere ipsum.

Omnibus verò prælata sunt Cyzicena. Plinius lib. XXXII. cap. VI. ex Mutiani verbis. *Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Brittannicis, suauiora Edulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus,104 sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circensibus. Sed his neque dulciora, neque teneriora esse vlla, compertum est.* sed quid sibi suauiora Edulis. Nusquam enim terrarum Eduli populi. Quare legendum puto *suauiora Medulis*, Ptolomęus Medulos populos in Gallia Narbonensi recenset, sed & Ausonius clarissimè hoc adstruit Epist. IX. vbi Ostrea Burdegalensia cæteris præfert.

Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdegalensia nomen
Vsque ad Cæsareas tulit admiratio mensas.

In hodiernum enim diem, quidquid terrarum est infra Burdegalam, Oceanum & Garumnam *Meduc*, vocatur, teste Elia

Vineto,

Vineto, in Ausonium. fuêre etiam quædam Tridacna dicta. Plinius citato loco. *Inter nos, nepotis cuiusdam nomenclator, Tridacna appellauit, tantæ amplitudinis intelligi cupiens, vt ter mordēda essent.* Sumebant autem veteres in Antecænio, vel promulside præcipuè Ostrea, quod ex Dromeæ parasiti verbis apud Athenæum lib. IV. patet: qui interroganti cuidam, an cœnæ lautiores essent in vrbe, an in Chalcide? respondit, τὸ προοίμιον τῶν ἐν χαλκίδι δείπνων, χαριέστερον εἶναι τῆς ἐν ἄστει παρασκευῆς; τὸ πλῆθος τῶν ὀστρέων, καὶ τὴν ποικιλίαν, προοίμιον εἰπὼν δεῖπνον. *Proœmium cænarum, elegantius in Chalcide, quam totum vrbis apparatum: Cœnæ proœmium vocans, Ostreorum varietatem ac copiam.* Idem in Albo cœnæ Aditialis, Metelli Pontif. Maximi, apud Macrobium videre est lib. III. *Ante cœnam Echinos, Ostreas crudas quantum vellent, Peloridas Spondylos, Glycymaridas, Vrticas, Ficedulas, Lumbos Aprungos, Altilia ex farina inuoluta, Ficedulas, Murices, ac Purpuras.* Nam vt obiter hoc tangam, in vsu erat apud antiquos, conuiuis singulis postquam discubuissent, tabellam, in qua omnium ferculorum nomina descripta erant, tradere, vt scirent quid vnoquoque missu inferretur; ac integram Orexim seruarent in aduentum optati ferculi, quod etiam ab Athenæo obseruatum video lib. II. sed ad Ostrea redeo: quæ Galeno teste; inter cætera testacea, carnem habent mollissimam, aluum verò valentiùs subducunt, corpusque imbecilliùs nutriunt. Mnesitheus περὶ ἐδεστῶν, refert illorum carnem vix concoqui, ob salsum humorem qui ipsis inest: quare cruda ob salsuginem aluum subducunt; quæ verò elixantur, salsuginem vel prorsus totam, vel maxima ex parte in humore deponunt; siquis verò rectè illa torreat, minimè molesta anxiaque esse. Plinius luculentè illorum dotes explicat, *Stomachum vnicè reficiunt, fastidijs medentur: addiditque luxuria frigus, obrutis niue: summa montium & maris ima miscens. Molliunt aluum leuiter eadem cocta cum mulso; Tenesmo, qui sine exulceratione sit, liberat, Vesicarum quoque vlcera repurgat.* Michaël Psellus libro II. Ostridia ijs tribuit, qui corrumpunt

rumpunt in ventre cibum ex prauo humore, aut fluitante iecore. Optima autem ſunt Verno tempore,& ineunte Æſtate, tunc enim teſte Xenocrate, craſſeſcunt, expleta albo humore lacteo. Plinius. *Circa initia Æſtatis, multo lacte prægnantia, atque vbi Sol penetrat in vada; hæc videtur cauſſa, quare minora in aliis locis reperiantur; Opacitas enim prohibet incrementum, & triſtitia minus appetunt cibos.* Quocumque tamen tempore, certum eſt ex illis lentum crudumque humorem generari, vnde & flatus copioſi, concludam Senecæ verbis. *Quid illa Oſtrea, inertiſſimam carnem, cœno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ grauitatis inferre?*

CAPVT XXXVIII.

Echinorum varia genera. Pollux emendatus. Laconis de illis dictum. Veneriæ conchæ. Seneca explicatus. Pelorides. Glycymarides. Balani. Vrticæ. Purpuræ. Trachali. Mituli.

QVia Pontificiæ Cænæ laterculum, plurima ac varia nobis teſtacea, apud Macrobium exhibet, quæ veteribus in deliciis erant, non abs re fore crediderim poſt Oſtrea, ſtrictim illa percurrere; non ſolum vt æui illius lautitias miremur, ſed etiam vt in ſanitatis tutela, palam ſit, locum ſuum habuiſſe. Ab Echinis autem incipiam, quorum plura genera Ariſtoteles libro IV. Hiſtoriæ Animalium enumerat. Primum quod cibo idoneum eſt, in quo, quæ oua appellant magna & eſculenta ſunt, recentiores Ouarium non imperitè vocarunt: Secundum σπάταγγαι, tertium βρύσσοι ſunt, adhæc eſt ἐχινομήτρα quaſi matricem dicas Echinorum. Heſychius nomina hæc aliquomodo explicat. Σπάταγγαι, οἱ μεγάλοι ἐχῖνοι, οἱ θαλάσσιοι, *ſunt magni Echini & marini.* Iulius Pollux deprauatè hos πατάγγας vocat: qui verò Ariſtoteli ſunt βρίσσοι, Heſychio βρύττοι dicuntur.

tur. *βρύττος, εἶδος ἐχίνου πελαγίου, ὥς φησὶν Ἀριστοτέλης*, idem auctor. hos *ἀμβρύττους* vocat. *Ἄμβρυττοι εἶδος ἐχίνων θαλασσίων, Ἀριστοτέλης δ' αὐτοὺς βρύττους καλεῖ.* *Ambritti Genus Pelagiorum Echinorum, quos Aristoteles Brittos vocat.* Totus autem eſt aſper, & ſpinis horridus Echinus, non ſecus ac Erinaceus, ſed intus plenus ſuaui ſucco, Martialis,

Iſte licet digitos teſtudine pungit acuta,
Cortice depoſito, mollis Echinus erit.

Quare vt quis eo veſcatur, arte opus eſt, ne à ſpinoſo cortice offendatur. Refert Athenæus lib. III. Laconem quendam, arrepto Echino, ignarum quo pacto cæteri eo veſcerentur, in os integrum conieciſſe, quem dum frangi cum moleſto ſtridore perciperet, eſu eius offenſum, dixiſſe *ὦ φαγίμα μιαρὸν, οὔτε μὴ νῦν σε ἀφέω μαλακισθεὶς, οὔτ' αὖθις ἔτι λάβοιμι.* *O ſceleſtum edulium, neque nunc ego te præ animi mollitie demittam, nec poſt hac iterum ſumam.* Ita enim malim cum clariſſ. Cauſabono legere, quàm cum vulgo, *μαλακισθέν*, Lacon enim, credebat conſtantiæ ſuæ iniuriam fieri, ſi aculeis Echini vinceretur. Præſtantiſſimi circa Miſſenum naſcebantur. Horatius.

Oſtrea Circeis, Miſſeno oriuntur Echini.

Stomacho vtiles eſſe, ventrique: & vrinam mouere, auctor eſt Dioſcorides. Ælianus verò lib. XIII. Hiſtoriæ Animalium tradit, ciborum faſtidio laborantem ſtomachum, in priſtinam valetudinem Echinos reſtituere. Galenus libro III. de Alimentorum facultat. imbecillis eſſe alimenti refert, medioſque inter ea, quæ humores denſant vel attenuant. Trallianus capite de Epilepſia, Oſtracoderma vitanda monet, Echinis exceptis. *ἔχει γὰρ τι καὶ εὐκοίλιον, καὶ εὐστόμαχον, καὶ διουρητικὸν, λαμβάνειν δὲ δεῖ τούτων διὰ θερμοῦ τινος πόματος, ἢ ἀψινθάτου, ἢ κονδίτου.* *Habent enim aliquid quod ventri ſtomachoque conducit, & vrinam mouet, verum hæc ex calido aliquo ſumere oportet vino factitio, abſynthite, aut condito.* Diphilus iucundiores palato dicit, rubri aut melini coloris, & qui lacteum ſuccum cum raduntur emittunt. Qui

verò

verò horum condiendi modum ſcire deſiderat, Apicium libro IX. conſulat.

Spondyli ex Oſtreorum genere ſunt, quos præpoſterè Galeni interpres, vertebras reddit: cum Latinis etiam Scriptoribus nomen hoc ſit familiare; ſcio etiam aliquando à Græcis σπονδύλους vocari, ceruices buccinorum, vel purpurarum. Duræ illos eſſe carnis teſtatur Galenus, libro II. Aph. XVIII. & III. de Alim. facul. ſed vt difficilioris ſunt concoctionis, ita etiam firmioris ſunt alimenti. Martialis illos inter rectæ cœnæ delicias enumerat.

Roſos tepenti Spondylos ſinu condit.

Scio aliter à quibuſdam locum hunc interpretari, ſed opinionem meam, Senecæ locus confirmat Epiſt. LXXXXV. vbi Spondylos inter cætera teſtacea annumerat. *Memini fuiſſe quondam in ſermone, nobilem patinam; in quam quidquid apud lautos ſolet diē ducere, properans in damnum ſuum popina congeſſerat. Veneriæ, Spondyli, & Oſtrea eatenus circumciſa, qua eduntur, interuenientibus diſtinguebantur Echinis.* Sed de Veneriis pauca hic lubet adtexere, vel ob Senecæ locum, Viris etiam Doctiſſimis non omnino liquidum. Inter varias conchas, quæ in honore & pretio erant, Veneriæ conchæ nominantur. De his Plinius lib. IX. cap. XXXIII. *Nauigant ex his Veneriæ; præbenteſq́ concauam ſui partem, & auræ opponentes, per ſumma æquorum velificant.* Sed vnde dictę Veneriæ? fortè quod Veneri Gnidiæ eſſent ſacræ. Cauſſam aperit Plinius. *Mutianus, Muricem eſſe latiorem Purpura, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice concha, vtroque latere ſeſe colligente: quibus inhærentibus, plenam ventis ſtetiſſe nauem, portantem nuncios à Periandro, vt caſtrarentur nobiles pueri. Conchaſq́ quæ id præſtiterint, apud Venerem Gnidiorum coli.* De his puto Martialem loqui.

Leuior & conchis Galle Cytheriacis.

De his fortè Statius Papinius intelligendus, de Venere.

Inque ſua ducit ſuper æquora concha.

Guillielmus Rondeletius probabiliter admodum, aſſerit has conchas eſſe, quas vulgo Porcelanas vocant: quibus per Galliam mulieres vtuntur, ad polienda lintea, aut leuigandam chartã; nihil enim in ſe aſpredinis habent & egregiè ſunt maculis variegatę, de quibus an Epicharmus, in Nuptiis Hebes intelligendus ſit, videat Lector. θάτερα δ' τ' ἀι κόγχοι Αἰμαθίτιδες, τε κακοδοκσιμοίτε κηρόνοι. *Aliæ præterea ſunt conchæ Æmathitides, clari nominis ad conceptus laudatæ.* Sed mitto hæc, atque ad Pontificiæ cœnæ reliqua teſtacea pergo.

Chamarum licet multæ ſint ſpecies, duæ tamen potiſſimum in honore erant. Pelorides & Glycymerides, vt ex Indice Põtificiæ cœnæ patet; quare cæteris miſſis, de his tantum agam. Pelorides referente Athenæo, à voce πελώριος dictæ fuerunt, quod Chamis maiores ſint, ac ab illis diuerſæ; idem confirmat Euſtathius, in Dionyſium Alexandrinum; vero tamen propius eſt, à Peloro Siciliæ Promontorio vocatas, quod ibi optimæ eſſent. Nam & libro 1. Athenæus recenſens, vbi optima quęque proueniant, κόγκας πελωρίδας adducit. Archeſtratus verò clarius.

Μεσσήνηδε πελωριάδας ςενοπορθμίδι κόγκας.

Ad Meſſanam Auguſti freti propinquam Pelorides conchæ. Horatius Lucrinam commendat.

Murice Baiano, melior Lucrina Peloris.

Martialis verò illam non magni facere eſt viſus, quod inſipida eſſet.

Et fatuam ſumma cœnare Pelorida menſa.

Pari modo alibi aquoſam vocat. Xenocrates illas laudat; quæ ſimiles Oſtreis, in ſtagnis & limoſis paludibus ſunt, quibus aqua dulcis immiſcetur. In fundo verò degentes, vt raras ac inſuaues reprobat. Diphilus verò & Regias vocat. Αἱ δ' παχεῖαι χῆμαι Βασιλικαὶ, δ' πρός τινῶν καλȣμέναι Πελώριαι τε λεγόμεναι, τρόφιμοι, δυσέκκριτοι, ἔυχυλοι, ἐυςόμαχοι, καὶ μάλιςα ἀι μείζȣς. *At craſſæ Chamæ, quas regias quidem vocant, alij Peloridas, multum alunt, egeruntur difficilè,*

difficilè, bonum ſuccum ſuppeditant, iuuant ſtomachũ præſertim maiores. Peloridibus ſunt maiores Glycymerides, teſte Plinio, quem miror, quo nomine illas inter Cancros annumerat his verbis. *Cancrorum genera, Chametrachææ, Chamelæos, Chamæ Pelorides. Generis varietate diſtantes, & rotunditate, Chamæ Glycymerides, quæ ſunt maiores quàm Pelorides.* Cum Cancris multi pedes, & vita manifeſta, his dubia vita, nulli pedes. Xenocrates dicit, bonitate Peloridibus cedere Glycymerides, ſed vrinam magis ciere, aſſatas indureſcere, elixas verò & conditas palato eſſe gratiores.

Balani ita dicti ob ſimilitudinem quam cum querna glande habent, Macrobius in cœna Aditiali, albos & nigros recenſet, ſed ſolus. Latinis Græciſque Scriptoribus, ſub eodem nomine innoteſcunt; quare miror intempeſtiuam nonnullorum diligentiam, qui glandes vertunt; nam Plinius & Columella, ita eos indigetant, & ante illos Plautus in Rudente.

Echinos, Lepadas, Oſtreas. Balanos, captamus conchas.

Variant pro locorum diuerſitate: Ægyptias laudat Athenæus, vt dulces, ac teneras, iucundi ſaporis, alimentum vberiùs ſubminiſtrantes, vrinas ac aluum mouentes. Xenocrates, æſtate captas, cæteris præfert, præſertim ſi naſcantur, vbi mari dulcis aqua permiſcetur. optimæ ſunt quæ in petris prouenuint, aliȩ acriores ſunt, & medicamenti qualitatem prȩſeferunt. Sequuntur Vrticȩ non quidem ex hortis euulſȩ, ſed in mari captȩ; Plautus in Rudente, Marinam Vrticam, Grȩci τὰς κνίδας, καὶ ἀκαλήφας cognominant, pruritum enim corporibus affricant, non ſeçus ac herba, qui illas colligunt, niſi antea manus vnxerint, teſte Atheneȩo. Duplex autem illorum genus eſt, aliȩ enim in cauis ſaxis hærent, nec vnquam ab illis ſeparantur: aliæ plana, & littora amant, ſuiſque abiunctæ ſedibus, huc illuc vagantur. Plinius libr. IX. *Vrticæ noctu vagantur, noctuque mutantur. Carnoſæ frondis his natura, & carne veſcuntur. Vis pruritu mordax, eademq́ quæ terreſtris Vrticæ;* Hybernis

 menſibus

mensibus sunt carne constante, atque rigidiuscula, quare tunc cibo sunt idoneæ, æstate verò resoluuntur, marcentque, vt si tetigeris, facilè discerpantur, Vt tradit Aristoteles libro IV. de Historia Animalium. Xenocrates ori esse gratas, assas tamen elixis præfert: aluum ciere, vrinamque mouere auctor est. Mnesitheus verò Atheniensis, exiguum ac humidum alimentum suppeditare, excretiones promouere dicit. Inter Pythagoræ Symbola, refert Lilius Gyraldus, ab Vrtica Marina esse abstinendum, quod illa credatur Veneri stimulos addere. Claudat hoc agmen purpura, quæ non solum pretiosum suum colorem, viuidumque succum tingendis expetitum vestibus præbet, sed epulas etiam lautiorum instruit. Martialis.

Sanguine de nostro, tinctas ingratè Lacernas
Induis, & non est hoc satis? esca sumus.

Sic & Lucilius inter expetitas epulas, Purpuram suo æuo iam recensuit.

Ostrea nulla fuit, non Purpura, nulla Peloris.

Commendatur in illis pars callosa, & durior præ cæteris, cui reliqua caro innititur, quam ideo τραχήλον, siue ceruicem vocant. Hesychius, τραχήλους τὰς πορφύρας, ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων. *Trachilos aliqui Purpuras vocant, alij verò Muricum vertibula, vel ceruices vocant.* Festus Pompeius, etiam Trachalum, pro Latina voce vsurpauit. *Trachali*, inquit, *appellantur Muricum ac Purpuræ superiores partes, vnde Ariminenses maritimi homines, cognomen traxerunt Trachali.* Petronio tamen placuit hanc partem, ceruicem vocare, vbi inter ὑποβινητιῶντα βρώματα, hanc partem recenset. *Mox cibis validioribus pastus, id est bulbis, cochlearumque sine iure ceruicibus, hausi parcius merum.* Conueniunt autem illis, teste Athenæo, quibus debilis est stomachus, quibusque non facilè cibus ad interiora digeritur, quoniam vix corrumpuntur. Sed non cuiuis imbelli ventriculo conueniunt, sed illi dutaxat, qui ob calorem immoderatum leuiores cibos exurit.

Sic

Sic Galenus, Purpuræ esum permittit, quibus ob vitiosos succos, cibi in ventriculo corrumpuntur. Quod verò μηκώνιον Græci, Latini Papauer vocant, est excrementum in omnibus testaceis, quod membrana continetur, ad extremam penè testæ partem, suauius id reliquis est partibus, ac debiliori ventriculo conuenire, auctor est Athenæus.

Habebant & Mituli locum suum, in Conuiuiis, qui à Græcorum quibusdam πέλινας vocantur, vt auctor est Athenæus, quo nomine, hodierno etiam die apud Romanos gaudent. Plebeium olim erat edulium, vt monet Martialis libro III. Epigr. LIX.

Ostrea tu sumis, stagno saturata Lucrino,
Sumitur inciso Mitulus ore mihi.

Vis illis præcipua est aluum mouendi, vnde Horatius libr. II. Satyra IV.

———— Si dura morabitur aluus,
Mitulus, & viles pellent obstantia Conchæ.

CAPVT XXXIX.

Testudinum diuersa genera. Magnitudo mira. illorum laminis lecti & Repositoria tecti: Chersina, & Mascula. Cæsarum filij, in Testudineis alueis lauabantur.

INter terrestria, nulla est Testudinis facta mentio, quod Amphibium sit, victumque in terris, aquaque petit; sed commodissimus hic locus est, de illa post Testacea dicere, quia illis non omnino est dissimilis, præduro enim cortice silicis instar contegitur. Varro Testudinem vocatam dicit, *quod testa tectum sit hoc animal.* quatuor autem eius genera esse, auctor est Plinius lib. XXXII. capite IV. *Terrestres, Marinæ, Lutariæ, & quæ in dulci aqua viuunt: has quidam è Græcis, Emydas vocant.* Aristoteli verò

verò duo duntaxat genera esse videtur, Terrestris ac Marina, vt obseruauit Doct.mus Rondeletius libris de Piscibus. in magnam molem aliquando excrescunt præcipuè Marinę, adeò vt referat Plinius lib. IX. cap. X. *Testudines tantæ magnitudinis, Indicum mare emittit, vt singularum superficie, habitabiles casas integant; atque inter Insulas Rubri præcipuè maris, his nauigant cymbis.*

Strabo lib. XVII. in Arabiæ littore, dicit Chelenophagos habitare, qui testudinum operculis conteguntur, quæ adeò magna sunt, vt nauigare tutò in eis liceat. Ælianus verò libro XIII. Historiæ animalium capite XXXVIII. refert in Insula Taprobana, Testudines adeò magnas esse, vt vniuscuiusque testa, integrum tectum præstare possit: quod vnaquæque testa, quindecim cubitorum sit; atque vel vehementissimos solis æstus arceant: fluuiatiles etiam non minores aliquando spectantur, refert enim Strabo, libr. XV. ex Nicolao Damasceno, Augusto Cæsari, oblatam Antiochiæ fluuiatilem Testudinem, trium cubitorum, ab Indiæ Rege Poro, dono missam. Illarum caro, humidæ & frigidæ naturæ est, nec difficilè concoquitur: in medicatos vsus plerumque assumitur, cum alendi tamen viribus non obscuris: ad tabidos, macieque consumptos, manifesto frequenter euentu valent, præsertim si illis admisceantur ea, quæ similibus morbis conueniunt. Vetus est Parœmia, apud Athenæum lib. VIII.

ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν

Aut edendæ sunt Carnes Testudinis, aut non edendæ.

Nam referente Suida, *Testudinis caro modicè sumpta, tormina gignit, copiosa verò purgat*; Terpsionis, Archestrati doctoris hoc dictum fuisse refert Athenæus.

Inuenit postea luxus artem secandi eius corticem, vt Lectos, repositoria, variamque supellectilem, illa operirent. Plinius lib. IX. ca. XI. *Testudinum putamina, in laminas secare, lectosque & Repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij*: huc respexit Iuuenalis Satyra XII.

Qua-

Qualis in Oceani fluctu Testudo nataret,
Clarum Troiugenis, factura & nobile fulcrum.

Nec satis fuit domesticam supellectilem Testudinum laminis exornare, sed & auium Caueas. Statius lib. II. Syluarum, de Psittaco Melioris.

At tibi quanta domus rutila Testudine fulgens?
Connexusque Ebori Virgarum argenteus ordo?

Hinc illa Senecæ exclamatio lib. VII. de Beneficijs cap. IX. *Video elaboratam Scrupulosa distinctione Testudinem, & fœdißimorum, pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretijs emptas: in quibus ipsis, illa quæ placet varietas, subditis medicamentis, in similitudinem veri coloratur.*

Magnum tamen inter illas discrimen, ex quibus elegantiæ illæ parabantur; aliæ enim alijs præstantiores. Arrianus enim in Periplo maris Erythræi, refert in Dioscoridis Insula, varias esse Testudinum species: atque inter cæteras Montanam, ingentis magnitudinis, ex qua arcas, capsulas, pugillares tabellas, atque alia huiusmodi conficiunt: refert etiam Albam Testudinem reperiri, vt etiam χρυσῆν: siue auream circa Gangem. Romanis notæ erant Terrestres, & Marinæ: Terrestres Chersinæ dictæ, de his Plinius lib. IX. cap. X.

Sunt & terrestres, quæ ob id in operibus Chersinæ vocantur, in Africæ desertis, qua parte maximè sitientibus arenis squallent, roscido vt creditur humore viuentes. Sed tales minoris erant æstimationis, quam Marinæ, vt ex Martiale licet colligere. lib. XIV. epigram. LXXVIII.

Fœmineam nobis Cherson, si credis inesse,
Deciperis: pelagi Mascula præda sumus.

Vocat enim Testudinem Chersinam fœmineam, quæ & ignobilior, Marinam verò masculam, quæ nobilior. quam viri docti, suspicantur, etiam à Martiale Primam vocari lib. XI. epigr. LIV.

Gemmantes Prima fulgent Testudine lecti,
Et Maurusiacæ pondera rara Citri.

Moris olim fuit, vt Cæſarum pueri, alueis ex Teſtudine paratis lauarentur, tanquam re precioſa: obſeruauit hoc Iulius Capitolinus, in vita Clodij Albini. *Fuit & aliud ſignum futuri imperij: nam quum Cæſariana familia, hoc ſpeciale habuerit, vt paruuli in domus eius, Teſtudineis alueis lauarentur: nato infantulo, Teſtudo ingens patri eius, munere piſcatoris allata eſt, quod ille homo litteratus, omen accipiens; & Teſtudinem libenter accepit, & eam curari iuſsit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari: nobilitandum etiam hinc ſperans.*

CAPVT XL.

Pomponius Mela, & Iulius Scaliger negant reperiri Piſces foßiles. Ariſtoteles, Theophraſtus, Strabo & Polybius, aſſerunt, & recentiores aliqui. inueniuntur etiam in magnis ſaxis.

QVia multis fabuloſum videtur, præter Marinos, fluuiales & lacuſtres piſces, eſſe etiam qui extra aquas, in terra viuant, quos Græci ὀρυκτὰς, Latini Foſſiles vocant; pro Corollario, lubet hîc de illis fuſius differere, (quam olim feci in Hiſpania mea illuſtrata cap. XCII.) idque ex fide grauiſſimorum auctorum. Negat hoc Pomponius Mela lib. II. cap. V. *Vltra Leocata, littoris nomen, & Salſulæ fons, non dulcibus, ſed ſalſioribus, quàm marinæ ſunt aquis defluens: iuxta campus, minuta arundine graciliq; peruiridis; cæterùm ſtagno ſubeunte ſuſpenſus; id manifeſtat media pars eius, quæ abſciſſa, proximis, velut inſula natat, pelliqué ſe, atque attrahi patitur: quin & ex ijs, quæ ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur: vnde Græcis, noſtriſque auctoribus, veriné ignorantia, an prudentibus etiam, mendacij libidine, viſum eſt tradere poſteris: in ea regione, piſcem è terra penitus erui: qui vbi ex alto hucvſque penetrauerit, per eius foramina, ictu captantium interfectus extrahitur.* Iulius etiam Scaliger, exercitatione in Cardanum CCXVIII.

Melæ

Melæ opinioni ſubſcribit. *Sed & foßiles è terra piſces, ab auctoribus traditos non ignoras. E Narbonenſi agro etiam eruere Theophraſtum. Hanc hiſtoriam & nos Græcam ſcimus, & pro vana caſtigat Pomponius Mela. inertibus enim, lutulentis, atque craſſo limo paludibus obductos, extractos, videri de terræ eductos ſinibus.* Sed labitur Scaliger, quod Theophraſtum dicat, de Narbonenſi agro loqui, cuius non meminit, ſed in Paphlagonia hoc euenire dicit.

Contrarium aſſerunt multi, & præclari ſcriptores: Strabo lib. IV. *Iuxta Ruſcinonem lacus eſt propinquus, ac paulo ſupra mare, locus aquoſus, Salinis abundans, vbi ſunt Foßiles Mugiles. Vbi enim duos aut tres pedes foderis, immiſſo in aquam limoſam tridente, configere licet piſcem iuſtæ magnitudinis, qui anguillarum more limo paſcitur.*

Athenæus verò lib. VIII. ex Polybio grauiſſimo ſcriptore idem luculentè confirmat. *Polybius*, inquit, *libro* XXXIV. *Hiſtoriarum, vltra Pyrenem ad Narbonem vſque campos eſſe, per quos Illiberis, & Ruſcino fluuij, iuxta ciuitates eiuſdem nominis, à Celtis habitatas decurrunt: ac in ijs campis, foßiles quos vocant piſces reperiri; eius namque loci tenue ſolum eſſe, ac ſubnaſcente multo gramine herboſum, ſub eo vero, cum ad duos, treſve cubitos arenoſa terra ſit, quam admonent aquam fluuij, labi, & cum effuſa illa piſces ſub terra meante, pabuli cauſſa; quod radice graminis impensè delectentur, ſubterraneis piſcibus, vniuerſam oram illam implere, quos egeſta humo capiunt.*

Ariſtoteles verò his antiquior libro de Mirandis Auſcultationibus, idem penè refert, ſed circa locum longè à vero deuiauit, in finibus enim Maſſiliēſium, circa Liguſticam hoc euenire ſcribit. ſed quia ſuſpectæ fidei apud plurimos, hic liber eſt, lubet ſententiam eius promere, è libro de Reſpiratione. ἐπεὶ καὶ τῶν ἰχθύων οἱ πολλοὶ ζῶσιν ἐν τῇ γῇ ἀκινητίζοντες, καὶ εὑρίσκονται, ὀρυττόμενοι. *Quandoquidem & piſcium multi in terra, ſed immobiles viuunt, & defoßi inueniuntur.* Nihil poteſt clarius dici. Theophraſtus verò peculiari libro, de Piſcibus in ſicco degentibus, Magiſtri ſui ſententiam fuſius explicat, & varia loca recenſet vbi

Pisces in sicco viuunt, sed lubet illum audire, Plinij verbis loquentem lib. IX. cap. LVI. *Piscium genera etiamnum à Theophrasto mira produntur. Circa Babylonis rigua, decedentibus fluuijs, in cauernis aquas habentibus remanere. quosdam inde exire ad pabula, pinnulis gradientes, crebro caudæ motu: contraq́; venantes, refugere in suas cauernas, & in ijs obuersos stare. Capita eorum esse Raiæ marinæ similia, reliquas partes Gobiorum, & branchias vt cæteris piscibus. Circa Heracleam & Cromnam; & multifariam in Ponto: vnum genus esse quod extremas fluminum aquas sectetur, cauernasq́; faciat sibi in terra, atque in his viuat, etiam reciprocis amnibus siccato littore. Effodi ergo: motu demum corporis, viuere eos approbāte.* Quæ ad verbum ex Theophrasto refert, ille verò cuncta hæc expressit ex Aristotele de Mirabilibus auditis.

Post multa addit Plinius. *Idem tradit in Paphlagonia effodi pisces, gratißimos cibis terrenos, altis scrobibus, in his locis, vbi nullæ restagnent aquæ; miraturque & ipse, gigni sine coitu. Humoris quidem vim aliquam inesse, quam puteis arbitratur, cum in nonnullis reperiantur pisces.* Seneca lib. III. Naturalium quęst. c. XVII. *Et sunt, qui fabulas putant, piscem viuere posse sub terra, & effodi, non capi.*

T. Liuius lib. XLII. refert, Posthumio Albino, & M. Popillio Lenate, Coss. *in Gallico agro, quū induceretur aratrum, sub existentibus glebis, pisces emersisse.*

Iuuenalis valdè rarum, & instar portenti hoc euenire dicit, Satyra XIII.

——— Bimembri
Hoc monstrum puero, & miranti iam sub aratro
Piscibus inuentis, & fœtæ comparo mulæ.

Sed non est fabulosum, aut monstri simile, quod de fossilibus piscibus veteres litteris mandarunt. siquidem loca in quibus terreni isti pisces delitescunt: aut limosa sunt, humoreque multo profusa, aut velut per cuniculos, ac terræ venulas subterlabentibus aquis irrigua: qua de caussa qui cœno lutoque assueti sunt, illic generari: & serpentum more vitam sustinent.

Theo-

Theophrastus, sub finem libri de piscibus qui in sicco degunt; statuendum esse dicit, *locum illum quasi humidum & genitabilem esse, ad similium piscium procreationem idoneum, quod caloris, & humoris commoderatam mixtionem habeat: aut intelligere oportet humorem aliunde deriuari, quo genituræ ferantur principia, locum autem aptum natum esse, vt ideo recipiat & alat.*

Nostro etiam æuo inueniri pisces fossiles, inter recentiores scriptores, obseruauit Rondeletius libro I. de Piscibus cap. x. *Nam in terra anguillas, ranas, aliosque Pisciculos ibidem generatos, sæpenumero vidimus: & terra defossas anguillas, aliquoties spectauimus, in villa Ioannis Scironij viri doctißimi, Monspeliensisque Scholæ Principis.* Georgius etiam Agricola lib. de Animantibus subterraneis sub finem, refert circa Albim tales pisces reperiri.

Neque adeo mirum est, pisces in arido aut vliginoso solo viuere, quam durissimis saxis, extrahi dapsiles & lautos pisces: quod licet multis incredibile videbitur, tamen testatur hoc Ioannes Goropius Becanus, acerrimi ingenij vir, is libro III. Niloscopij, refert, in littore Anconitano saxa ingentia, quinquaginta & plurium librarum è mari extrahi. *Quæ rumpuntur maioribus malleis, magna vi impactis, non quo intus, vt in Aquilæ lapide, siue Ætite, alius calculus inueniatur; sed quo pisciculi delicatißimi extrahantur, eiusdem generis cum Solenibus, quas Cappas longas Veneti appellant; sed eo delicatiores, quod non aqua marina, sed rore quodam tenuißimo, per lapidem imbibito pascantur. Hi plures numero, ad viginti, modò plures, modò pauciores; ita saxo includuntur, vt singulis suus sit nidus, ad magnitudinem, & figuram piscis, omnibus lineamentis respondens. inter nidos saxeo interstitio relicto, ex his veluti è vaginulis, rupto lapide, eximuntur integri Solenes, ad palatum, & lumbos delicatiorum plurimum facturi.*

CAPVT XLI.

Iſicia ex piſcibus parata. Vnde dicta. Iſidori opinio reiecta. Heliogabalus primus illorum inuentor, Varia eorum genera. Trallianus emendatur.

HActenus piſcium nobiliſſimi plerique explicati, nunc ſupereſt de illis agere, quæ ex piſcibus parari docta luxuria excogitauit, ac medicina etiam temporibus ſeruiens, in ſuos vſus traduxit. Atque vt nulla in parte carnibus cederent piſces, ex illis etiam Iſicia parauit. Varro Inſicia vocat, lib. IV. de cauſſis linguæ Latinæ: Græci ἴσικον, & ἰσίκιον dicunt. Etymon aperit Macrobius libro VII. Saturnalium capite VIII. *Ab inſectione Inſicium dictum, amiſſione enim litteræ, poſtea quod nunc habet nomen obtinuit.* Diuerſus ab illo Iſidorus libro XX. *Iſocem piſcem quendam vocant, ex quo primum Iſicia facta ſunt, & quamuis ex alio genere fiant, initium tamen piſcis hic & vocabulum dedit.* Non poſſum tamen adduci vt credam, hinc Iſiciorum nomen fluxiſſe, præſertim cum priùs ex carnibus, illa confecta ſciam, quàm ex piſcibus. Adde hunc piſcem cætacei eſſe generis; & ineptum his delicijs; Heſychius. ἴσοξ ἰχθῦς ποιὸς κητώδης. Plinius verò Eſocem, in Rheno præcipuæ magnitudinis piſcem dicit. Heliogabalus autem, Nepotum altiſſimus gurges, primus nouas has cupedias orbi dedit, Lampridius. *Primus fecit de piſcibus Iſicia, primus de Oſtreis, de Leioſtreis, & alijs huiuſmodi marinis conchis, & Locuſtis, & Cammaris, & Squillis.* Quamuis vetuſtius initium habuiſſe videntur, ab Apicio ſcilicet, cuius lib. II. Multa Iſiciorum ex piſcibus genera leguntur: Niſi fortè libros hos ſuppoſititios dicamus, vt doctorum nonnullis placet, & ipſe ſtylus ſatis arguit, qui multum à Tiberij ſæculi puritate deflectit. Solebant autem parari ex vario genere piſcium, vtpote ex Oſtra-

Oſtracodermis, vel dura teſta opertis, aut ſolidioris carnis piſcibus. Apicius. *Iſiciorum varia ſunt genera, marina fiunt de Squilla, ſeu Cammaris, & Aſtacis, de Loligine & Sæpia, de Locuſta, & Pectine, de Oſtrea.* Et quod maximè miror, video hæc gulæ irritamenta, in ægrorum etiam diætam irrepſiſſe. Alexander Trallianus libro v. in curatione tuſſis ex tenui humore, καὶ τῶν ἰχθύων τοὺς σκληροσάρκους, καὶ μάλιστα τὸ ἐξ αὐτῶν ἰσίκιον, ὅσον ὀρφοῦ, γλαύκου, καὶ σηπίας, καὶ κήρυκος. *Offerri debent piſces dura carne præditi, & præſertim Iſicia ex ipſis confecta, vt Orpho, Glauco, Sæpia, & Murice.* lib. VII. cap. de Sputo ſanguinis, piſces duros commendat & Iſicia ex ipſis parata. Condiri autem varijs aromatibus, non ſecus ac Botuli, & Lucanicæ noſtro æuo ſolent. Apicius præcipit condiendum Iſicium, Liguſtico, Cumino & Laſeris radice: aliqui & Garum addebant. Trallianus lib. VIII. cap. III. ἰσικὸν προσφέρεσθαι δεῖ μὴ μέν τοι γάρου, ἢ κνίσσης ἢ ἄλλον τινῶν, *Iſicum dari oportet, quod nec Garum, Vrticam marinam, aut alia quædam habeat.* Quo loco lege κνίδης, de qua ſuprà; κνίσση enim nidor vel fumus propriè, Plinius Valerianus, Iſices vocat, *Accipiat verò ſteriles Vuluas, & pedes de bubus, & Iſices, & Pectines, & Conchylia:* Neſcio tamen qua ratione Medici ſimilia ægris permiſerunt, cum Alex. Aphrodiſienſis, difficile concoqui ſcribat, Prob. XXIII. quoniam leuitate ſua, humido pabulo intra ventriculum innatãt, neque ſe ad eius corpus applicant; qua applicatione fit concoctio, tum circum Gulam redundant, cuius officium appetitus eſt, non coctio. Idem reſpondet Diſſarius Medicus, apud Macrobium libro VII. cap. VIII.

CAPVT

CAPVT XLII.

Salſamenta olim in pretio. Sacrificijs adhibita. Horæa quæ. Oribaſius emendatus. Cybia. Melandrya. Pollux, Heſychius emendati. Saperda.

SAlſamenta olim non ſolum in vſu, ſed etiam in ſummis delicijs fuerunt, adeo vt tum Græci, tum Romani, ad inſaniam penè horum cupidine exarſerint; Antiphanes certè Comicus. πρᾶγματ' ἐλευθερίου, τάριχον vocet. Suidas verò ταρίχα ὄψα πολυτελῆ, *ſumptuoſa obſonia dicit Salſamenta*. Athenienſium verò tantum in conquirendis Salſamentis fuit ſtudium, vt filios Chrærephili Salſamentarij (ob egregia ſcilicet patris in rempubl. beneficia) ciuitate donarint, vt Alexis auctor eſt apud Athenæum libro III. nec minus Romani, Salſamentis addicti fuerunt, quod pretia docent, quibus externa præcipuè diuendebantur. Ex Polybio refert Athenæus, Catonis in curia quiritantis vocem exauditam, fuiſſe, quod Romæ nonnulli τριακοσίων δραχμῶν κεράμιον ταρίχων Ποντικῶν ὠνήσαντο. *Trecentis drachmis teſtam Pontici Salſamenti emerent*. Sacrificijs etiam adhibita fuiſſe Salſamenta, comperio. ferunt enim Phaſelitas quotannis, Cylabræ Heroi Salſamentis ſacrificaſſe. Sed quamuis ex diuerſis piſcibus ſolebant parari; ex Thynnis tamen præcipuè commendabantur, illaq; præcipuè, tabernas ac fora Salſamentariorum complebant. Dioſcorides vno nomine ὠμοτάριχα vocat, varijs autem illa nominibus ab antiquis vocata. Inter quæ celebriora erant, ὡραῖα, μελανδρύα, κυβία, quare de illis primo, mox de cæteris agemus. Ὡραῖον ita dictum quaſi οὐραῖον quod ſit è pulpa Thynni, caudæ proxima. Heſychius. ὡραῖον ὁ τάριχος, κατὰ τὸ ἔαρ συντιθέμενος. *Salſamentum quod circa Ver conficitur*. Quia ſcilicet verno tempore, Thynnorum captura viget. Plautus vocem hanc Latio donauit in Captiuis.

Horæum, Scombrum, & Trigonum, & Cætum.

Perſius

Persius verò, maluit Periphrasi vti Satyra v.

——— *Rubrumq; amplexa Catinum.*

Cauda natat Thynni.

Apud Oribasium corruptè legitur, Leoræum, loco Oræum. *Quod verò Leoræum appellatur suaue est, boni alimenti, sitim non inuehit.* (Ita habet Latinus codex, nam Græcum hactenus vidisse non licuit,) clarum est, Oræum esse legendum, nam cæterorum Salsamentorum, iam meminerat. Diocles Carystius, inter Salsamenta quæ pingui carent, præstantissima censet, Horæa, & Cybia: Cybia autem sunt Salsamenta, quæ ex magnis Pelamidibus fiunt. Plinius libro IX. capite XV. *Pelamides in Apolectos particulatim concisæ, in genera Cybiorum dispertiuntur.* Dictum autem Cybium, auctore Festo Pompeio, *quia eius medium, æquè patet in omnes partes, quod genus à Geometris κύβος dicitur, vnde etiam tessellæ quadratæ, κύβοι. Hinc & κύβιον genus piscis, quia piscantes, id genus piscium velut aleam ludant.* Sed in vltimis hisce verbis prorsus cæcutio, Lyncæus aliquis penitiùs introspiciat. Cybia autem vtpote macra, quamuis pinguibus salubriora, minori tamen erant apud vulgus in pretio, vel Martiale teste, lib. XII. epigr. XXVIII.

Vel duo frusta rogat Cybij, tenuemq; Lacertum.

Et iterum Epigr. XXXII.

Et caudam Cybij, breuesq; Mænas.

Plinius libro XXXII. capite XI. vtriusque Salsamenti nomina, visus est confundere. *Triton Pelamidum generis magni, ex Vræa Cybia fiunt.* mallem legere, *ex eo Oræa & Cybia fiunt.* Diuersa enim hæc sunt Salsamentorum nomina.

Melandrya verò, vocat Pamphilus apud Athenæum, Salsamenta ex marinis Thynnis parata; Hicesius hos propriè Orcynos dicit, qui corruptè Oribasio vocantur Orycali. *Orycalus*, inquit, *est Pelamis magna, quæ in paludem non redit, Tritoni similis.* Plinius ad verbum, *Orcynus, hic Pelamidum generis maximus, neque redit in Mæotim, similis Tritoni.* Dicta autem putat

Oribasius Melandrya, propter similitudinem, quam cum nigricantibus quercus radicibus habent. Plinius exactius. *Thyngni membratim cæsi, ceruice & abdomine commendantur, atque Clidio, recenti dumtaxat, & tum quoque graui ructu; cætera parte, plenis pulpamentis sale adseruantur: Melandrya vocantur, cæsis Quernis Assulis similes*: nam teste Hesychio Μελάνδρυ@, ἡ ἐν τοῖς δένδροις, δασύτης, ἢ ἡ τῶν ξύλων ἐντεριώνη. *Est, densitas arborum, & lignorum medulla.* Athenæus verò, non solum pro Salsamento, sed etiam pro Thynni specie agnoscit. Μέλανδρυς, ὃ τῶν μεγίστων θύννων εἶδ@ ἐστί. Martialis hæc, tanquam viliora Salsamenta videtur agnoscere.

Teque iuuant Gerres, & Pelle Melandrya cana,
Resinata bibis vina, Falerna fugis.

Vocata etiam fuêre Elacatena. Festus, *Elacatena genus Salsamenti, quod appellatur, vulgo Melandrya.* Dicuntur autem Elacatena, ab Elacatane pisce. Hesychius. ἠλακατῆνες, θαλασσίων ἰχθύων οἱ κητώδεις. Athenæus etiam dicit Cætaceum esse piscem, idoneum ad Salsamenta. Pinguiora verò Salsamenta, κατ' ἐξοχὸν dicebantur, τὰ θύννια, quæ potissimum ex ceruice, abdomine, & Clidio fiebant. Præter hæc in pretio erant alia Salsamentorum genera, iam ab ætate Magni Hippocratis, siquidem libro de internis affectionibus, Gaditani Salsamenti, & Saperdæ meminit. Gadibus enim, cum vberrima esset Thynnorum piscatio, multa ibi Salsamenta parabantur, suauissima inter cætera erant, abdomina sale condita. Nicostratus ex Antyllo, vocat γαδειρικὸν ὑπογάστριον. Oribasius libro IV. Collectaneorum, *laudatissima omnium quæ nunc in vsu sunt, Gaditana Salsamenta, quæ nunc Sardæ nuncupantur, deinde Mulli, qui ex Ponto aduehuntur.* Quo loco ex Galeno III. Aliment. facult. lego Mylli, quæ vox etiam corrupta, apud Pollucem legitur, ἄμυλλοι pro μύλλοι, & interpres vertit placentam, nimis supinè, sic apud Apicium libro IX. legimus, ius in Myllo Tarycho, non Mullo. Myllus enim ex genere est Coracinorum, aptus ad Salsamenta, Mullus verò prorsus ineptus. Athenæus. *Huius autem generis* (Coracinorum) *maio-*

maiores Platistaci dicuntur, ætatis mediæ Mylli, parui autem Gnotidia. Venio nunc ad Saperdam, quę quod ex Ponto peteretur, Ponticum Salſamentum vocatur. Perſius Satyra v.

Et quid agam? rogitas? Saperdas aduehe Ponto.

Dorion refert, Saperdam à multis Coracinum nominari, ac præſtantiſſimum eſſe ex omnibus Piſcibus, quos ſalſos, palus Mœotis mittit. Idem & Euthydemus apud Athenæum l. vii. vnde lux datur Heſychij loco. Σαπέρδης, ὄνομα ἰχθύος, οἱ δὲ ταρίχου εἶδος, ἄλλοι ὑπὸ ποντικῶν τὸν καρκίνον ἰχθύν. *Saperda nomen piſcis quidem, & Salſamenti genus, alij à Ponticis, Cancrum piſcem vocari.* Legendum κορακίνον. Decepit hic Heſychij mendoſus locus, Auſonium Popmam Virum Doctum, cum ſcribit in coniectaneis ſuis, in fragmenta Varronis. *Saperda etiam, denotat Cancrum piſcem lingua Pontica.* Coracinus autem nobilis olim, ac lautus fuit Piſcis, teſte Martiali.

Princeps Niliacis raperis Coracine Macellis,
Pellææ prior eſt gloria nulla gulæ.

Quo magis miror Pompeium Feſtum, Saperdam vocare; *genus piſcis peſſimi;* cum à cæteris abundè laudetur. Licet Archeſtratus Nepotum Princeps, ac ſubtiliſſimus obſoniorum Cenſor, parum probet hoc genus Salſamenti.

Σαπέρδην δ' ἐνέπω κλάιειν μακρὰ ποντικῷ ὄψῳ,
Καὶ τοῖς κεῖνον ἐπαινοῦσιν. παῦροι, γὰρ ἴσασιν
Ἀνθρώπων, ὅτι φαῦλον ἔφυ καὶ ἀκιδνὸν ἔδεσμα.
Saperdam multum valere iubeo Ponticum obſonium,
Et illos qui laudant, hominum namque pauci,
Vile atque ignobile, ipſum norunt eſſe Edulium.

Sed præter Thynnos, etiam Scombris, ſuus erat honor inter Salſamenta, Plinius libro ix. capite xv. *Hiſpaniæ Cætarias Scombri replent, Thynnis non commeantibus.* Maxima enim copia, Hiſpaniæ littoribus capiebatur. Præſertim in Herculis Inſula, quæ inde Scombraria vocata eſt. Strabo libro iii. *Dehinc Herculis Inſula eſt, ad Carthaginem ſpectans, quam à Scombrorum multitudine,*

tudine, Scombrariam vocant, ex quibus Garum conficitur. Plautus in Captiuis, Romæ etiam in vsu fuisse illos ostendit. *Horæum, Scombrum & Trigona.* Sic etiam Valerius Catullus, in Smyrnam Cinnæ.

At Volusi Annales, Apuam porgentur ad ipsam,
Et laxas Scombris, sæpe dabunt tunicas.

Hoc est, cessura folia in tectorium Salsamentorum. Diphilus apud Athenæum, dicit, Scombrum leuiter, celeriterq; ex vētriculo secedere, præstantiorem esse Amyclanum; ac ex Hispania quem Sexitanum vocant, vt cui tenuior ac dulcior caro est. Xenocrates verò Parium cæteris prefert. Mirum est quod Ælianus de Scombris memorat, Historię animalium libro XII. capit. XLVI. quod quamuis de Salsamento dici non possit, vt παρεργόν tamen, adtexam. Si homini ex Iecore laboranti, aut ex Ictero decumbenti, quis Scombrum edendum dederit, quemadmodum Piscatoriæ rei periti docent, sanus reddetur. Nostro etiam æuo, varia Salsamentorum genera in vsu sunt: in Italia enim & Hispania, Thynni tabernas complent, & Sardinæ, quæ olim τειχίον & θρίσσαι dictæ fuerunt, quod multis, minutisque spinis, pilorum instar plenæ sint. Nonnulli putant ob nominis affinitatem, veterum Sardam esse. Sed hallucinantur egregiè; nam Sarda, ex Pelamidum genere erat, Sardinæ verò nostrę, minuti pisciculi. Quibus valdè affines sunt Anchoues, Encrasicholi dicti, vel ἐγγραυλοι, Apuarum generis, & Sardinis multo nobiliores.

Apud Germanos verò, Gallos, ac Belgas, ex Salmone lautissima parantur Salsamenta: pinguis enim est, minimeque durus piscis. Sed Halecum incredibilis copia, vulgo Harengi dicti, stato tempore, Cimbrico Oceano erumpens, Salsamentorum officinas complent, atque ex Belgica in vniuersam Europam transmittuntur. Similiter etiam Asellorum immensa copia, partim sale conditur, partim vento & Sole duratur, ex quibus lauta Salsamenta parantur, quæ vniuersæ Germaniæ in vsu sunt.

CA-

CAPVT XLIII.

Salſamentorum vſus ſalubris. In principio menſæ ſumebantur. Macerabantur variè. Dioſcorides de Drymiphagia explicatus. Noxæ ex illis poſt venæ ſectionem.

TEmpeſtiuum eſt Salſamentorum dotes, ac dextrum vſum explicare; nam multi ſine vlla ratione, ex ſalubri victu illa exigunt. Quod illis perſuaſum ſit, ventriculo nocere, mordaci ſua & acri qualitate, prauiſque humoribus corpus implere. Rhaſis nullo modo edendos eſſe ſalitos piſces dicit; negatque inciſionem, vel ſubtilationem humorum efficere. Cum è contrario, ventriculo proſint, ac prauos ſuccos, facultate ſua detergente, per aluum pellant. Multorum inſtar ſit Hippocrates, libro de Diæta. οἱ τάριχοι ξηραίνουσι, καὶ ἰσχναίνουσι, τά γε πλείονα, καὶ διαχωρέει ἐπιεικῶς. *Salſamenta ſiccant, & attenuant, pleraque etiam aluum leuiter mouent.* Diphilus verò ventriculum iuuare, aluum ducere, appetentiam irritare dicit, vnde libr. IV. de Sanitate tuenda Galenus, ſenibus Salſamenta interdū vtilia ſcribit: qua de cauſſa antiquis, vnà cum oleribus in Promulſide apponebantur. Sic Athenæus, refert Diphnoſophiſtas, cœnam fuiſſe auſpicatos ab Oræo Salſamento; Galenus in conſilio pro puero Epileptico. Καὶ τι προσφέρει αὐτῷ λαπαττόντων τὴν γαστέρα λαχάνων, ἢ γε ταρίχους, ἢ πτισάνης, ἢ ἐλαιῶν. *Et prius aſſumet quippiā ex iis, quæ aluum mouent, vel Olus, vel Salſamentum, vel Ptiſanam, vel Oliuas.* Martialis lib. XI. Epigram. XIII.

Prima tibi dabitur, ventri Lactuca mouendo
Vtilis; & Porris fila reſecta ſuis.
Mox vetus, & tenui maior Cordyla Lacerto,
Sed quam cum Rutæ frondibus, oua tegunt.

Cordyla enim (vt hoc obiter attingam) Thynni eſt ſpecies,

atque

atque inter Salſamenta, non ſecus ac Lacerti recenſebantur. Idem libro x. Epigr. XLVIII.

Secta coronabant rutatos oua Lacertos,
Et madidum Thynni, de ſale ſumen erit.

Vocat autem Poëta, madidum Thynni ſumen, vt oſtendat ex iure comedi ſolitum. huc etiam viſus reſpexiſſe Perſius.

——— Rubrumq́ue amplexa Catinum,
Cauda natat Thynni.

Alexis Poëta, inducit coquum præparantem Salſamenta, cuius verſus non pigebit adducere, quod totum apparatum Salſamentorum contineant.

——— πλυτέον εὖ μάλα,
εἶτ' εἰς λοπάδιον ὑποπάσας ἡδύσματα,
ἐνθεὶς τὸ τέμαχος, λευκὸν οἶνος ἐπιχέας,
ἐπεσκέδασα τὸ ἔλαιον, εἶθ' ἕψων ποτὲ
Μυελὸν ἀφεῖλον ἐπιγανώσας Σιλφίῳ.

Primum id eluendum eſt, deinde in lancem ſcitamentis ſubtus aſperſis, fruſtum cum appoſuero, elixabo tandem, poſtea cocturaq́ue mollitum, atque ab igne remotum, honeſtabo Silphio. Primum enim macerari debent Salſamenta, aliàs omnino ingrata euadunt. Quod ne Plautum quidem fugit, in Pœnulo.

Soror cogita amabo, item nos perhiberi,
Quaſi Salſa Muriatica eſſe autumantur,
Sine omni lepore, & ſine ſuauitate,
Niſi multa aqua & diu macerantur,
Olent, Salſa ſunt, tangere vt non velis.

Sed hoc mirum eſt, ſi Salſamẽtum Muria rigetur, dulcius euadere. Plutarchus libro I. Sympoſiatorum. τὸ τάριχος ἂν ἅλμῃ βρέχηται, γλυκύτερον γίνεσθαι. Athenæus verò lib. III. non de Muria, ſed de Marina Aqua loquitur. ὁ δ' ἐκ θαλάττης ἑψόμενος τάριχος, γλυκύτερος γίνεται. Cauſſam inquirere non eſt mei inſtituti. Sed μαγείρικα hæc, miſſum facio. Conueniunt porro Salſamenta omnibus, qui multa pituita ſtomachum infarctum habent, vt

etiam

etiam ſenibus, & ἀποσίτοις. Alex. Trallianus in morborum curatione, frequenter his vtitur, lib. VII. cap. VI. dicit ſe ſitim, ex pituita ſalſa, curaſſe per Salſamentorum vſum; ſic etiam ad purgandos pulmones his vtitur. Dioſcorides capite de Omotaricho. εἴς τε τὰς δριμυφαγίας, μάλιστα ἁρμόζει, *in acriũ rerum eſu, maximè conducit Salſamentum.* Non vt Matthiolus malè vertit *contra acrimonias eſitatorum.* Nec vt Marcellus Virgilius, *ad vomitiones quæ ciborum acremento quæruntur, conducit.* Non enim, quia poſt δριμυφαγίαν, veteres interdum ad vomitum veniebãt, extenuato ſcilicet prius humore, per incidentia cibaria, neceſſe erat vertere, *vomitiones, quæ acremento ciborum quæruntur.* Cũ δριμυφαγία, propriè ſit eſus acrium ciborum. Conſtat enim, veteres ſæpè adhibuiſſe δριμυφαγίαν, ſine vllo vomitu, & etiam vomitum ſine δριμυφαγίᾳ prægreſſa. Clarè vtrumque docet Cælius Aurelianus (quamuis Methodicæ ſectæ) non obſcurus Medicus, lib. I. Tardarum Paſſionum cap. I. *Tunc iſto Cyclo perfecto, erit alius adhibendus, ſolo ex vomitu, detracta Drimyphagiâ.* Iterum, *Sed ne quid odioſum, è quantitate multorum dierum fiat ægrotanti, hoc eſt pulmentorum ſimilis oblatio, erit in communi qualitate, ſpecierum diuerſitas varianda, vt quibus diebus ſalſum damus, Græci, δριμυφαγίαν appellant, eiuſdem ſpeciem variemus.* Iterum. *Reſumpto etiam ægrotante, & conualeſcente, vt nunc perferre vomitum poſſit, nunc Drymiphagiam, audemus integrum, atque perfectum Cyclum Metaſyncriticum adhibere, vt initium à vomitu ſumentes, Drimyphagiam iungamus, ac deinde per cæteras Cycli materias decurramus.* Hæc diffuſius volui deducere, ob Dioſcoridis controuerſum locum. Monet etiam Simeon Sethi, cauendum eſſe à Salſorum piſcium eſu, poſtquam alicui vena ſit ſecta. φασὶ δὲ τινὲς ὡς δεῖ παραφυλάττεσθαι, τὴν τῶν ταριχευτῶν ἰχθύων, χρῆσιν μετὰ τὴν φλεβοτομίαν, ἀλφούς τε γὰρ πολλάκις, καὶ ψώρας ἀπογεννῶσιν. *Ferunt aliqui, cauendum eſſe à Salſorum piſcium eſu, poſtquam alicui vena inciſa eſt, quod tum vitiligines, & ſcabiem ſæpè gignunt.* Fides auctorem appellet, mihi ſufficit verba eius ex fide citaſſe.

C A-

CAPVT XLIV.

Quid Garum. Cælij Aureliani lapsus. Sociorum Garum. Plinij lectio firmata & Ausonij. Idem & αἱμάτειον & μέλα dictum. Variæ Gari species. Hesychius emendatus obiter, & Aëtius.

POst Salsamenta, iure nunc ad liquamina descendam, quæ ex piscibus parauit vetustas. Inter quæ primum locum sibi Garum vindicat, quo nullus olim liquor, præter vnguenta, maiori in pretio apud Romanos fuit. Cuius ita vsus intercidit, vt quid olim fuerit, penè ignoretur. Iulius Alexandrinus, non imi subsellij Medicus, libris suis de tuenda valetudine, credit veterum Garum, esse Cauiaro, Italis Salsamentariis in frequenti vsu: quod illud etiam ex piscibus paretur, tum quod nominis aliqua similitudo, inter Cauiaro & Garum sit; sed immane quantum ἔκτος τῶν ἐλαίων φέρεται; nam Garum, ex piscium intestinis debitè maceratis liquamen est, Cauiaro verò, ex ouis Sturionis potissimum paratur, ac solidum est Salsamentum, adeò vt nulla illis sit affinitas. Petrus Bellonius lib. I. obser. capite LXXV. refert, non solum Constantinopoli, sed etiam in vniuerso Turcarum imperio, frequẽtissimum esse Gari vsum. Fiebat autem Garum, teste Plinio, *intestinis piscium, cæterisque, quæ abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies: hoc olim conficiebatur, ex illo pisce quem Græci Garon vocabant.* Sic Suidas, ὁ ἢ γάρος, ἐστὶν οὐδὲν ἄλλο ἢ σηπεδών, *nihil aliud esse Garum præter putredinem.* Non absimile est illud Senecæ Epist. LXXXXV. *Quid illud Sociorum Garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis vrere salsa tabe præcordia.* Quamuis enim Sal natura sua, reliqua omnia à putredine conseruet, ingeniosa tamen Ganea, ipsum ad Gari, Muriæ, & Alecis liquorẽ tabescere, multifariam coëgit. Dioscorides verò laxè, ex Salsis etiam carnibus

para-

parari dicit. Cælius verò Aurelianus libro II. Tardarum Passionum, cap. I. ab omnibus classicis Auctoribus dissentit. *Garum*, inquit, *est Liquamen ex pisce Siluro confectum*. Aëtius etiam tetr. I. sect. III. cap. CLIX. inter acria, quæ per aluum infunduntur, meminit Gari ex Siluro confecti; idem verò alibi κατ᾽ ἐξοχὴν, Garum dicit Liquamen appellatum lib. II. cap. III. *Item tentandum immissione Medicaminum, ex Garo confectorum, quod vulgo Liquamen appellant*. Sed condonemus magnis viris suos næuos benignè potius, quàm inclementer illis exprobremus. Plinius prestantissimum Garum, ex Scombro parari auctor est lib. XXXI. cap. VIII. *Nunc è Scombro pisce laudatissimum, in Carthaginis Spartariæ Cætarijs, Sociorum id appellatur, singulis millibus nummum, permutantibus Congios pæne binos*; hinc Martialis, liquorem Scombri vocat.

Candida si croceos circumfluit vnda vitellos,
Hesperius Scombri temperet oua liquor.

Sed vnde Sociorum Garum dictum, variant adeo scriptorum opiniones, vt certi aliquid nemo ausit statuere. Hinc Ioannes Langius Medicus doctissimus, sibi persuasit non Sociorum dicendum esse, sed Garum Asociorum, quasi Asotorum (quod delicatis præcipuè in vsu esset) ac Gari illud cognomen apud Plinium, Martialem, Senecam, aliosque corruptum esse: mihi tamen nunquam persuadebit Langius, mendum hoc in tot Auctorum libros irrepsisse. Nam si Plinij verba penitiùs inspiciantur, constabit propriè Sociorum Garum illud fuisse, quod primum apud Socios Populi Romani, in Hispania, in Carthaginis Spartariæ Cætarijs conficiebatur. Ianus tamen Cornarius Vir magnæ doctrinæ, negat commodè apud Plinium, in Carthaginis Spartariæ Cætarijs legi, sed emendandum in Carthaginis, & Hispaniæ Cætarijs. Eodem etiã in luto hæret, Doctissimus ille Antonius Musa Brassauolus, com. I. in Hipp. librum de victus ratione in morbis acutis; sed fugit illos, duplicem fuisse Carthaginem, vnam in Africa, Romanæ vrbis æmu-

lam; aliam in Hispania, quæ Spartaria & Noua vocabatur (de qua fusè in mea Hispania cap. LXVI.) de hac Plinium loqui certum est: alij putant legendum Sosiorum Garum, à familia Sosia quæ illustris Romæ fuit. Sed ad Sociorum Garum redeo. Martialis de illo tanquam de pretioso valde liquamine loquitur.

Expirantis adhuc Scombri de sanguine primo,
Accipe Fastosum munera cara Garum.

Erat autem nobilis ille liquor non clarus, sed quasi nigricans; nam cruenta erat piscium sanies; vnde à Galeno nigrum vocatur lib. III. de compositione Medicament. secundum locos cap. I. γάρου μέλανος, Ῥωμαιστὶ λεγομένου Σοκιόρουμ, *Gari nigri, quod Romanis Sociorum dicitur.* Sic Aëtius lib. III. cap. LXXXII. in confectione Gari Purgatorij, meminit γάρου μέλανος. Cur enim nigrū dicebatur, nisi ob cruorem admixtum, hac de caussa ab alijs Αἱμάτιον dicitur. Constantinus Cæsar Geoponicorū libro vltimo, Latina verba sic habent. *Præstantius porro Garum Hæmation appellatum sic fit, intestina Thynni, cum branchijs cruoreq́; accipiuntur, aspergiturq́; salis quantum satis est, & in vase sinuntur, post menses duos, vas ipsum perforato, effluetq́; Garum Hemation appellatum.* Huc Manilius respicit lib. V. vbi de Thynnorum captura agit.

Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
Euomit, & mixto gustum sale temperat oris.

Scio Viros aliquot doctos, in illa esse opinione, Garum solum ex Scombro, Muriam verò ex Thynnis paratam fuisse; sed errare illos palàm est, si cum iudicio citata Auctorum loca quis inspiciat. Vocabatur etiam Sociorum hoc Garum, à Paulo Æгineta πρωτεῖον seu primarium, quod nobilissimum illud esset, inter cætera Gari genera. Postea etiam ex Apua confectum fuit. Plinius lib. XXXI. cap. VIII. *Cæpit tamen & priuatim ex inutili pisciculo, minimoque, confici, Apuam nostri, Aphyen Græci vocāt, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur.* Vnde Ausonius, Apuarum succum vocat, Epist. XXI. ad Paulinum.

Iam

Iam patinas implebo meas, vt parcior illis
Maiorum mensis, Apuarum succus inundet.

Nugas enim agunt, qui Apalaria substituunt, vt primus monuit, Doctissimus ille Barbarus. Quorsum enim inutilis illa repetitio, implere patinas, & inundare Apalaria. Nec enim cochleari bibebant Garum veteres, sed pro intinctu tantum in vsu erat; licet alibi dicat Plinius, ita parari vt bibi possit.

Sed quia antiqui ad Enbammata, & intinctus, varios liquores Garo permiscebant, aquam, vinum, oleum, vel acetum. Varia illi etiam nomina indiderunt. Vnde οἰνόγαρον, ὑδρόγαρον, ὀξύγαρον, & ἐλαιόγαρον, quod etiam Hesychio γαρέλον corruptè, pro γαρελαίον dicitur, addit enim, γάρος καὶ ἔλαιον. Est autem Oxygarum, Garum ex aceto paratum. Apicius libro I. cap. VI. *Oxygarum (quod sonat Garum siue liquamen acetosum) digestibile, habet Piperis Semiunciam.* Martialis lib. III. epigr. XLIX.

—— Adfertur protinus ingens,
Inter lactucas Oxygarumque liber.

Hydrogari etiam vt luxuriosæ rei, meminit Lampridius in Heliogabalo, *Hydrogarum, Romanorum Ducum primus publicè exhibuit, quum antea militaris mensa esset, quam postea Alexander statim reddidit.* Abstinebant enim in publicis Epulis, à similibus Lautitijs Romani, ne exemplo suo luxum apud populum publicarent: de his plura apud Apicium & Aëtium lib. III. inueniet Lector. Sed nec ibi substitit Ganea, transijt deinde in luxuriam; Plinius. *Creueruntque in infinitum, sicuti Garum ad colorem Mulsi veteris, adeoque dilutam suauitatem, vt bibi posset: aliud verò ad castimoniarum superstitionem, etiam sacris Iudæis dicatum, quod fit è piscibus Squama carentibus.* Veriùs diceret, Squamam habentibus, nam prioris generis pisces, lege illis vetiti. Aromatibus etiam conditum erat, Petronius Piperati meminit. In Satyrico. *Notauimus etiam, super duos angulos repositorij, Marsias IV. Ex quorum veretillis, Garum piperatum, fluebat super pisces, qui in Euripo natabant.* Nec satis fuit, nisi & Medici his deli-

cijs artem ſuam inficerent, nam vt ægrorum delicato palato conſulerent, Purgatorium Garum excogitarunt. Aëtius libro III. γάρου καθαρτικοῦ σκευασίαν docet, vbi etiam corruptè legitur, οἰνόγαρτον καθαρτικὸν pro οἰνόγαρον. Sed non caret admiratione, tanto in pretio fuiſſe Garum, cùm tamen valdè ingrati odoris eſſet, docet hoc Martial. lib. II. epigr. XCIII.

Vnguentum fuerat quod Onyx modo parua gerebat,
Olfecit poſtquam Paphilus, ecce Garum eſt.

Quod nec Plinius negat lib. XXXI. cap. VII. *Appellatur & flos ſalis, in totum diuerſa res, humidioriſque naturæ, & crocei coloris, aut rufi, velut rubigo ſalis, odore quoque ingrato, ceu Gari.* Quod & Dioſcorides aſſerit, capite de Haloſantho.

CAPVT XLV.

Muria multiplex. vbi præſtantior. Quid dura Muria. Pœnæ loco qui Gryphum in menſa propoſitum non ſoluebat. Alex varijs ex rebus parata.

GAro ſuccedat Muria, quæ vt in varios Salgamorum, vini, aut Salſamentorum vſus veniebat, in tres ſpecies erat diſtincta. Prima ex aqua cęleſti, vel fontana, ſale Macerata conſtabat: qua ſola in vindemijs vtebantur, vt vina magis defæcarent; de qua Columella, & Cato libris de re ruſtica abundè. Altera erat, qua veteres ad olerum, pomorum, radicum, & Salgamorum condituras vtebantur, Græci ἅλμην σακκίαν, Muriam colatam vocabant. Poſtremò verò ſumitur pro liquamine, quod ex Thynnorum ſanie, maceratis illorum carnibus ſale, defluebat. Heſychius, ἅλμη τῶν ἰχθύων ζωμὸς. Varijs in locis illa parabatur. Plinius lib. XXXI. cap. VIII. *Laudantur & Clazomenæ Garo, Pompeiéque & Leptis, ſicut Muria Antipolis, ac Thurij, iam verò & Dalmatia.* Martialis Antipolitanæ meminit.

Anti-

Antipolitani fateor ſum filia Thynni.
Eſſem ſi Scombri non tibi miſſa forem.

Horatius & Byzantinam laudat lib.II. Satyr.IV. vbi naturam iuris ſimplicis docet.

Quod pingui miſcere mero, Müriaque decebit
Non alia, quam quà Byzantia putruit orca.

Iulius Pollux ἄλμλω θάσιαν, olim in pretio fuiſſe refert. Marcellus lib. de Medicamentis Empiricis, Muriæ Lacertorum meminit, vt ſciamus, non ſolùm ex Thynnis paratam fuiſſe. *Ad dentium dolores bene facit Muria, ex piſcibus Lacertis veteribus, ſi quis ea ſubinde os colluat.* Sed quænam eſt Muria dura apud Celſum lib. II. cap. XXIV. *Conueniunt oleæ, ex dura Muria,* & alibi ſæpius, vt etiam apud Scribonium Largum videre eſt, capite x. Hieronymus Mercurialis, Medicus πολιύςος lib. II. Variarum lectionum cap. LXVI. credit illam eſſe, quæ vi Solis, vſque adeo craſſefacta eſt, vt alterius rei liquidioris comparatione, dura quodammodo apparet; ſed toto illum cœlo errare, verba Columellæ indicabunt: propriè enim eſt Muria matura, quæ & ſalſiſſima eſt. Sic enim ille lib. XII. cap. VI. *Muriam duram ſic facito, dolium patentiſſimi oris locato, in ea parte Villæ, quæ plurimum Solis accipit, idque aqua cæleſti repleto, ea eſt enim huic rei aptiſſima, vel ſi non fuerit, Putealis, certè fontana dulciſſimi ſaporis; in eam tunc indito ſportam iunceam, vel ſparteam, quæ replenda ſit ſale candido, quo candidior Muria fiat, quum per aliquot dies videbis liqueſcere, ex eo intelliges nondum eſſe Muriam maturam, itaque ſubinde alium ſalem, tam diu ingeres, donec in ſporta permaneat integer, nec minuatur, quod cum animaduerteris, ſcies habere Muriam, maturitatem ſuam.* Dicitur autem ideo dura, non quod liquor indureſcat, ſed quod aqua in ipſum ſalem, vim ſuam liqueſcendi, non ſecus ac ſi arida eſſet, nequit exercere: cur hoc eueniat docet. Plinius lib. XXXI. cap. VI. *Verum & hoc cura prouidit, inuenta ratione, qua ſibi quiſque aquam maris faceret, illud in ea ratione mirum: ſi pluſquam Sextarius ſalis, cum quatuor aquæ Sextarijs mergatur, vinci*

aquam, salemque non liquari; cætero Sextarius salis, cum quatuor aquæ Sextarijs salsissimi maris vim, & naturã implet. Patet ergo Muriam duram, esse maturam & salsissimam, quam & asperrimam, alibi vocat Cornelius Celsus. Scribonius largus clarè hoc indicat cap. CLXXXV. ad noxas ex Coriandro, *Adiuuari autem debent, qui biberunt, ex vino mero atque plurimo, vel aqua marina vel Muria dura pota: item ouis anserinis sorbilibus, plurimum salis habentibus, vel iure Gallinaceo, agninóve quam pinguissimo, & salsissimo per se epoto.* Sic Q. Serenus Sammonicus, Acetum durum, pro acidissimo intelligit.

Furfuribusque nouis, durum miscebis acetum.

Veteribus etiam in vsu fuit, cum bonæ mentis studia, etiam in conuiuijs dignitatem suam tuerentur, vt qui propositum super cœna Gryphum non solueret, vt poculum Muriæ, vel inuitus hauriret. Iulius Pollux lib. VI. cap. XIX. vbi de ænigmate, & Grypho agit, καὶ ὁ μὲν λύσας, γέρας εἶχε κρεῶν τινα περιφοράν, ὁ δὲ ἀδυνατήσας, ἅλμης ποτήριον ἐκπιεῖν. *Qui Gryphum soluebat, in præmium accipiebat carnium ferculum, qui verò non poterat, Muriæ poculum ebibebat.* Athenæus libro X. sub finem. οἱ μὴ λύσαντες τὸν προτεθέντα γρῖφον, ἔπινον οὗτοι ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὐτῶν ποτῷ, καὶ ἔδει προσενέγκασθαι τὸ ποτήριον ἀπνευστί, *Qui propositum Gryphum non explicabant, Muriam illi bibebant admixtam, suæ potioni, ea lege vt absque respiratione calicem ebiberent.* Addit & Antiphanes Comicus in Ganimede.

οὐκ ἀλλ᾽, ὀπίσω τὼ χεῖρε ποιήσαντα δεῖ
ἕλκειν ἀπνευστί.

Haud, ita, sed reductis in tergum manibus, vno te haustu oportet ebibere.

Sed ad Alec transeo, liquaminis id etiam genus est, crassius tamen, & quod fæcis instar, in Cophino remansit. Plinius dicit, *vitium esse Gari, imperfectam nec colatam fæcem*, quare vile hoc ac plebeium erat liquamen. Disertè hoc Martialis innuit.

Capparin, & Putri cæpas Alece natantes,
Et pulpam dubio de Petasone voras.

Catius,

Catius, eruditus ille Helluo, apud Horatium eius se inuentorem gloriatur lib. II. Sat. IV.

—— *Ego fæcem primus, & Alec,*
Primus & inueni piper album, cum sale nigro
Incretum.

Nobilitauit tamen & hoc ingeniosus luxus, *M. enim Apicius* (teste Plinio) *ex iecore Mullorum, Alecem excogitare prouocauit.* Ex varijs postea optimisque piscibus, paratum fuit Halec. Plinius libro XXXI. capite VIII. *Sic Alec peruenit ad Ostreas, Echinos, Vrticas, Cammaros, Mullorum iocinera, innumerisque generibus, ad saporem gulæ, cæpit Sal tabescere.* Sed hæc fuêre; nunc illorum loco successere Botarcha, & Cauiaro, Italis ita dicta; illa fiunt ex ouis Mugilũ, vulgus Cephalos vocat, duabus vesiculis expolitis, cruore eiusdem piscis, ac sale permixto, dicuntur autem Botarcha, quasi ᾠὰ τάριχα, i. *oua salita.* His succedit Cauiaro, quod ex Sturionis ouis ad Pontum Euxinum præparatur, quæ stipata simul in massas ingentes coguntur, & cadis inclusa, in Italiam potissimum mittuntur, vbi in honore & pretio sunt, quod prostratam ciborum appetentiam, egregiè reficiant, ac nauseantis stomachi pigritiem mirè excitent.

LVDO-

LVDOVICI NONNI MEDICI DE RE CIBARIA LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Triplex corporis Substantia, triplici alimento recreatur. Potus vtilitas. Aquæ neceßitas. Eius bonitas varijs indicijs exploratur. Fallacißimum quod per solam stateram. Hippocratis infallibile indicium.

TRIA esse quæ corpus nostrum constituunt, vetustissimus auctor est Hippocrates, τὰ ἴσχοντα, ἢ ἐνισχόμενα, ἢ ὁρμῶντα, *Continentia, contenta, & impetum facientia*, siue vt Galenus interpretatur, *Solidæ partes, humores & spiritus*; quæ cum natura sua diuersa sunt, dissimili etiam alimento indigent, vt quidquid illis, per continuum effluxum deperditur, id similis alimenti præsidio restituatur. Spiritus enim aëris beneficio per nares, os & asperam arteriam hausti recreantur; solidæ verò partes ciborum auxilio, qui ficcioris sunt naturæ restaurantur; de quibus superioribus libris abundè me egisse arbitror. quidquid verò humidioris substantiæ deperijt, id potu restituitur, qua

qua de caussa, fames & sitis animantibus indita, vt his veluti stimulis irritata natura, ad sui conseruationem excitaretur: fame quidem ad cibum, ad potionem verò humidi desiderio, hoc est siti; quę enim in nobis humida sunt, natiui caloris continua depopulatione exsiccarentur, nisi potus beneficio reficerentur: quod etiam plantis euenire indies conspicimus, quę nisi humore madescerent, necesse esset, vt omnino marcore deficerent. Itaque potionis præcipua vtilitas, est siccitatis ablatio, & humidæ in nobis pereuntis substantiæ instauratio. Est etiam eius vsus necessarius, ad commodiorem cibi distributionem, nam cum ab ore ad membra nutrienda, alimentum deferri debet, potus auxilio indiget, quo fluxile, & facilè permeabile reddatur, vt commodius in venas transumi, & ad singulas particulas deduci posset. qua de caussa ab Hipp. libro de Alimento, vocatur potus, τροφῆς ὄχημα, *alimenti vehiculum:* solidus enim cibus, humiditate destitutus, hæreret in angustis vasis, nec à partibus quæ alimento indigent, commodè posset attrahi: nisi aquosa humiditas, illi tanquam vehiculum permisceretur; qua de caussa videtur natura, nobis Aquam affatim suppeditasse; humana verò industria, vinum, cereuisiam, mulsam, aliosque potus inuenisse, vt potus varietate, facilius alimentum à natura per venas distribuatur.

A simplicissimo autem potu, siue ab Aqua auspicabimur, quæ communissima omnibus animantibus est, sanis ægrisque iuxta vtilis, & ad vitam maximè necessaria, vt obiter illud Pindari emolliam, qui Ἄριστον μὲν ὕδωρ, *rerum omnium optimam aquam* pronunciauit, quoniam maximè omnium necessaria, vsibusque humanis, vbique commodissimè inseruit; quare seuera antiquitas, his, quos acerbissimè mulctatos volebat, Aqua & Igni interdicebat; neque immerito Tiberius Cæsar, relegato Q. Vibio Sereno, Gyarum aut Donusam, intercessit, *quod vtraque insula, aquarum egens esset, dandos vitæ vsus dictitans, cui vita concederetur*, vt auctor est Tacitus libro IV. Annalium.

quia absquè aquæ beneficio nemo vitã posset producere. vnde Thales Milesius, Ionicæ Philosophiæ auctor, Aquam, omnium rerum principium esse dixit, vt refert Plutarchus libro de Placitis Philosophorum. Seneca etiam lib. III. quæst. Naturalium quæst. XIII. *Aqua ait Thales, valentißimum elementum est, hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia; sed & nos quoque in eadem sententia, aut in vltima sumus.* Multis sæculis, hoc solo potu contenti vixerunt mortales. Lucretius.

Ac sedare sitim fluuij, fontesque vocabant:
Vt nunc, montibus è magnis decursus aquai,
Clarè citat ad se sitientia sæcla ferarum.

In illa scilicet innocenti orbis infantia: postea verò moribus inclinatis, præter vini inuentum, cœperunt homines, etiam Aquæ ebrietatem docere. infinitis penè ingeniis illam adulterantes. itaque cum tanti sit hominibus momenti aqua, eius electionem, & dotes inuestigare erit operæ pretium, in tanta illarum diuersitate. Sunt enim Pluuiæ, Fontanæ, Fluuiales, Puteanæ, Lacustres, atque ex niue vel gelu liquatæ. Harum autem delectus bonitasque, visu, gustu, vel olfactu iudicari debet.

Plinius, paucis verbis, elegantissimè optimæ aquæ dotes explicat, libro XXXI. capite III. *Aquam salubrem, Aëri quàm simillimam esse oportere.* nam vt sincerus aër, nec visui, nec olfactui, neque gustui, vllam manifestam qualitatem refert, ita nec aqua, quæ visu quidem pellucida & limpidissima, gustuque nullum referat saporem; similiter, nec vllum externum odorẽ edat oportet. præter quas conditiones, aliam ab experimento subiecerunt veteres, quæ à ciborum coctura, & præsertim Leguminum petitur. improbæ enim aquæ, indubitatum erit indicium, si in illa difficulter coquantur: optima enim & laudabilis, ocyus illa coquit; probatur etiam vbi ex coctura, aut ex diuturna in phialis mora, nihil fæcis, aut limi habet. Superest alia probandi ratio vulgo vsitatissima, quæ statera tantum per-

perficitur, in qua plus diligentiæ quàm veritatis, (si solo hoc signo metiamur) esse, doctiores omnes iudicant; quod & Plinius fatetur, *Quidam statera iudicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est, vt leuior sit aliqua.* Erasistratus etiam apud Athenæum, decipi eos putat, qui tali vtuntur experimento, atque se expertum in Amphiarai aqua, atque Erethiæ, quarum altera vitiosa, altera verò optima: cum tamen nullum discrimen in pondere deprenderetur. inualuit tamen passim in aulis Principum consuetudo, vt aquæ bonitas, trutinæ libratione à ministris examinetur; sed Galenus arbitratur, si ad alia bonitatis argumenta, illud quoque accesserit, non obesse. Sed infallibile leuitatis indicium, Hippocrates nobis tradidit libro v. Aph. XXI. *Aqua quæ cito calet, & refrigeratur, leuißima est.* nec enim talis leuitas pondere explorari debet, sed si viscera facilè permeat, nec multum temporis in illis moratur: sic etiam grauis vocatur, quæ tardè permeat: cur autem talis sit leuissima, in caussa est alterationis facilitas; nã vt alimenti præcipua penè virtus, est facilè posse alterari, ita & aquæ, siquidem facilè transmutari volumus, quidquid probè concoqui debet, vt auctor est Galenus, in commento citati Aphorismi. Cornelius Celsus, breuiter omnes dotes optimæ aquæ, explicat libro II. capite XVIII. *Nam leuis (aqua) pondere apparet: & ex his quæ pondere pares sunt: eo melior quæque est, quo celerius & calesit & frigescit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur.* Sed generales hæ aquarum dotes sunt; veniendum modo ad singularum differentias, vt de præstantia illarum, iudicare quis possit.

CAPVT II.

Aqua pluuia optima. Plinius refellitur. alia temporaria, alia procellosa, quæ mala. pessima quæ per plumbeos tubos deriuatur.

MAximum autem de præstantia, inter fontanam & pluuialem est certamen; plerique Fontanæ palmam tribuunt; Hippocrates verò libro de Aquis, Aëre & locis, Cælestem prætulit. quam leuissimam, dulcissimam, limpidissimam asserit, quia Sol, leuissimum tenuissimumque, ex terra marique sursum attrahit, quod cum in nubes concreuerit, in aquam denuo mutatur, atque in terram propellitur. Sol enim, deuorare aquas priscis credebatur, Luna verò eas parere. cum itaque tale principium, sortiantur cælestes aquæ, nempe ex tenuissimis, & leuissimis aquarum partibus, quæ in terra & circa terram sunt, ideò etiam euadunt tenuissimæ, leuissimæ, & splendidissimæ omnium aquarum, quæ maxima aquarum laus est. accedit etiam, quod Legumina in illa facillimè coquuntur; quod sordes vestium citissimè illius ope eluuntur, celerius etiam calefieri & refrigerari auctores perhibēt: quod aquæ leuissimæ, & per consequens optimæ est indicium. Plinio tamen displicet hæc opinio, quia grauia etiam, vt lapides in cœlum tolluntur, vnde argumentum quod à leuitate sumitur, nullius apud illum momenti est: addit plurimum sordiū illis inesse. facillimè etiam illas putrescere in confesso est, quare minimum in nauigatione durant.

Sed exigui momenti eius rationes sunt, siquidem rarissimè lapides sursū attolluntur, nec nisi turbinis aut procellæ violētia, ex montibus aut domorum culminibus diuulsi, alibi decidunt; aut vt aliquibus placet, in ipsa aëris regione generantur, nun-

nunquã enim fiet,vt placida cœli constitutione, vel minimus lapillus Solis vi attractus, in cœlum subeat, necdum saxa ingentia,vt nec aqua quidem,nisi prius in vapores conuertatur.

Quod si verò sordes aliquæ ex vaporum miscella illi permixtæ fuerint, colatura aut coctura facilè tolluntur.

Quod verò dicat celerrimè putrescere,id non vitio,sed aquę bonitati adscribendum; monuit enim Oribasius,Collect.lib.v. cap.I.non esse pessimam aquam,quæ celerrimè putrescit,potest enim eadem esse præstantissima,cum aliæ omnes optimarum aquarum notę, quas ante diximus ei adsint. nam facilitas mutationis,potius aquæ bonitati,quàm vitio attribuenda est, idem etiam asserit Paulus Ægineta lib.I.cap. L. Vitruuius etiã lib.VIII.c.II.pluuialem cęteris præfert,Hippocratẽ sequutus, his verbis. *Itaque quæ ex imbribus colligitur aqua, salubriores habet virtutes,eò quòd elicitur ex omnibus fontibus leuissimis,subtilibusque tenuitatibus,deinde per aëris exercitationem percolata,tempestatibus liquescendo,peruenit ad terram.* Sed hanc aquam corporis salubritati esse accommodatissimam, vel hoc argumento Columella probat,lib.I. ca.v.quod Paludis aquas corrigat. *Hic idem tamen humor,* (paludis) *quamuis nocentis naturæ,temporibus tamen hyemis edomitus, imbribus mitescit; ex qua cœlestis aqua maximè salubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris eluit perniciem, sed hanc potui probatissimam diximus.*

Sed non omnis aqua pluuia,æquè est laudanda; Hipp. enim bifariam illam diuidit,VI.epidemiorum Com.IV.Tex.XVIII. in Temporariam siue ὡραίαν,& nimbosam seu procellosam.Temporaria autem est illa,quę media æstate decidit,quod tempus, cum Græci potissimum ὥραν vocant,in cuius medio Canicula oritur,& fructus fugaces pleriq; ad maturationẽ perueniunt. talis autem aqua laudatur,quod calore Solis magis sit elaborata, vnde & tenuior leuiorque euadit. cui affinis illa est, quæ cum tonitru decidit;fiunt enim tonitrua,aut ob ignẽ,vel exhalationem interceptam in nube, quæ erumpens circumplexã

nubem dilacerat, aut inter se allisis attritisque nubibus; in vtraque autem actione, calor est eximius, qui aquam attenuat. Procellosa autem, vel nimbosa aqua, ab humiditatis copia, & vaporum abundantia generatur, nec vllus calor est, qui illam extenuat. Itaque ὡραῖαν, siue temporariam laudat Hipp. nimbosam tanquam grauiorem damnat. Rufus tamen Ephesius Vir magnus, apud Oribasium lib. Collect. v. cap. IV. Vernas & Hybernas aquas cæteris præfert, quod æstate & Autumno, terra sicciores vapores subministrat; aër etiam sordium plenus est, hinc fit vt tales aquæ sicciores, & magis nitrosæ, atque ad abstersionem commodissimæ sint: sed leues hæ noxæ, vnico beneficio compensantur, quod scilicet æstiuæ aquæ, & præsertim Temporariæ, caloris beneficio magis sint concoctæ, & ab omnibus inquinamentis expurgatæ, leuiores & tenuiores cæteris sint, quamobrem aliis omnibus præferendę. qua de caussa Galenus omnibus medicamentis, quæ aquam exposcunt, pluuialem misceri iubet, cuius defectum fontana supplet.

Malè tamen apud plerosque, cœlestes aquas audire nō ignoro, quod facilè vitiantur, quod ingratum odorem referant: Sed hęc non tam aquæ vitia, quàm Cisternarum sunt; quotus enim quisque est, qui salubritati studet, ac curam impendit, vt Cisternæ aptè construantur, vt bene incrustentur, vt à limo quem à tegulis contrahant, depurgentur: immò quod pessimum est, passim per plumbeos tubos in Cisternam deriuātur; noxam enim non exiguam inde contrahunt. monet enim Galenus lib. VII. de compositione Medicamentorum secundum locos, Aquam, quæ per plumbeos canales deducitur, esse fugiendam, quod sordes plumbi illi permisceantur, quare qui eiusmodi bibunt, Dysentericos euadere. quod etiam obseruauit Aëtius, Tetr. III. Sermone I. cap. XLV. Sic Palladius lib. IX. Titulo II. *Vltima ratio est, Plumbeis fistulis ducere, quæ aquas noxias reddunt, nam cerussa plumbo creatur attrito, quæ corporibus nocet humanis*. quare satius esset, vt Columella monet, si fictilibus tubis

in

in cisternas ducerentur. Sed monet ex ſententia Rufi, Aëtius, non cuiuis cæleſtem aquam eſſe commodam, nocet enim febribus, & qui bilem ſupernè & infernè reddunt, & Regio morbo laborantibus, facilè enim bileſcit.

CAPVT III.

Fontes qui optimi, hyeme incaleſcere, & frigere æſtate, bonitatis indicium. Puteanæ aquæ inter ſaluberrimas. Nili aqua optima. Tyberina ab aliquibus laudatur. Ægypti paludes ſolæ laudabiles.

PRoxima laus fontanis aquis debetur, quarum & crebrior vſus, ob fontium vbique erumpentium copiam: ſollicita natura, ne quid ad vitę neceſſarios vſus deſit vnquam, ſuppeditantibus iugi ſcaturigine limpidiſſimis aquis, quæ obuios ad bibendum penè inuitant, adeò vt nemo pæne, cæleſtes licet bonitate ſuperiores velit attingere. Sed circa fontes etiam obſeruanda quædam.

Scaturigo illorum in primis ſpectanda, num Orientem vel Septentrionem reſpiciat, multum enim id intereſſe auctores prodiderunt. Vitruuius Pollio, cenſet meliora eſſe fontium capita, quæ ad Septentrionem, Aquilonemve ſpectant; quia etiam maxima flumina, toto terrarum orbe à Septentrione videntur erumpere. Medicorum tamen Schola, inutiles iudicat fontes, qui Septentrionem verſus erumpunt, auerſumque ſolem habent; nam & in corpus permeant tardius, & diutius in Hypochondriis morantur. Hipp. lib. de Aquis, aëre, & locis, præfert fontes qui ad ortum ſolis erumpunt, præſertim æſtiuum, peſſimos qui ad Meridiem; quibus longè præfert, qui ad ſeptentrionem fluunt. quicumque etiam fontes per terram puram percolantur, caleſiunt etiam ac refrigerantur facilius,

& qui

& qui ad orientem ſolem erumpunt, omnes bonitatis notas habebunt. Si verò per planiciem, fontis aquæ decurrant, minus erunt laudandæ, vt è contra illæ quæ ex collibus montibuſque fluunt, pręſtantiores cenſendæ, quoniam Sol, leuiſsimum tenuiſsimumque in planis, abſorbet ac deuorat, quod verò craſsius, relinquit: quod non ita in collibus contingit, non enim ita ſolis radiis ſunt expoſiti, ac plana loca.

Addit etiam Hipp. libro de Aquis Aëre & locis, multum ad bonitatem conducere, ſi hyeme incaleſcere, ſicuti plerumque fontes quoſdam tunc fumare conſpicimus: refrigeſcere æſtiuis menſibus percipiantur; quia illud è profundiſsimis venis profluere indicium eſt, quoniam calor hyberno tempore, per Antiperiſtaſim, fugiens ambientis frigus, penitioribus terræ viſceribus ſe inſinuat; æſtate verò ab amico & propinquo calore euocatus, eadem deſerit, tuncque frigidior aqua ſentitur, vt hyeme calidior. Sed cur aquas optimas eas prædicat Hipp. quæ è profundiſsimis fontibus oriuntur? an quod tales à cœli iniuriis minus læduntur, propter profunditatem locorũ è quibus proueniunt, qua de cauſſa puriores longè euadũt?

Frequentiſsimus paſsim Puteanę aquę vſus eſt; putei enim vbique terrarũ excauantur, ad vſus humanæ vitę, præſertim apud quos fontiũ perennium copia deeſt. nõ eſt tamen earum bonitas, vllo modo cũ fontanis comparanda, ſunt enim ſubterraneæ, nec Solis radiis peruiæ; quare vt deſides, ſtagnanteſq́; à multis damnantur. Plinius tamen lib. XXXI. ca. III. videtur inter ſaluberrimas referre. *Ex quonam ergo genere maximè probabilis contingit? puteis nimirum, vt in oppidis conſtare video. Sed his, quibus exercitationis ratio, crebro hauſtu contingit, & illa tenuitas colante terra.* Certum enim eſt, deſidem illam aquę naturam, crebro hauſtu tolli, quo veluti percuſſu, immiſsis ad hauriendum ſitulis, aqua verberatione ea frequẽtiore exercetur & attenuatur. Altitudinem etiam putei, non exiguum quoque ad ſalubritatem & bonitatem facere prudentiores aſſerunt; valde enim pro-

profundi iure damnantur, nam cum ipsa profunditate, fieri aërem grauiorem certum est, quod nunquam à Sole, aut vicino aëre mutetur: alij autem profundiores puteos laudant, quoniam purior in profundo aqua, terreæ verò substantiæ plus participat, quò superficiei propior. hyeme etiam calidior, æstate frigidior erit, vt bonitatis ratio constet, vt de fontibus diximus. Opacitas verò, licet frigus aquarum intendat, nihilominus salubritati plurimum detrahit; ideoque Cœlo patere debent. quare prauo inuento, damnosoque more, sub tectis puteos concludunt, & per tubos eliciunt, haustus facilioris gratia, sed cum sanitatis dispendio; Sol enim luce sua illustrat, & attenuat aquas, & apertus aër salubrem quasi succum infundit.

Fluuiorum aquas, clarissimi quidam Scriptorum, potu salutares existimant; quod scilicet sponte hominibus sese offerant, immenso naturæ beneficio: quia cum flumina, magna terrarum spatia percurrant, multo cursu, & sinuosis anfractibus, haud mediocriter aquæ attenuantur, & illarum quasi cruditas decoquitur. Sed non æqualis omnium bonitas; loca enim per quæ feruntur, multum illis addũt aut detrahũt. quæ enim cœnoso gurgite decurrunt, aut quibus deterior aqua admiscetur, peioris naturæ euadunt. quare & paucis admodum fluuijs, in potu laudem concessam video; Nilus apud veteres palmam obtinuit. Aëtius & Oribasius, potu iucundas eius aquas, & modico tempore in aluo morari asserunt, sitim extinguere, robustum & bene coloratum corpus efficere. optimam autem fuisse Nili aquam, Ælius Spartianus in Pescennio Nigro ostendit, *Hic erga milites tanta fuit censura, vt quum apud Ægyptum, ab eo limitanei milites vinum peterent; responderit, Nilum habetis & vinum quæritis? siquidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolæ vinum non quærant*. Tanti autem fecere Ægyptij Nili aquam, vt Ptolemæus Philadelphus, cum filiam Berenicẽ, Antiocho Syriæ Regi collocasset, magna cura Nili aquam

assiduo ad illam mitteret, vt eam solã filia biberet, vt auctor est Athenæus. apud Persas in pretio erat Choaspis aqua, adeo vt Reges solum ex illo fluuio biberent, vt refert Herodotus. nostro æuo Tyberina aqua, magnis laudibus Romæ extollitur, præsertim si à limo bene fuerit depurgata. proceres enim solent, in cellis vinarijs, grãdia vasa fictilia habere, quibus aquam Tyberinam reponunt, non in dies paucos, sed in menses, annosque etiam, sine vitio seruandam, quæ dolijs illis, canthariśque reposita, egregiè defæcatur, potuique elegantiorum seruatur: mirum tamen, tantum bonum Antiquitatem ignorasse, aut posteris non tradidisse.

Andreas Bacidus Elpidianus libr. I. de Thermis cap. VIII. magnopere illas extollit, vt saluberrimas, quibus auctoritatem magnam conciliauit, Paulus III. Pont. Max. adeò vt Tyberinæ aquæ quocumque iret, illum assequerentur; Clementem etiã VII. Pont. Max. pluresque Romanorum proceres, refert magni semper illas fecisse. Sed mirum est, tot sæculis illarum dotes latuisse; Romani enim, qui populi saluti, vrbisque salubritati prospectum volebant, non tantis impensis in vrbem fontium copiam perduxissent. Plinius certè non siluisset Tyberinæ aquæ laudes, cùm aliorum fontium dotes enumerat. Galenus etiam lib. VI. epid. comm. IV. textu X. cùm laudasset Romanam vrbem, à copia, elegantia, & salubritate fontium, nusquam Tyberinæ aquæ meminit, cùm tamen maximè esset obuia. Auctor est Suetonius, in vita Augusti Cæsaris cap. XLII. *Querentem P. R. de inopia & caritate vini, seuerissima voce coercuisse, satis prouisum à genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent.* Quod si Tyberinæ aquæ laudabiles fuissent; illarum etiam mentionem fecisset Augustus.

Obseruant etiam doctiores, Aquam ex medio flumine haustam, præstantiorem illa, quæ iuxta ripas hauritur: ratio est, quia quæ pleno flumine fertur, ob motum & solis splẽdorem, tenuior, dulcior & defæcatior est, quæ verò iuxta ripas petitur,

tur, cœnosa, grauis ac proinde vitiosa est.

Lacustres verò aquæ, quia pigræ, desidesque sunt, ab omnibus scriptoribus iure damnantur, quare cibis potibusque abdicatæ. Cum enim omni motu careant, limoque abundent, necessariò corrumpuntur, præsertim verno tempore, aperiente se tellure, & vapores mittente, occursu aquæ non exhalabiles; qui conclusi infectis ita aquis, ac æstatis mox superueniente calore, maiorem adhuc putrefactionem contrahunt: vnde noxij sæpè morbi, aliquando etiam pestilentes. non inficiandum tamen, esse lacus quosdam potui aptos, qui scilicet, ex fontium perennium scatebris, aut inuectis fluuijs, originem trahunt, sed quia tales pauci sunt, de illis supersedebo dicere.

Monet Oribasius lib. v. Collectaneorum cap. III. ex sententia Rufi, Lacustres omnes aquas malas esse, quod æstate omnes calidæ sint, hyeme verò, frigidæ, quod maximum aquarum vitium esse statuit; solas tamen Ægypti paludes salubres esse censet, quia hyeme, aqua non putrescit, siquidem non supercalefit. Autumno verò Nilus paludes explens, veterem aquam expellit, & aliam nouam inuehit.

Cornelius Celsus libro II. cap. XVIII. more suo, succinctè aquarum dotes, & bonitatis gradus enumerat: *Aqua leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex niue & glacie: grauior his ex lacu, grauissima ex palude.* Hipp. lib. de Aquis aëre & locis; aquas ex niue & glacie omnes malas asserit, quia tenuissimum & splendidissimum est excretum, quod autem grauissimum & turbidissimum relictum. Plinius Hipp. mentem eleganter expressit lib. XXXI. cap. III. *Niuem quidem, glaciemque, subtilissimum elementi eius videri miror, apposito grandinum argumento, è quibus pestilentissimum potum esse conuenit. Nec verò pauci inter ipsos, è contrario, ex gelu, ac niuibus, insaluberrimos potus prædicant, quoniam exuctum sit inde quod tenuissimum fuerit.*

CAPVT IV.

Aqua quá vtimur non eſt ſimplex, aut elementaris, quare etiam nutrit; Veterinarij & Hydropotæ, optimè aquarum differentias norunt. Melancholicus ſola aqua vixit.

NOn inutile fuerit hoc loco quærere, num Aqua nutrimentum aliquòd corpori præbet; vel tantum ciborum diſtributioni inſeruiat. Multi nec Proletarij Scriptores, nullo modo corpus alere aſſerunt, ſed alimenti tantum vehiculum eſſe, quorum præcipuas rationes lubet hîc adducere.

I. Nullum ſimplex elementum, poteſt nutrire corpus mixtum, ſed aqua eſt ſimplex elementum, ergo non poterit corpus nutrire; hoc argumento, vſus eſt Ariſtoteles libro de ſenſu & ſenſibili, aduerſus Pythagoræos.

II. Auctoritas eſt Oribaſij, lib. v. Collect. c. I. *Porrò aquam non alere, ſed vehiculum tantummodo alimenti eſſe, & Hippocrates, & cæteri præſtantiſſimi Medici dixerunt, ob eamq́ caußam, non poteſt vitalem facultatem roborare.*

III. Galenus varijs in locis idem aſſerit, commento in lib. IV. Aph. XIII. *Aqua verò neque epota, neque extrinſecus occurrens, apta eſt ſolidas animalis partes humectare.* III. de victus ratione in acutis Text. XVII. *At quæ nullo modo nutriunt, ſicuti Aqua, ea virtutem neque ſummè imbecillitare, neque ſummè roborare quiſpiam dixerit.*

Hæc ſunt firmiſſima illorum argumenta, qui aquam nullum alimentum corpori ſuppeditare dixerunt. Sed contraria tamen opinio, magis mihi arridet, atque Aquam corpus nutrire, rationibus ſtabilire aggredior.

Ariſtoteles I. Sect. Probl. XIII. quærit, cur mutationem aquarum grauem, aëris verò non grauem eſſe affirmant; quia inquit,

inquit,aqua corporibus alimento eſt, aër autem nullum præbet alimentum. Sed reſpondet Franciſcus Valeſius lib.VI.controuerſiarum cap.VI. Et alij, Philoſophum loqui hoc loco,de aquis medicatis,quales ſunt aqua mellis,feniculi,& aniſi;quia addit aquarum eſſe multas ſpecies,ſimplicis verò aquæ vnica eſt ſpecies; ſed falluntur, nam loquitur de diuerſis generibus aquarum, quibus neceſſariò vtuntur peregrinantes, nam aliquando bibunt hauſtam ex puteo,aliquando ex fluuio,aut fonte, aut lacu, quæ omnes facultate differunt, & variè corpus afficiunt,inquit enim,*Aquarum item genera multa,& varia per ſe ſunt,ſed aëris minimè.*Itaque hæc etiam cauſſa eſſe poteſt,quippe cum peregrè etiam profectis, in cœlo quidem prope eodem,in aquis autem varijs verſari eueniat. præterea,nemo dicet aquam elixam, ratione Aniſi,aut fœniculi alere potius, quàm puram,quoniam Aniſum & fœniculum,potius ſunt Medicamenta quàm Alimenta.

Reſpondent alij, Ariſtotelem in Problematibus ex vulgi opinione potius,quàm ſua loquutum;ſed eiuſdem illum fuiſſe ſententiæ alibi,vbi vulgares opiniones non intercurrunt,nunc oſtendam lib. IV.de generatione Animalium cap.II.vbi inquirit cauſſas,cur aliquando Mares vel feminæ generantur. *Quin & inter terras, & aquas intereſt, eiſdem de cauſis; qualitatem enim quandam potiſſimum recipit,& alimentum, & diſpoſitio corporis,ex temperamento aëris continentis, & cibi ingredientis: ſed præcipuè ex alimonia aquæ, huius enim vſus plurimus eſt, atque in omnibus aqua alimento eſt, etiam ſiccis. Quamobrem, aquæ crudæ & frigidæ, aut ſterilitatem, aut partum fæmineum faciunt.* qua ſententiā, clariſſimè aſſerit Aquam corpori alimentum præbere.Sed videamus,quid Medicinæ parens Hipp. ſenſerit. is libro I. de diæta,docens quo pacto corpora noſtra conſtituuntur,ex Igne & Aqua,& quid vtrumque præſtare poſſit,ſubiungit,

Ignem omnia mouere, Aquam verò omnia nutrire.

Quo nihil clarius dici poteſt; idem etiam lib.III.de Ratione

victus in acutis Text.XIX.*Sed & Mulsa, quam aqua multo potentior.*ergo habet vim aliquam nutriendi quam nisi haberet,non diceret,Mulsam esse potentiorem Aqua, sed quia Aqua vim aliquam habet nutriendi, ideo Mulsam dicit potentiorem, quod magis nutriat.

Tertio si Aër potest spiritus reficere, & substantiam illorum restaurare,qui Aqua simplicior,& tenuior est, vt auctor est Hipp.lib.de Alimento,& vniuersa Medicorum Schola,cur non & Aqua poterit nutrire, cum aëre crassior sit, & magis corpulenta. Sed respondebunt, ex aëre nullum firmum alimentum conciliari,nec membrum vllum nutriri, sed spiritus tantùm restitui,qui aëris instar sunt: neque ego assero,solidas partes ex aqua nutrimentum capere,sed humidiores & carnosas tantum.neque omnino vana est Veterinariorum opinio,qui Tiberina aqua,equos & mulos plurimum impinguari dicunt. Hydropotæ etiam & Abstemij, norunt magnum inter aquas discrimen, hac enim obesos, illa verò macilentos se reddi sentiunt. naturæ etiam periti,asserunt plurima Aquatilia esse quæ sola aqua aluntur. Athenæus etiam lib.II. Dipnosophistarum,probat Aquam alendi facultatem habere,quod ea sola, nutriantur animalia quædam,veluti cicadæ.

Refert Rondeletius lib. I. de piscibus cap. XII. in Gallia Narbonensi, à plerisque curiosis, pisces in vasis vitreis, aqua plenis, multum temporis nutriri: & quò purior est aqua, eò diutius vitam producere; celeriusq́; interire, si quid solidioris alimenti in vas coniectum fuerit.Testatur etiam domi suæ,in pellucido tali viuario,piscem educatum,toto triennio vixisse.

Accedit etiam Hipp. dixisse lib.III. de ratione victu,in acutis Text.XL. *Aquam bilescere*,seu in bilem mutari: si hoc verum est, cur non poterit in sanguinem bilosum conuerti, qui minus distat à natura aquæ,quam bilis: minus enim illa,sanguis est siccus,minoremque,caliditatem habet,quàm flaua bilis excrementitia.

Quod

Quod si etiam experimentis agendum est, refert Albertus Magnus, non spernendus auctor lib. VII. de Animalibus cap. III. vidisse se Melancholicum quemdam, qui per plures septimanas, sola aqua vitam sustentabat. Cælius Rhodiginus Antiquarum lectionum lib. XIII. cap. XXIV. scribit visam fuisse in Hispania puellam, quæ nihil comederet, ac haustu tantum aquæ vitam foueret, agebatque tunc annum vigesimum secundum.

Huic opinioni subscribunt inter Neotericos, Viri citra controuersiam doctissimi. Andreas Baccius, de naturali Vinorum Historia lib. III. cap. IV. Ludouicus Mercatus lib. II. de sanitate & eius conseruatione: Horatius Augenius, quondam Preceptor meus, Epistolarum Medicin. Tomo II. lib. II. Sed vt veritas magis elucescat, operæ pretium erit aduersæ partis argumenta refellere.

Ad primum itaque, concedo nullum simplex elementum nutrire posse; sed nego, aquam quâ vtimur simplicem esse, multæ enim aëris, & terræ permixtæ sunt partes, immò & ignis illi portio inest, quæ aquas fœcundas reddit, vt obseruauit Doctissimus Franciscus Vallesius, libro de Sacra Philosophia, cap. I. vnde fit, vt cum aqua non sit elementum simplex, nutriendi etiam facultate non carere.

Ad secundum, verum est quod Oribasius scribit ex Hipp. opinione, potum esse τροφῆς ὄχημα, *cibi vehiculum*, vt supra diximus, sed ideo non negauit, facultate alendi præditam esse. libro enim de Alimento, potum passim, nomine humidi alimēti indigetat, vnde & II. Aphoris. XI. *Facilius est impleri potu, quàm cibo*, quod superuacaneum fuisset dicere, si potus tantum cibi vehiculum esset, neque vllam aliam facultatem corpori communicaret.

Sed quid ad Galeni clarissimas auctoritates, quę aquam nullo modo, solidas nostri corporis partes humectare dicunt? admitto lubens, sed non ideo statuendum, nullas alias partes humectare

mectare siue nutrire, quia solidas non nutrit. non secus ac si quis diceret, Aërem non nutrire spiritus, quia non nutrit solidas, vel carnosas partes, quod absurdum esset, nam vt bene monuit Hipp. lib. de Alimento. *Quicumque indigent citißima adiectione, ijs humidum remedium ad recuperandas vires optimum: vbi autem adhuc celeriori, per odoratum: quicumque autem tardiori appositione indigent, siccum alimentum.*

Triplex enim alimentum, triplici substantiæ deperditæ respondet, Spirituosæ, humidæ & solidæ. Potus itaque non restaurat quidem solidas partes, sed humores deperditos, & aliqua ex parte carnosum genus; quod etiam Galenus non negauit lib. I I. de simpl. Med. facult. cap. V I I I. vbi dicit, *Aquam, vasorum corpora & carnosum genus humidius reddere*, idem repetit, v. simpl. Med. facult. cap. I V. nec sine magna ratione à Galeno dictum, *Carnosum genus humectari*, non solidum, quia carnosum genus, mediam naturam habet, inter spirituosum, & verè solidum genus.

CAPVT V.

Varij modi refrigerandi potum; damnatur ille qui fit in profundis puteis. mos Alexandrinorum. Niue refrigeratur optimè. Decocta Neronis. quibus obest, vel prodest frigidæ potus.

SItim vocat Aristoteles, I I. de anima Text. XXVI I. appetitum frigidi & humidi; quæ interdum accidere solet ab humoris inopia, aut ex caloris abundantia, quæ si ambæ caussæ concurrant, vehemens excitatur sitis: ideoque naturas calidas, seu biliosas magis sitire in confesso est. hinc prȩter humiditatem potus; etiam frigus, animalia omnia appetunt, vt vtraque qualitate sitis caussis facilius resistatur: accedit quod frigida potio, ob corrugationem oris vẽtriculi, appetitum magis

ad ci-

ad cibum excitat, robuſtioremq́ue efficiat calorem innatum, actioneſque omnes roborat, & principalia viſcera temperat, ſitimq́ue citius extinguit. qua de cauſſa, cum frigidi potus beneficium, homines intelligerent; potus refrigerandi varias artes inuenerunt, quas mox luxus immane auxit. Antiquiſſimis enim temporibus, moris fuit potum refrigerare, vt ſtomacho gratiorem redderent, quare aliqui in puteis Aquam, vel Vinum ſuſpendebant, vt oſtendunt Alexis, & Stractis Comici, apud Athenæum. Sed modus hic à plurimis damnatur, propter craſſam & nebuloſam humiditatem, quam putei exſpirant, tum quod minus, gratæ palato redduntur. Alexandrini verò ſolebant, teſte Galeno VI. Epid. Commento IV. occidente Sole, calefactam aquam, teſtaceis vaſis & Hydriis imponere, eamque feneſtris ad ventos exponere, vt tota nocte refrigeraretur: deinde ante Solis exortum, humi depoſita vaſa, frigida conſpergebant, atque interdum folia vitis, Lactucæ, ac ſimilium circumponebant; vt frigus aquæ, noctu acquiſitum, interdiu conſeruaretur. Sed vbi niuis, vel glaciei vſus inuentus, cæteri refrigerandi modi euiluerunt; maxima enim hæc frigoris iucunditas, citra nocumentum eſt, modo ratio adſit: vnde prudenter à Martiale dictum.

Non potare niuem, ſed aquam potare rigentem
De niue, commenta eſt ingenioſa ſitis.

Nix enim & glacies, vt etiam aquæ ex illis ſtillatæ, pectori, dentibus, viſceribuſque ſummopere aduerſantur. quare videant audaculi, qui temeritate ſua ſibi placent, dum niuem, glaciemq́ue vino admiſcent, in quæ diſcrimina ſe coniiciant: ſatius enim eſſet, aquam ita refrigeratam bibere, citra noxam, quàm ſtultitiæ ſuę pœnas luere. tangit illos Seneca IV. Naturalium quæſtionum capite vltimo. *Videbis quoſdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes & ægros: non ſorbere ſolum niuem, ſed etiam eſſe, & fruſta eius, in ſcyphos ſuos deiicere, ne inter ipſam bibendi moram tepeſcant. Sitim iſtam eſſe putas? febris eſt,*

Kkk *& qui-*

& quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutem effuso calore, deprehenditur.

Luxus certè hoc inuentum, vnde Plinius lib. XIX. cap. IV. *Aquæ quoque separantur, & ipsa naturæ elementa, vi pecuniæ discreta sunt; hi niues, illi glaciem potant, pœnasq́ montium, in voluptatem vertunt; seruatur algor æstibus, excogitaturq́ vt alienis mensibus nix algeat.*

Andreas Baccius, Vir Doctissimus lib. IV. de naturali vinorum Historia, credit legendum, *Venasque montium, in voluptatem vertunt*, sed parum ἀκριβῶς. quid enim est venas montium in voluptatem vertere. Plinius enim elegantissimè, Niuem & glaciem, *montium pœnas* vocat. Optimus autem refrigerandi modus, à Nerone, mortalium pessimo, fuit inuentus: decoquēdo aquam, mox vitro demissam in niues, refrigerare. Plin. lib. XXXI. cap. III. *Neronis Principis inuentum fuit, decoquere aquam, vitroque demissam in niues, refrigerare: ita voluptas frigoris contingit, sine vitiis niuis.* vnde Decocta passim vocata, de cuius laudibus magnificè Poëtæ. Iuuenalis Satyra V.

Si stomachus Domini feruet vinoq́ ciboq́,
Frigidior Geticis petitur Decocta pruinis.

Martialis lib. XIV. Lemmate. CXVI.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis,
Quo tibi Decoctæ nobile frigus aquæ.

Nostro æuo, etiam inuentus est modus refrigerandi aquam Salnitro, quod aqua dissolutum, egregiè illam refrigerat, sed necesse est lagenam, qua vinum vel aquam continetur, continuo agitare, quo potus frigidior reddatur, non secus ac si niui vel glaciei esset imposita. Sed quia frigidus potus non cuiuis conuenit, immò plurimis summopere nocet, operæ pretium me facturum reor, si noxas eius vtilitatesq́; paucis expediam.

Auctor est Hipp. frigidũ esse inimicum ossibus, neruis, dentibus, cerebro, spinali Medullæ, tusses mouere, sanguinis destillationes, tetanos, liuores & conuulsiones inducere, & pleraque

que alia vitia quæ lib. v. Aph. recenſet. quotidiana verò experientia docet, frigido potu fauces, pectus & pulmones vitiari, ſtomachum ſubuerti, acerbiſſimoſque colicos dolores induci, aliaque nobiliora viſcera lædi; hepar enim in aliquibus adeò debilitatum, vt morbi maximè diuturni hinc orti; quos plerumque mors ſubſequuta fuerit; aliquibus perpetua vocis raucedo hinc contracta; quæ omnia dicta velim, de intempeſtiuo, nimioq; frigidæ vſu, præſertim ſi niue, glacieque refrigeratus fuit; tum etiam in illis maximè locum habent, quibus pars aliqua debilior; vel qui ſunt temperamenti frigidioris, vel vitam agunt ſedentariam & otioſam,

Sed ad multa tamen alia vtiliſſimus eſt frigidæ vſus, vt ex Galeno ſcire licet, lib. de cibis boni vel mali ſucci cap. vltimo. *Sed hæc illis præcepta traduntur, qui in eo vitæ genere verſantur, qui aßiduis occupationibus detinentur: vt qui regendis populis, & adminiſtrandæ Reipublicæ præſunt, horumque præcipuè ſatellites & miniſtri; itidem quoque ſe habent, quos bellicus labor exercet, tum quos viarum longitudo fatigat: qui verò huiuſmodi negociis vacui, ſolutique ſunt, ſi exercitatione vti ſolent, quam rarißimè frigido potu indigent. qui minimè exercentur, ſumma æſtate cum vehementi calore vrgentur, fontis aquam bibant, niuiſque vſum vitent. Hic enim, quamuis protinus nullam iuuenum corporibus ſenſibilem læſionem inferat, ſenſim tamen, occultè creſcente vitio, cum iam ætas progreſſu temporis inclinauerit: articulos neruoſque, & viſcera iis morbis vexat, qui vel difficulter admodum, vel omnino tolli non poſſunt, neque id quidem temerè; namque ea pars corporis quæ natura imbecillißima eſt, à lædente quolibet patitur.*

Quibus verbis, apertè conſtat qualia debeant eſſe corpora, quæ frigidæ potum impunè perferre poſſunt. nam prima & vltima ætas, ab illius vſu prorſus excluduntur, ob virium & caloris natiui imbecillitatem, ſed qui pueritiæ terminos egreſſi, nec ſexageſimum adhuc annum attigerunt, liberè frigidæ potu vti poſſunt: tutiuſque qui inter illos calidiori ſunt temperamento,

mento, aut laboribus assiduis exerciti, quod si verò assueti fuerint frigidam bibere, & ventriculi illis sit firmum robur, vel supra sexagesimum annum, eius vsum non formident: tales enim, etsi ætate senes, viscerum tamen robore, cum iunioribus certare possunt.

Obseruarunt etiam Viri Doctissimi, postquam in Sicilia, & calidissimis Hispaniæ regionibus, incolæ niuis beneficio potum refrigerarunt, multo minus malignis febribus tentatos, paucioresque illarum violentia extingui, quam olim solebant; quod præsens illa frigiditas, viscerum feruorem temperet, & putredinem humorum cohibeat. Febribus etiam ardentibus, maximum est post Phlebotomiam, remedium, *Frigidæ potus*, modo ægri stomachus perferre possit, & concoctionis signa adsint; internum enim ardorem extinguit, & sudorem vel deiectiones mouet; de quo fusè Galenus, libris Methodi medendi.

CAPVT VI.

Thermopolia. Calida aqua publicè vendebatur. Calida in vsu erat cum vino, & sine vino. apud Iaponios Calida bibitur. tepida damnatur. Quibus calida prodest.

NVnc de calido potu dicendum, eo quidem accuratius, quod Scriptorum plurimi, negant aliquando in vsu veteribus fuisse. Auctor est Plinius libro XXVIII. capite IV. *Nullum animal, præter hominem, calidos sequi potus, ideoque non naturales esse.* Probabile est, valetudinis causa, id genus potus, ab aliquibus excogitatum fuisse: quos frigidior nempe offenderat, aut quibus imbecillis erat stomachus; mox in luxum & prauos vsus vertit ætas, ita vt deliciarum magna pars, in calido potu esset, adeò vt apud Græcos & Romanos, Cauponæ essent institutæ, vbi Calida publicè veniret, vnde θερμοπώλια dicta, quo-

quorum frequens apud Plautum mentio. in Curculione.

Quos semper videas libentes esse in Thermopolio.

Sic etiam in Trinummo.

——— *Satin in Thermopolio,*

Cordalium es oblitus, postquam Thermopotasti gutturem.

Et alibi frequentius, itaque Thermopolium, Caupona erat in qua calida aqua veniret. licet Turnebus, Lambinus pluresque Viri Docti, asserant ita dictum, quod potiones dulces inibi venderentur, sed citra veterum scriptorum auctoritatem. Ex Dione Cassio manifestè patet, calidam aquam in Cauponis assuetam vendi: refert enim Caium Caligulam, Cauponem quendam interfecisse, quod per dies funeris Drusillæ sororis, θερμὸν ὕδωρ, *calidam aquam* vendidisset. Claudius etiam Cæsar, Cauponas subuertit, quæ carnes coctas & aquam calidam vendebant.

Sed dubitari video à viris magnis, an veteribus in more fuit calidam bibere, negant hoc Hieronymus Mercurialis libro I. Variarum lectionum capite VIII. Andreas Baccius libro IV. de Vinorum Historia. Horatius Augenius Tom. III. Epist. Med. libro X. Epist. vltima; Iosephus Custalio, aliique non spernendi auctores, argumentis hisce innixi.

Primum est, quod Plinius dixerit, nullum animal præter hominem, sequi calidum potum, sed contra naturam esse.

Secundum, quod talis potius vomitum concitaret, quàm voluptatem, aut commodum aliquod adferret. Cum verò Scriptorum illis loca obiiciuntur, quibus manifesto Calidæ vsus probatur; respondent, hoc tantum illa de caussa factum, vt vina generosiora, & vetustate confecta, ac insolatione vel fumo crassefacta; quæ veteribus in deliciis erant, aqua calida dissoluerentur. Alij respondent, Calidam aquam illam fuisse, quæ nulla arte refrigerata esset, sed conuiuis qualis suapte natura esset, porrigeretur. Sed nullius momenti illorum rationes esse facile docebo: à Poëtis incipiam, qui

vulgatissimum sui æui morem non ignorarunt. Iuuenalis

Quando vocatus adest Calidæ, Gelidæq; minister.

Martialis etiam disertissimè

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Quibus versibus facilè conuincuntur, qui Calidam volunt aquam dici, illam quæ arte non sit refrigerata. dicit enim intempestiuè posci calidam, cum necdum frigida venerit, nec ignis accensus, vt calefiat.

Seneca de Ira, lib. II. cap. XXV. *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus, aut mensa neglìgentius posita, ad ista concitari, insania est.* Videsne, vt tepidam aquam aspernarentur, calidam verò expeterent. Luculentum exemplũ est apud Plinium lib. VII. cap. LIV. de M. *Ofilio Hilaro. Qui cum populo admodum placuisset, natali die suo, conuiuiumq; haberet edita cæna, calidam potionem in pultario poposcit, simulq; personam eius diei acceptam intuens, coronam è capite suo in eam transtulit, tali habitu rigens, nullo sentiente, donec accumbentium proximus, tepescere potionem admoneret.* Sed Corneli Taciti locus Annalium XIII. omnem dubitandi ansam videtur nobis eripere. *illic epulante Britannico, quia cibos potusq; eius, dilectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut ne morte vtrisque proderetur scelus, talis dolus repertus est; innoxia adhuc, & percalida, & libata potio traditur Britannico, dein postquam feruore aspernabatur, frigida in aqua infunditur venenum.*

Non desunt tamen, qui aquam calidam in mensa quidem admittunt, sed non simplicem: siquidem volunt vino misceri, vt vini crassities eius caliditate dissoluatur. Sed quid respondebũt Athenæo lib. II. Dypnosophistarum, apud quem, Pleistonicus saluberrimum dicit, aquam præbibere verè, ac hyeme calidam, æstate frigidam, eo consilio vt ante vini potũ, in habitum corporis distribuatur, ne eo perueniat vini vis indomita. idem etiam lib. III. ex Eupolide, ἐν δήμοις, probat calidæ

lidæ potum, apud Veteres in vſu fuiſſe.

———— τὸ χαλκίεον
Θερμαινέθ' ἡμιν, καὶ θύη πέπλειν τινὰ
Κέλευ', ἵνα σπλάγχνοισι συγγενώμεθα.

Ahenum calefacere nobis aliquem, & aquam
Iube decoquere, viſceribus vt auxiliemur.

Multiſque auctorum citatis auctoritatibus, oſtendit manifeſtè, apud Græcos etiam in vſu fuiſſe, calidam aquam bibere. Iulius etiam Pollux lib. IX. multis diſputat an veteres calidam biberint. Et ne quis diutius hac de re dubitet, apud Iaponios, fide digni Scriptores aſſerunt, moris eſſe, feruentem penè aquam potare. ita vt nihil mirandum, apud veteres in vſu fuiſſe, quod nunc in alio orbe videmus factitari. Sed qui plura hac de re, Iuſtum Lipſium, Belgicæ noſtræ decus in Electis conſulat: audio & in Italia, Perſium Virum doctum, de potu calido ſcripſiſſe, quem tamen hactenus vidiſſe non licuit.

Nam quod ad Plinij auctoritatem, quam obiiciunt, veriſſimum eſt, cætera animantia frigidos tantum potus ſectari; homines verò ratione duce, inueniſſe calidum potum, non ſecus ac cibos coquere, quos tamen bruta, crudos deuorant; an ideò contra naturam eſt? non credo hoc dicturum quempiam.

At verò à ratione alienum eſt, quod aiunt calidum potum, vomitum concitare; nam tepida hoc faciunt, non calida aut frigida; itaque cum de calido potu loquuntur Scriptores, tepiditatem non admittunt, immò damnant, docet hoc luculentè Arrianus in Epictetum, lib. I. cap. XIII. *quid ſi calidam te poſtulante, puer vel non audierit, vel audiens tepidiorem porrexerit, aut ſi domi non inueniatur, non propterea excandueris, iraque rumparis: diis iſtud ipſum gratum non eſſe cenſes?*

Sed tempeſtiuum eſt Calidæ dotes & beneficia explicare. Supra monui Calidæ vſum, inuentum valetudinis gratia, quos enim ventriculi angor, dolorve ex frigidis ſuccis vel flatibus affli-

affligit, ſummum auxilium ex calidæ, immò feruentis aquæ potu, conſequi certum eſt; nam calore, quod frigidum eſt tẽperatur, & compeſcitur, flatus verò reſoluitur; quod ſi etiam acris humor ventriculi tunicas lancinat, calidę beneficio eluitur, atque ad aluum depellitur; Thoracis, & inteſtinorum vitiis mirificè prodeſt, & illorum excretiones promouet, Renum feruorẽ, & veſicæ vitia egregiè lenit; ſed lubet Aëtium audire, qui admirabiles eius dotes, breuibus percurrit, Tetrabili I. Serm. III. cap. CLXV. *Aqua calida conuenit, vbi oportet excretionem præparare, & vbi quid attenuare, & vbi diffundere, aut liquefacere, aut mollire, aut eluere, concoquere aut diſcutere volumus. particulatim verò mucum ducit, & ſcreatum adiuuat, & dolorem omnem mitigat, & præſertim in præcordiis ac inteſtinis: ructum mouet, & flatum prouocat, vrinam ac ſeceſſum ducit. Bona eſt etiam ad concoctionem, ac digeſtionem, & nutritionem & augmentum. Menſes ducit, neruis & conuulſionibus idonea eſt, vt etiam Pleuritidi, & Peripneumoniæ.* Auicenna etiam, vſum eius moderatum laudat, ſed immodicum damnat, lib. I. Fen. II. Tract. XII. cap. XVI. *Et cum fuerit calidior aqua, & in ieiunio bibita, multotiens ſtomachum lauabit, & ventrem ſoluet, eam tamen frequenter bibere eſt malum, quia ſtomachi ſoluit virtutem, quæ verò multùm eſt calefacta, quandoque colicã reſoluit, & ventoſitates ſoluit.* Hippocrates etiam, vetuſtiſſimus auctor, febricitantibus illam largitur, libro de locis in Homine. *Febricitantibus cibum ne offeras, neque ſorbitionibus ſubtus aluum ducas, in potu dabis Aquam calidam.* Certum enim eſt calidam melius ventriculi ſordes eluere, & innatantem bilem deorſum pellere, & ſitim ſedare.

CAPVT VII.

Empedoclis opinio de vino. Vinum cur οἶνος dicatur. Temetum. Pythagorici à vino abstinebant: eius dotes & noxæ. Asclepiadis de vino magnificum elogium. Androcydis dictum.

DE Vino nunc dicendum, nam & illud aquæ quandam speciem esse, veteres quidam opinati sunt; vt Aristoteles refert, lib. IV. Meteologicorum cap. V. quod & Empedocles, vetustissimus auctor credidit, apud Plutarchum libro quæstionum naturalium quæst. 11.

Οἶνος ἀπὸ φλοιοῦ πέλεται, σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ.

Vinum est putrescens ligni sub cortice lympha.

Quo loco auctor more illius sæculi, σῆψιν pro πέψι, putrefactionem, pro concoctione vsurpat, quia concoctionem putrefactione peragi credebant. Itaque Empedocles nihil aliud voluit dicere, quàm vinum esse aquam, in ligno vitis coctam. Græcis οἶνος dicitur, ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, ab vtilitate, siue iuuamento. Plato verò in Cratylo, vinum, inquit, vocari potest οἶνος, quod reddat plerosque bibentium alienata mente, οἴεσθαι νοῦν ἔχειν. Veteres Romani Temetum dicebant, vnde & temulenti. Nonius Marcellus. *Temulenta dicta est ebriosa, dicta à Temeto, quod est vinum, quod attentet mentem.* Propriè autem vocamus vinum, *Vuarum succum, qui feruendo sibi vires è Musto fecerit*, vt monet Plinius. fuit illud apud omnes mitiores populos, in summo honore, quod eius vsum moderatum, salubrem & vtilissimum hominum vitæ, omnes iudicarent; nam tetricos illos censores nihil moror, qui vinum penitus ex vitæ vsu expungunt, quod ebrietatem inducat, multaque damna ex illo proueniant. Tales fuere olim Pythagoræ sectatores, quos ferunt non solum

ab animatis, ſed etiam vino abſtinuiſſe, vt auctor eſt Alexis Comicus, apud Athenæum, lib. IV. ὄυτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἄλλ' οὐδὲ ἐν ἔμψυχον: οἶνον τ' οὐχὶ πίνουσι μόνοι. *Nec obſonio veſcuntur, nec alio quod animatum ſit, & vinum ſoli non bibunt.*

Iamblicus etiam lib. I. de vita Pythagoræ cap. XXIV. dicit præcepiſſe Pythagoram, ne animatis veſcerentur, nec vinum omnino biberent. ſed audiant illi Diuum Ambroſium, libro III. Hexameri. *Deus,* inquit, *qui ſciret quod vinum ſobriè potatum, ſanitatem daret, augeret prudentiam: immodicè verò ſumptum, ad vitia cauſſas daret, creaturam dedit, abundantiam humano arbitrio reſeruauit; vt parſimonia naturæ eſſet, magiſterium ſobrietatis, abundantia noxium lapſum, temulentiæ ſibi adſcriberet.* Itaque iure aſſerimus, Vini liquorem homini ſaluberrimum eſſe, ſi modus ſeruetur, peſtilentiſſimum verò, ſi immodicè hauriatur. ad valetudinem enim tuendam, magna eius vis & efficacia, concoctionem enim alimenti promouet, ſanguinis generationi, nutritioniq́ue egregiè confert; robur corpori & hilaritatem animo infundit: celerrimè quippè mutatur, & nutrit, & benignos ſpiritus generat, & cor mirificè recreat. vnde ſuadent Medici; quibus & Sacræ litteræ ſubſcribunt, mœſtis atque Melancholicis, vinum exhibendum, quod non ſecus, atque Lupini, ſegeti circumfuſi, amarorem omnem terræ ad ſe trahunt, ita & vinum animi amaritudinem & moleſtias edulcat. Sed ſuperſedebo in laudes eius me diffundere. Plures enim, tam veterum quàm recentiorum ſcriptorum, eandem materiam cum laude tractarunt; Inter cęteros, eius dotes & incommoda, luculentè expreſſit Mneſithæus, quem ex verſione Hugonis Grotij lubet audire.

——— Dono Deum
Obuenit vinum nobis, ingens his donum
Qui rectè vtuntur, alijs peſtis peſſima:
Alimentum namq́ue præſtat rectè vtentibus.
Additq́ue vires pariter animo & Corpori.

Sed &

Sed & ad Medicinam maximos vsus habet;
Miſcetur quippe poculentis remedijs:
Opemque fert vulneribus præſentiſsimam.
Quotidianis hominum in conuictibus,
His qui bene temperatum, nec nimium bibunt,
Dat hilaritatem; vlterius inſolentiam:
Si par aquæ bibatur, etiam inſaniam.
Si purum, ſiderationem corporum.
Merito propterea, Liber Medici nomine
Paſsim indigetatur, atque eundem Pythia,
Iuſsit vocari Soſpitem.

Vnum tamen Aſclepiadis dictum præterire nequeo (qui edito volumine vini egregias dotes prædicauit) *qui vtilitatem Vini, æquari vix Deorum potentia poſſe pronuntiauit.*

Athenæus libr. x. refert ab Ariſtophane vinum vocari, τῆς Ἀφροδίτης γάλα, *Lac veneris*. Et meritò, nam abſque eius vſu, Veneris ſacra frigere, in confeſſo eſt.

Nobis ſufficiat dixiſſe, potum eſſe qui cæteros omnes nobilitate, & præſtantia ſuperat; quod ob celerem motum, quem ob ſubſtantiæ tenuitatem obtinet: alimenta miſcet, & facillimè in omnes partes deducat. Sed eximijs hiſce dotibus, magnæ noxæ coniunctæ ſunt, quod caput petat; mentem percellat, atque rationem perturbet. Plinius lib. XIV. cap. V. *Nec alienum fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes ſapientia clarus, ad Alexandrum Magnum ſcripſit, intemperantiam eius cohibens: Vinum potaturus Rex, memento te bibere ſanguinem terræ: ſicut Cicuta homini venenum eſt, ſic Cicutæ vinum; quibus præceptis ſi ille obtemperauiſſet, profecto amicos in temulentia non interemiſſet. Prorſus vt iure dici poſsit, neque viribus corporis vtilius aliud, neque voluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit.*

Vnde Lucretius pleraq; eius vitia eleganter percurrit li. III.

Denique cur hominem cùm vini vis penetrauit
Acris, & in venas diſceſsit deditus ardor

Consequitur grauitas membrorum: præpediuntur
Crura vacillanti: tardescit lingua: madet mens,
Nant oculi: clamor, singultus, iurgia gliscunt,
Etiam cætera de genere hoc, quæcumque sequuntur:
Cur ea sunt? nisi quod vehemens violentia vini,
Conturbare animam consueuit corpore in ipso.

Concludam Rufi Ephesij verbis, apud Oribasium coll. lib.v, cap.VII. *Videtur mihi admirabile, qui fiat, vt cum in vino tot bona, totque mala planè appareant; liceatque ex vino quæque sumere, homines tamen pessima potius eligant.*

CAPVT VIII.

Mercurialis statuit Vinum non nutrire, refellitur eius opinio. Falsum est nihil nutrire, nisi quod crassum & viscidum est.

OMne nutrimentum, secundum Hipp. lib. de Alimẽto, triplex est, vel enim dicitur illud quod iam alit, vel est veluti alimentum, vel quod futurum est alimentum: id quod iam nutrit, est alimentũ quod iam partibus ipsis affigitur, simul & cõmutatur, loco eius quod continuo effluit; aut est succus, qui paratus est nutrire, vt sanguis; ille enim est veluti alimentum. tertia verò nutrimenti species, est cibus qui ingeritur, ex quo scilicet sanguis postea cõficitur, siue futurum alimentũ. Vinum esse ex vltima hac alimẽti specie, nulli est dubium; an verò sanguis ex illo cõficitur, & mox partibus ipsis affigitur, quod verè est alimentum, hoc loco non immerito disquiri potest: Hieronymus enim Mercurialis, Vir Doctissimus in Pisanis prælectionibus, Tractatu de Vino & Aqua, statuit, Vinum nullo modo nutrire, nec esse verè Alimentum sed alimenti vehiculum.

Primò, quia nulla experientia nos docuit vnquam, aliquos vixisse diuturno tempore solo vino, cum constet plurimos

rimos Lacte, alios herbis victitasse.

Secundò, probat auctoritate Galeni, quod licèt is per totum primum librum, de facultatibus naturalibus, ſumma cum diligentia, totam nutritionis fabricam tractet, omniumque rerum nutrientium det exemplum, animalium nempe, plantarum, aliorumque nutrimentorum, vini tamen nullam omnino mentionem faciat, cum tamen id facere debuiſſet, ſi nutriendi facultatem ex eius ſententia haberet.

Tertiò. Quidquid verè nutrit, ſolidas partes debet nutrire, hoc eſt, præbere alimentum ſolidis partibus ſimile, huiuſmodi autem eſt craſſum, lentum & viſcidum, tale autem non eſt vinum, ergo nullo modo poteſt nutrimentum eſſe; docet enim Galenus lib. VII. Methodi Medendi cap. VI. omne quod nutrit, neceſſe eſſe, vt ſit viſcidum, lentum, & craſſum; vt ſcilicet ſolidas partes poſſit reſtaurare; probat deinde, Vinum neque viſcidum, neque craſſum eſſe, quoniam ſemper eſt fluidum, numquam adhæret, ſemper penetrat; quod ſi quis illi obijciat, Vinũ dulce, & muſtum craſſa eſſe, expungit illa ex vinorum decuria, quoniam ſecundum Ariſtotelem in Problematibus, talia non inebriant.

Sed reclamat penè tota Medicorũ Schola, & omnis antiquitas, qui vno conſenſu, Vino nutriendi & roborandi facultatem attribuunt. Primus Medicinæ conditor Hipp. lib. de Alimẽto, clariſſimè hoc docuit, Γάλα τροφὴ, οἷσι γάλα τροφὴ κατὰ φύσιν, ἄλλοισι δὲ οὐχί; ἄλλοισι δὲ οἶνος τροφὴ, καὶ οἷσιν οὐχὶ τροφή. *Lac alimentum, quibuſdam, Lac alimentum ſecundum naturam, alijs autem non ita; quibuſdam vinum alimentum, quibuſdam non eſt alimentum.*

Vult enim docere non omnia alimenta, omnibus eſſe idonea, ſed illis ſolum quibus ſecundum naturam, aut ætatis, aut temperamenti, Regionis, vel conſuetudinis, aut anni temporis, vel alterius cauſſæ rationem conueniant; nam vinum pueros omnes lædit, & viros etiam, qui abſtemij ſunt natura ſua, alijs verò vt plurimum prodeſt. itaque ſecun-

dum Hippocratem nutriendi vim habet vinum.

Galenus verò, libro tertio de Alimentorum facultatibus capite XXXIX. *Vinum quidem ex eorum esse numero, quæ nostrum corpus alunt, omnes fatentur, nam si modo quidquid alit nutrimentum est, Vinum etiam in genere alimentorum est ponendum; quidam tamen Medici, negant id alimentum esse appellandum, quod Potus in sermone quotidiano, alimento sit oppositus, velut alimentum, & cibus, & esca & edulium dicitur; ob eamque caussam, Vinum nolunt vocare alimentum, quanquam alere ipsum non diffiteantur.* quibus verbis ostendit Galenus, apud omnes receptum fuisse, Vinum quidem alere; sed apud aliquos, de nomine tantùm disputationem fuisse, vtrum Potus nomine, vel Alimenti vocaretur. Eodem verò capite subdit. *Vinorum omnium, rubra simul & crassa, Sanguini gignendo esse accommodatissima, vt quæ minima egeant mutatione, vt in sanguinem conuertantur.*

II. verò Aph. XVIII. Eorum quæ vniuersim ac velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. *Celerrimè*, inquit, *& maximè vniuersum, Vinum alit, tardissimè autem & paulatim, caro bubula, & Cochleæ.*

Lib. etiam III. de temperamentis, *Vinum verò vt adsimiletur, mutationem desiderat minimam, quo fit vt tum nutriat, tum roboret celerrimè.*

Cornelius Celsus libro II. capite XVIII. dulce, aut vehemens, summopere nutrire testatur, his verbis. *Ex potionibus verò, quæcumque ex frumento facta est, itemq; Lac, Mulsum, Defrutum, Passum, Vinum aut dulce, aut vehemens, aut Mustum, aut magnæ vetustatis, valentissimi generis est.*

Auerroës libro VII. colliget capite XVI. auctor est, Sarracenis, lege interdictum fuisse, vini vsum; illis tamen permissum, qui in Syncopen incidunt, quod vires statim eius beneficio restituantur, quod non fieret, ni celeriter nutriret; non adducam auctoritates Aëtij, Oribasij, Tralliani, Æginetæ, atque aliorum Medicinæ procerum, ne actum agam: tum quia Mercuria-

curialis parum illorum auctoritati tribuit, quorum sententijs se damnatum videt.quare rationes eius dissoluere conabor.

Prima certè ridicula videtur,aliquid ex alimentorum ratione ablegare,quia nulla experientia docet,aliquos solo vini vsu dudum vixisse;ita etiam dicemus, carnes, pisces,panem,Alimentum non esse,quia nemo solis ijs vescitur;immo cereuisiam quis negabit alimentum esse, tamen quis sola illa, vixit? accedit, quod cum corpus nostrum partibus constet heterogeneis,varijs etiam alimentis indigere,nam licèt ex vino sanguis copiosus generetur, & carnosum genus egregiè illo nutriatur,solidiori tamen nutrimẽto,indigent ossa & nerui,quale panis,caro, aliaque crassiora alimenta suppeditant. Horatius verò Augenius Tom.III.Epist. Medic. lib.IX.testatur bis se vidisse pueros,vini solius vsu restitutos.

Ad Secundam rationem, quod Galenus nusquam lib.I.de facul.naturalibus vini meminit inter Alimenta,quæ ibi recenset, nullius momenti ratio est, fortassis noluit rei notissimæ mentionem facere, fortassis etiam oblitus est. accedit etiam ab auctoritate negata, nullum esse argumentum validum, præsertim, cum tot affirmatiuæ,sint alibi ipsius Galeni auctoritates.

Vltimo verò obijcit,nihil nutrire, nisi quod crassum & viscidum sit,vt solidas partes nutriat.dupliciter respondeo. Primo,non omne alimentum esse crassum & viscidum: nam lactuca, pisces saxatiles, aliaque eiusdem generis, alunt corpus nostrum,sed non præbent alimentum viscidum & lentum;hoc enim non est cuiusuis alimenti,sed valentissimi,vt sunt Panis, Suilla caro,Cochleæ, & cætera eius generis. ideo dixit Hipp. lib. II. Aph.XVIII. *Eorum quæ vniuersim,& velociter nutriunt, veloces quoque sunt excretiones.* & clariùs adhuc libro de Alimento. *Cibus qui difficulter alteratur,difficulter absumitur,qui facilè apponitur, facilè absumitur.* nam in confesso est apud omnes, Carnem Suillam,& quæcumque lentos & crassos succos habent,

bent, tempore opus habere vt corpus nutriant, & tardè illorum vis dissipatur, Vinum verò, olera, & pisces saxatiles, & quæcumque tenuem succum generant, celeritate quidem distributionis exuperant, stabilem verò naturam non habent, sed facilè difflantur.

Secundo verò, dicam non omne nutrimentum, solidas partes nutrire; sed aliquod est, quod spiritus, aliud quod carnosas partes reficit: tale est vinum, præsertim si illud crassum & rubrum fuerit, ex quo cùm copiosus sanguis subministratur, idem etiam ille sanguis ex vino generatus, potest solidiores partes nutrire, quando coctione omnia crassescere, præcipui auctorum tradunt. Accedit etiam, vina esse aliqua crassa, quæ validam nutritioni materiam suppeditant, & vires egregiè reficiunt. Sed vt mordicus suam tueatur opinionem, negat Mercurialis vina dulcia, & Mustum (quæ lentoris & visciditatis multum, secundum Aristotelem sect. 111. Probl. habent) verè non esse vina, quia non inebriant, vt Aristoteles alibi in Probl. asseruit. Sed vt hoc obiter tangam, sępius ex aliorum opinione in illo opere loquitur Aristoteles, tum etiam cum experientia pugnat, vina dulcia non inebriare; nam Maluatica ex Cretensi Insula, Hispanica, & ex Canarijs vina & dulcia sunt & caput feriunt; sic etiam vina Moscatula vulgo dicta in Italia, & in Narbonensi prouincia, egregiè ebrietatem inducere, lippis & tonsoribus notum.

Certè si vinum nullam nutriendi facultatem haberet, frustra Galenus lib. de cibis Boni & Mali succi, tum etiam libro de attenuanti victus ratione, ita exactè de vini natura & differentijs disputasset, quænam scilicet multum, quæ parum nutriunt, quæue crassum succum, quæ tenuem corpori suppeditant; passim verò docet, Vina nigra & dulcia multum sanguinis, alba verò, & oligophora, exiguum gignere, illa alendo corpori magis idonea, hæc magis per vrinas prauos succos expurgare.

CAPVT

CAPVT IX.

Vini differentiæ variæ. Mustum. Isidori Etymon. Surrentinum vinum ante vigesimum annum crudum. ad ducentos annos Opimianum Vinum seruatum. Vetusta vina in pretio. Maroneum vinum, viginti aquæ partibus miscetur.

PRiusquam de natura & facultatibus vini verba faciam, necessum est eius differentias primum percurrere, quæ desumuntur, ab ætate, à substantia siue consistentia, à sapore, colore, odore & demum ab ipsa vini facultate.

Primum itaque discrimen ab ætate est, vnde quædam vina noua sunt, quædam vetera, alia mediæ ætatis, Vinum nouum, Mustum dicitur communiter, Isidorus miram eius Etymologiam promit. *Dictum autem creditur Mustum, quod in se limum & terram habeat mixtam: nam Mus terra est, vnde & humus.*

Aristoteles in Probl. inter vina non enumerat Mustum, quia non inebriat, sed aliter Medici iudicant. Gal. lib. de cibis boni & mali succi, docet illud flatuosum esse, & concoctu difficile, crassumque succum suppeditare, vnum tamen bonum in se continere, quod aluum emolliat. alibi etiam auctor est, Vinum nouum refrigerare, vetus verò calefacere, temporis enim tractu, acrimoniam vina acquirũt, consumptis enim crassioribus, frigidisque ipsius Musti partibus, calor se magis exerit; immo quantum vina potentiora sunt, eò tardius ætatem accipiunt; vnde quædam vina, teste Dioscoride lib. v. mediocris ætatis, à septimo anno potui salubria habentur, alia verò ante vigesimum annum cruda erant, vt Surrentinum in Italia, docet hoc Galenus lib. I. de Antidotis cap. VIII. *de Surrentino autem quid me dicere opus est? quod omnes iam sciunt, ante annum fermè vigesimum crudum adhuc esse, vigesimo enim tandem anno viget, potuique*

aptum diu perſeuerat, nec facilè amareſcit, præſtantiaque cum Falerno contendit. De illo tamen variè iudicauit antiquitas. Plinius lib. XIV. c. VI. *Surrentina in vineis tantũ naſcentia, conualeſcentibus maximè probata, propter tenuitatem ſalubritatemq́ue: Tiberius Cæſar dicebat, conſenſiſſe medicos, vt nobilitatem Surrentino darent; alioquin eſſe generoſum Acetum. C. Cæſar, qui ſucceßit illi, nobilem Vappam.* Sed nullum erat Vinum, quod ætate Falernum vinceret, præſertim quod Opimio Conſule recõditum erat; Petronius enim in Satyrico, Falernum Opimianum, annorum centum, in Trimalcionis Conuiuium illatum ſcribit; Plinius verò lib. XIV. cap. IV. illud in ducenteſimum annum, duraſſe auctor eſt. *Anno fuit, omnium generum bonitas, L. Opimio Conſule; cùm C. Gracchus Tribunus, plebem ſeditionibus agitans, interemptus: ea cœli temperies fulſit, quam Cocturã vocant, Solis opere, natali vrbis DC.XXXIV. durántque adhuc vina, ducentis ferè annis; iam in ſpeciem redacta mellis aſperi. Etenim hæc natura vinorum in vetuſtate eſt, nec potari per ſe queunt, ſi non peruincat aqua, vſque ad amaritudinem carie indomita;* priſci Romani magni faciebant vina vetera, quæ teſtis, vel amphoris recondebant, vnde & Horatius, amico ſe daturum ſpondet vinum, quod ab vſque ſua natiuitate, fuerat à patre repoſitum. Lib. III. Odarum, XXI.

O nata mecum Conſule Manlio
Seu tu querelas, ſiue geris iocos,
Seu rixam & inſanos amores,
Seu facilem, pia Feſta, ſomnum.

Iuuenalis Satyt. v. luculentè hunc morem oſtendit

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam, titulumq́ue ſenectus
Deleuit, multa veteris fuligine teſtæ.

Noſtra ætate, vix habemus vina hæc annoſa, vel quod ſeruandi, aut condiendi ſcientia, deperijt, vel quod non habemus vina adeo generoſa, quæ ad memorabilem ætatem perueniũt. nam Gallicana, vel Rhenana, vix biennium aut triennium ſuperant,

perãt, manifesto illorum debilitatis indicio. quæcumque enim facilè maturantur, senectutem statim adipiscuntur; Senecæ memorabile dictum in epistolis est; malle se adolescentem tristem, quàm hilarem & amabilem turbæ, *Vinum enim*, inquit, *bonum fieri, quod recens durum, atque asperum diu perseuerat; alioquin quod in dolio placuit, diutinam non patitur ætatem*. Concludam, si prius monuero, vitanda esse nimis annosa, & nimis recentia: quippe hæc nihil calefaciunt, ciborumq́; concoctionem non adiuuant; vetustiora nimium excalefaciunt.

Secundum discrimen, ex consistentia desumitur, alia enim aquosa & tenuia sunt, alia crassa, alia media: Aquosa parum alunt, sed vrinas strenuo promouent. Crassa verò abundè nutriunt, sed viscerum obstructiones pariunt, Media verò, vtriusque facultates participant. Quæ verò à sapore desumuntur differentiæ, ipsius vini naturam manifesto arguunt, nemo enim est, qui ex insipido vel aquoso sapore, non pronuntiabit statim, vinum imbecille & frigidum esse, ex dulcedine verò, mediocrem temperiem, ab acrimonia verò, caliditatem maiorem illi inesse; austerus verò sapor, & acidus, frigidam vini qualitatem indicabit. Plinius in vno hoc succo, plures pariter sentiri sapores testatur, namq́ue in eo & austerum, & acutum, & dulcem, & suauem sentiri, cæteros omnes alienos esse.

Colores præcipui in vinis conspiciuntur, Albus, Niger, Fuluus, Flauus, & Ruber, vt Galen. auctor est XII. principio libri III. de ratione victus in morbis acutis, Plinius verò lib. XIV. capite IX. quatuor summos colores agnoscit, Album, Fuluum, Sanguineum, Nigrum. Galenus passim docet, ex vinis albis nullum valenter calefacere, quod enim summè calidum existit, id propriè Flauum est, hodierna tamen die, videmus quædam vina generosa, ex Hispanijs aduecta, albo colore prædita, potenter calefacere; sed non ita, atque Fulua, vel Flaua; magisq́ue adhuc Flaua, quæ igneum quasi colorem referunt, quæ Galen. XII. Meth. Medendi capite IV. inter omnia calidissima

prædicat; cuiuſmodi erat Cæcubum in Italia, cuius vires ſalubritatemq́ue indicat Horatius, Epodon. IX.

Aut quod fluentem nauſeam coërceat,
Metire nobis Cæcubum.

Sed illud Plinij æuo iam interciderat, ita enim lib. XIV. cap. VI. *Antea Cæcubo generoſitas celeberrima in paluſtribus populetis, Sinu Amyclano: quod intercidit, & incuria coloni, lociq́ue anguſtia; magis tamen foſſa Neronis, quam à Baiano Lacu, Oſtiam vſque nauigabilem inchoauerat.* Martialis tamen tempore videtur in pretio fuiſſe, nec omninò intercidiſſe. ita enim in Xenijs.

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis,
Vitis & in media nata palude viret.

Nigra verò copioſum ſanguinem generant, & abundè nutriunt, ſed obſtructiones ob craſſitiem ſuam augent. Odor, vini facultatem detegit, nam ab origine, ſapori quaſi cōgeneus eſt, ac perfecta eius ſoboles: duplex is eſt, bene olens, vel malè olēs; quæ verò, nullo modo odorata ſunt, valdè ſunt imbecilla & frigida; quæ verò odorem ſpirant, robur vini detegunt, alijſq́; calidiora ſunt. Gal. XIV. Meth. Med. cap. IV. dicit vina beneolentia, animæ grata eſſe; atque fragranti odore ſpiritus reficere, hominemq́ue à ſyncope reuocare. quod non ignorabat Anus illa, merobiba, apud Plautum in Curculione,

Flos veteris vini, meis naribus obiectus eſt,
Eius amor, cupidam me huc prolicit per tenebras.

Maleolentiam verò quæ nacta ſunt, guſtui ingrata, & praua ſunt, quare etiam vitanda. Vltima autem differentia à Vini facultate, viribuſq́ue deſumitur, aliud enim eſt Vinum οἰνώδης, vel πολυφορὸν, vinoſum, & multam aquę mixturam ferens. aliud verò ὑδατωδὴς, ſeu ὀλιγοφορὸν, aquoſum ſcilicet, vel exiguū aquę ferens.

Οἰνωδὴς Vinum eſt potens & calidum, quale fuit Maroneum illud, ab Homero celebratum.

Τὸν δ᾽ ὅτε πίνοι ἐν μελινδέα οἶνον ἐρυθρὸν,
Ε῎ν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀναείκοσι μέτρα
Χεῦ᾽, ὀδ μὴ δήδει ἀπὸ κρητῆρος ὀδ ὕδει
Θεσπεσίη.

Immi-

Hoc quoties biberent dulce vinum rubrum,
Vno poculo impleto, aquæ viginti mensuras.
Immiscuit, dulcis autem odor à cratere spirabat
Diuinus.

De quo Plinius lib.XIV.cap.IV. *Maroneum, vicies tanto addito aquæ miscendum Homerus prodidit. duratque vis eadem in terra generi, vigorque indomitus. Quippe cum Mutianus ter Consul, ex his qui nuperrimè prodidere; sextarios singulos, octonis aquæ misceri compererit, præsens in eo tractu: esse autem, colore nigrum, odoratum, vetustate pinguescere.* Sed generosa hæc vina, in calidioribus tantum regionibus proueniunt, in Græcia, Hispania & multis Italiæ locis (quæ tamen nihil ad Maroneum.) quæ multam aquæ miscellam sustinent; caput talia feriunt, multum nutriunt, & corpori robur addunt.

Ὀλιγοφορὸν verò imbecillum est, in frigidioribus regionibus nascitur, albũ vel dilutæ rubedinis, adeoq; natura sua dilutum est, vt exigua aquæ miscella opus habeat. parum nutrit, vrinas copiosè mouet, caput minimè tentat, talia sunt pleraque Gallicana, & Rhenana Vina, quæ exiguam aquę miscellam ferunt.

CAPVT X.

Refelluntur qui vinum esse frigidum asserunt. Oligophorum mediocriter est calidum.

EX diuersis Vinorum differentijs, diuersas etiam Vini qualitates, ac temperiem procliue est colligere, nam vt inter se variè, sapore, odore & colore, alijsque modis diffident, ita etiam non eandem temperiem habere, cuiuis palam erit. Alba etenim, aquosa vocata, sicuti aquæ consimilem penè nacta sunt formam, ita & viribus ab illa non magnopere diffident: quare non solùm humida; sed etiam frigida, vel certè parum calida dicenda sunt. Dulcia verò, acria, vel amara, multò maiori pollere caliditate, atque acrimonia certum est. quæ res monuit

Andream Baccium, Virum Doctissimum lib. 1. de Naturali Vinorum Historia cap. 11. vt in illorum opinionem venerit, non omne vinum esse calidum, sed aliqua esse frigidæ temperaturæ, tum quod Galen. multis in locis, idem videatur asserere. lib. 1. de Temperamentis cap. 111. *Vinum esse humidum, sed non semper calefacere.* lib. de cibis boni & mali succi. *At in vinis, vetustißimum quod Romani Cæcubum vocant, ab albo & austero, & nouello, crassoque vino, tantum distat, vt alterum vehementissimè calefaciat, alterum sensibiliter refrigeret.* Plutarchus verò. 111. Sympos. Quæst. v. & Macrobius v11. Saturnalium cap. v1. vlterius progressi, asserunt Vinum omne esse frigidum. quia ex nimio eius potu, plerique fiunt tremuli, pallidi: alij Hydrope vel Paralysi corripiuntur; qui omnes morbi à frigiditate dependent. multis etiam, somnum meri potus excitat, non secus ac Mandragoræ vel Papaueris vsus, quæ tamen frigidissima esse nemo negauerit.

Sed parum efficaciæ habent rationes hæ, loquimur enim de moderato, & salubri vini potu, non de nimio: nam vt modicè sumptum vinum, calorem natiuum roborat, excitatque, ita etiam immodicus eius vsus, illum obruit & extinguit, vnde multa excrementa in corpore colliguntur, à quibus morbi frigidi oriuntur; itaque verissimum est, per se calefacere, sed per accidens refrigerare. nec negandum est somnum à vino induci, sed non eo modo quo à Mandragora, alijsque stupefacientibus; illud enim blandos ac suaues vapores cerebro communicat, qui somnum inducunt secundum naturam, stupefacientia verò, violentè & præter naturam somnum excitant. Sed ad institutum redeo, atque ex communi scriptorum sententia, omne vinum calidum esse opinor, ita tamen, vt aliud alio calidius, aut minus calidum sit. docuit hoc Gal. lib. v111. de Simpl. Med. facult. *Vinum*, inquit, *ex secundo ordine excalefacientium est, & quod admodum vetus, ad tertium accedit; sicut Mustum, quod vocant, ex primo est:* hæc enim verba omni conueniũt vino,

vino, & in omni ætate; ſed dubitandi adhuc locus eſt in vino Oligophoro, quod nec calidum eſt in ſecundo, nec ſub Muſto comprehendi poteſt. Sed ſcrupulum hunc eximit Galenus, libro VII. Meth. Med. cap. VI. in quo de vino agens Oligophoro, ex ſentẽtia Hipp. aſſeruit ipſum eſſe calidum. *Eſto igitur Vinum (quod exempli gratia dicatur) quale eſt Sabinum in Italia, Aruiſinum in Aſia, vt ſumma quædam & generatim cõprehendam, quod aquoſum quidem alioquin eſt, cæterum leuiter adſtringens; aquoſum autem voco vinum, quod tenue eſt, & purum & Oligophorum, vt Græcè Hippocrates nominauit, immò ſi inflata ſint Hippochondria, ſubſidere facit, ob caloris mediocritatem.* quibus verbis, apertè docet mediocriter eſſe calida huiuſmodi vina, ſed non quod ſint frigida. Quod verò ad Galeni loca, quæ controuerſiam videntur mouere; dicendum, ex loquendi conſuetudine receptum eſſe, frigidum etiam dici illud, quod exiguum calorem habet, hocq́ue ipſum refrigerat, partes vehementer excalefactas, non ſecus ac quiſpiam in balneo calido, ſentit vrinam ſuam refrigerare, licet ipſa non ſit frigida, ſed quia minus eſt calida quàm balneum: ſic etiam omne vinum aquoſum refrigerat, comparatione ad illa quæ generoſa, ac vinoſa ſunt, abſolutè autem loquendo, quatenus vinum eſt, moderatum calorem habet. Videmus enim noſtro æuo, vina quędam Oligophora, qualia ſunt rubella quædam Gallicana, aliaq́ue quæ ad Moſellam naſcuntur, valdè eſſe aquoſa & imbecilla; quæ ſi cum generoſis Hiſpanicis, aut Gallicanis conferantur, frigefacere videntur, cum tamen calorem in corpore noſtro paulatim accendant, & caput etiam feriant. Omne enim vinum, cum ſuccus ſit expreſſus ex vuis maturis, & in dolio concoctus, neceſſariò calorem aliquem acquirit ipſa ebullitione; ſed prout vuæ generoſæ, vel etiam maturæ fuerint, maiorem vel minorem calorẽ obtinebit, nam vt prorſus frigidum dicatur, iam non vinum, ſed Omphacium erit.

CAPVT

CAPVT XI.

Meracum bibere apud Barbaros in vsu. Staphylus primus vinum miscuit. Baccho Recto ara posita. varij modi miscendi vinum.

ANtiquissimis sæculis receptum fuit, aquam vino miscere, vt vis eius nimia ardorque obtunderetur: nam meracum bibere, vix in vsu erat apud elegantiores; immo pro barbaris reputabant, qui tali potu delectabantur, vnde Græci ἐπισκυθίζεσθαι, i. Schytas imitari, dicebant, pro eo quòd est ἀκρατοποτεῖν, qui meracum biberent. refert Athenæus lib. x. ex Herodoto & Chamæleonte, Cleomenem Regem Lacedemoniorum cum Schytis agentem, illorum consuetudinem & ἀκρατοποσίαν, id est, meripotationem imitantem, insania correptum fuisse.

Nam cùm illius æui Vina essent admodum generosa, & quæ mentem perturbarent, prudentiores parcè admodum illis vtebantur, & certo quasi numero potiones circumscriptæ erant, ne ad contumeliæ Crateras accederent. Anacharsis apud Stobæum, *primum poculum Sanitatis esse dixit, secundum Voluptatis, tertium Contumeliæ, vltimum Insaniæ.* huc Horatius respexit.

Qui Musas amat impares
Ternos ter Cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet supra
Rixarum metuens, tangere Gratia.

Sed magis se diffundit Eubulus, quem ex versione Hugonis Grotij, lubet audire.

Tres ego Crateras solos his queis cor sapit
Miscere soleo: sanitati is est sacer
Qui primus bibitur: alterum sibi vindicant,
Amor & voluptas: tertium poscit sopor.

Quem

Quem postquam ebiberunt, qui esse sapientes volunt,
Domum recedent; quartus Contumeliæ
Non vltra noster: quintus vociferantium:
Sextus nequitiæ: sugillarum septimus:
Octauus reuocatoris: nonus bilis est:
Decimus furoris, tela vt mittantur quoque.
Nam Liber multus, paruo infusus vasculo,
Suos potatores facilè euertit è gradu.

vt verò hæc vini incommoda, noxasque homines euaderent, diluendi Vinum modos varios inuenerunt.

Plinius auctor est lib. VII. c. LVII. Staphylum Sileni filium, vinum aqua miscere primum docuisse, Athenæus verò lib. II. Melampodem Vini diluendi modum inuenisse memorat; idem etiam ex Philocharis opinione, tradit Amphictyonem Atheniensium Regem, à Baccho didicisse, rationem temperandi vinum, qua de caussa factum, vt homines qui dilutum biberent vinum, recti obambularent; quum antea curui ob meri potum incederent. ideoque illum in Horarum delubro, Baccho ὀρθῷ, i. Recto aram ædificasse; quoniam Horæ vitis fructum educant, iuxtaque illam, Nymphis alteram Aram extruxisse, documentum bibituris, vinum temperandum esse, quia Nymphas Bacchi nutrices fuisse receptum est. Certum equidem est, ab homine prudente, & Medicinæ non ignaro, excogitatam illam miscellam, vt ingens ille Vini feruor, aquæ beneficio domari posset. Sed non est vnicus vini diluendi modus: aliter enim ægrotis, aliter sanis vinum miscetur; vini enim momentum, ægrotantibus aquæ permiscemus, vt facilius in corpus distribuatur; sanis verò parum aquæ miscemus, vt vini caliditas temperetur. Vnde Græcum Adagium fluxit, quod varios miscendi vini modos ostendit,

ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα.

Quinque bibenda esse, aut tria, sed non quatuor.

Plutarchus III. Symposiacorum quæst. IX. ad Musicas Sym-

phonias refert, Qui, inquit, Dionyſij Harmonias callebant, eos tres vini cum aqua conſonantias aſpexiſſe, Seſquialteram, Diapaſon, & Diateſſaron, πέντε namque, ſeſquialteram, ſiue Hemiolam denotaſſe, quæ conſtabat tribus aquæ partibus, duabus vini additis; τρία, indicaſſe Diapaſon, quę conſtabat vt vni parti vini, duas aquæ admiſcerent. τέτταρα, Diateſſeron ſignificaſſe, ſi vni vini cyatho, tres aquæ addideris. Euſtathius verò ad Odyſſæam. K. τέτταρα, æqualem vini & aquæ mixtionem vocat, quā Hipp. ἴσον ἴσῳ, dicit, quæ nimis meraca erat. Athenæus verò lib. x. aliter hoc Adagium exponit, vt cum quinque partibus aquæ duas vini bibamus, aut cum tribus aquæ vnam vini; nam eius ſæculi vina erant potentiſſima, & multam aquæ mixtionem requirebant. Heſiodus verò aliam menſuram ſtatuit, qua ſalubriter vinum bibatur.

Τρὶς δ' ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

Tres miſcebis aquæ partes, ſit quarta Lyæi.

Itaque à natura vini primum variata eſt vini mixtio, adeoque mox in vſu fuit miſcendi vinum aqua, vt miſcendi verbum idem ſignificaret, quod potum porrigere. Iuuenalis Satyra v.

——— *Neſcit tot millibus emptus,*
Pauperibus miſcere puer.

Horatius Odarum lib. III. od. XIX.

——— *Tribus, aut nouem*
Miſcentur Cyathis pocula commodis.

A natura quoque bibentium variata fuit temperatura vini, quoniam calidi natura, & iuuenes, maiorem aquæ mixturam poſtulant. ex aduerſo, frigidiores temperamento, ſenes, laboribus dediti, mero magis gaudent. Vnde Achilles apud Homerum, animaduertens Phœnicem & Vlyſſem ſenes eſſe, totoque die in armis occupatos fuiſſe, parum aquæ miſcere iubet, ζωρότερον δὲ κέραιρε. i. meracius infunde. eadem etiam ratione Hipp.

ne Hipp. hyeme Meracum, æſtate verò dilutum eſſe bibendum monet. ſic etiam in regionibus calidioribus, dilutum magis conuenit, in frigidioribus verò meracum.

CAPVT XII.

Ariſteus Mulſi auctor. varia eius parandi ratio. Mulſi dotes, Pollionis Romuli dictum. Maßicum aptißimum ad Mulſum. in Promulſide moris erat Mulſum bibere. οἶνος μελίτης *differt à Mulſo. Nix Mulſa. Clarea hodie in vſu.*

VIni etiam ſpecies erat Mulſum, nihil enim aliud eſt, quã vinum melle conditum, cuius auctor ſecundum Plinium, fuit Ariſteus, qui primus mel vino miſcuit, *ſuauitate præcipua, vtriuſque naturæ ſponte prouenientis*. Græcis οἰνόμελι dicitur. Sed condiendi ratio non vna traditur. alij enim, teſte Dioſcoride, duabus vini metretis, admiſta vna mellis, Mulſum faciunt: aliqui quo celerius præberi poſſit, mel cum vino decoquunt, & ita transfundunt; alij parcentes impendio, ad ſextarios ſex Muſti feruentis, vnum mellis adijciunt. & vbi ferbuerit vaſe recondunt; ita paratum, dulcedinem retinet; omnes autem è vetere vino, auſteroq́ue, & bono melle id pręparãt. Conſtantinus Cęſar, Geoponicon lib. VIII. c. XXIV. & XXV. alias vini Mulſi condituras recenſet, aliam enim ex vino, aliam ex Muſto fieri docet, illiſq́ue varia Aromata admiſcet; in eo maximè differre, quod œnomeli ex Muſto paratum, magis ſit flatuoſum, ſtomachoq́; aduerſatur, ventri verò eſſe aptum. Plinius lib. XXII. cap. XXIV. Mulſi dotes his verbis prædicat.

Semper Mulſum ex vetere vino vtiliſsimum, facillimèq́ue cum Melle concorporatur, quod in dulci nunquam euenit; ex auſtero factum, non implet ſtomachum, neque ex decocto melle, minuſq́ue inflat, quod ferè euenit. Appetẽdi quoque reuocat auiditatẽ cibi. aluum mollit

 frigido

frigido potu pluribus, calido sistit, corpora auget; multi senectutem longam Mulsi tantum nutritu tolerauêre, neque alio vllo cibo: celebri Pollionis Romuli exemplo. Centesimum annum excedentem, cum Diuus Augustus hospes interrogauit. quanam maximè ratione, vigorem illum animi corporisque custodisset; at ille respondit, intus Mulso, foris oleo. Varro Regium cognominatum morbum, Arquatum tradit, quoniam Mulso curetur. Vnde vnicuique integrum erit colligere, quanto in honore olim fuerit. ex Massico autem vino, & Attico melle paratum, id Poëtæ commemorant. Martialis.

Tam bene rara suo miscentur Cinnama Nardo,
Maßica Theseis tam bene vina fauis.

Erat enim Massicum Vinum, quod in monte Gaurano nascebatur, in paucis celebre. alij verò Falerno miscebant, vt Aufidius ille apud Horatium, quod Catius improbat lib. II. Satyr. IV.

Aufidius forti miscebat Mella Falerno.
Mendose, quoniam vacuis committere venis,
Nil nisi lene decet; leni præcordia Mulso
Prolueris melius.

Catius damnat in Promulside, generosum Mulsum exhiberi, sed lene. non quod vituperet compositionem Mulsi ex Falerno, siquidem vetus erat prouerbium apud Gulones, *Mulsum quo probè temperes, miscendum esse nouo Hymettio & Falerno vetulo*, vt Macrobius auctor est Saturnaliorum VII. Sed quia in mensæ principio, expedit lenes potiones præmittere, ideo Catius Mulsum ex Falerno damnat, quod longè generosissimum erat vinum. tunc enim temporis in vsu erat, Mulsum præbere, à quo Promulsidem Cœnæ initium, dictam Viri Docti suspicantur. sic apud Petronium in Cœna Trimalcionis. *Feceratque potestatem, siquis nostrum iterum vellet Mulsum sumere.* non multum differebat ab œnomelite, οἶνος μελίτης, siue vinum Melitites, de quo Plinius lib. XIV. cap. IX. *Dulci è genere est & Melitites, distat à Mulso, quod fit è Musto,*

cum quinque congijs austeri Musti, congio mellis, & salis cyatho, sufferuefactis, austerum. idem etiam Dioscorides tradit: ab illo enim sua mutuatus est Plin. itaque in eo differt à Mulso, Vinum Melitites, quod fiat ex Musto, & Sal recipiat, quorum neutrum in Mulso. Plinij tamen tempestate intermissus eius erat vsus. Hodierna verò die, neque Mulso neque Melitite Vino vtimur. Sed potio excogitata est non insuauis, ex Vino Saccharo & Cinnamomo, quæ tanto Antiquorum Mulso suauior iucundiorque est, quantum Saccharum, mel suauitate superat, hanc Vulgus Claream, vel Hippocraticam potionem indigetat.

CAPVT XIII.

Sapa, Defrutum, Carenum, coctura tantum differunt. Passum Solis beneficio fit. Protropum. Acinaticum Caßiodori.

MVlso succedant Vina dulcia quæ apud veteres magno in honore fuerunt, nunc vix in vsu sunt, immo nomina penè obsoleta. præcipua erant, Sapa, Defrutum, Passum, Carenum. De his Plautus in Pseudol.

Quid si opus est vt dulce promat indidem, ecquid habet?
Char: *Rogas? Murrhinam, Passum, Defrutum, Melinam.*
Quin in corde instruere, quondam cepit Thermopolium.

Sapa, Græcis Hepsema, & Sireon dicitur, sed ἕψημα à Græcis Asiam incolentibus vocatur, vt auctor est Gal. VI. Epid. Comm. VI. Sect. III. σιραίον verò passim nuncupatur. quod tamen miror, cum iam Plinij ætate, qui Galeno vetustior, vox Hepsema in vsu fuit. lib. XIV. cap. IX. *Nam Siræum, quod alij Hepsema, nostri Sapam appellant.* Hesychius hoc loco obiter emaculandus. ἕψημα, ὅπερ ἔνιοι σειραὶ καλοῦσιν, ἄλλο γλυκὺ, *Hepsema, quod alij Siræum vocant, alij dulce.* Legendum σιραίον.

Est autem Sapa, Mustum ad tertiam mensuræ partem deco-

ctum, vt auctor est Plinius citato loco. Nonius Marcellus ad dimidiam partem coqui dicit.

Sapa, quod nūc Mellaceum dicimus, Mustum ad mediam partem decoctum, Varro de Vita Populi Romani, lib. I. Sapam appellabant, quod de Musto ad tertiam partem decoxerat.

Galenus lib. VII. de Comp. Medicamentorum secundum locos, cap. I. dicit decoctum Caricarum ab aliquibus etiam Siræum dici, *verum Atticissantes ipsum (Hepsema) Siræum vocant, quemadmodum alij Caricarum decoctum, Siræum appellandum censent.* Paulus Ægineta lib. III. cap. XXVIII. σιραῖον ἀπὸ ἰσχάδων, Siræum ex caricis vocat.

Huic affine erat Defrutum, quod ita dictum, auctore Isidoro, quod quasi fraudem patiatur, nam teste Nonio Marcello, *Si Mustum ex duabus partibus ad tertiam redigatur deferuefaciendo, Defrutum dicitur.* Columella. *Mustum quam dulcißimum decoquitur ad tertias, Defrutum vocatur.* Plinius verò ad dimidiam partem coqui præcipit lib. XIV. cap. IX. vbi Sapæ & Defruti differentias explicat. *Nam Siræum quod alij Hepsema, nostri Sapam appellant, ingenij non naturæ opus est, Musto vsque ad tertiam partem mensuræ decocto; quod vbi factum ad dimidiam est, Defrutum vocamus, omnia in adulterium mellis excogitata.*

Exigua itaque inter Sapam & Defrutum est differentia, quæ ex cocturæ ratione desumitur; fiunt enim ex Musto variè cocto, in Hispania in vsu adhuc est, vulgus *Arrope* vocat.

Præter hæc duo, erat etiam Carenum, de quo Isidorus. *Carenum, eo quod feruendo parte careat, tertia enim parte Musti amissa, quod remanserit Carenum est, cui contraria est Sapa, quæ feruendo ad tertiam descēdit.* Idem penè Palladius, in mēse Octob. Tit. XVIII. vbi discrimē quod est inter Sapam, Defrutum & Carenū recenset.

Nunc Defrutum, Carenum, Sapam conficies. Cum omnia vno genere conficiantur ex Musto, modus his & virtutem mutabit & nomina. nam Defrutum à deferuendo dictum, vbi ad spißitudinem fortiter despumauerit effectum est. Carenum cum tertia perdita, duæ partes remanserint.

ferint. Sapa vbi ad tertias redacta descenderit, quam tamen meliorem facient, Cydonia simul cocta, & igni supposita ligna ficulnea. Marcellus etiam Empiricus non semel Vini Careni meminit.

Cum autem omnia hæc dulcia sunt vina, & coctione crasſescunt, hepatis & lienis obstructiones promouebunt; flatus etiam excitabunt; pectoris verò & pulmonis vitijs, quæ ex tenui destillatione ortum ducunt, egregiè prosunt; ideoque Galenus libris de compositione medicamentorum secundum locos, in tenui destillatione ad pectus, conficiendo Ecclegmati Diacodion, Defrutum melli præponit.

Hisce cognatum est Passum, sed vt priora igne sunt decocta, ita hoc à Sole percoquitur. Varro de vita Pop. Rom. lib. I. apud Nonium Marcellum, *Passum nominabant, si in vindemia Vuam diutius coctam legerent, eamque passi essent in Sole aduri.* Itaque ex vua passa succus expressus Passum dicebatur, quod clarius adhuc Isidorus explicat lib. XX. *Passum, quidquid ex vua passa compressum effluxerit, dicitur autẽ Passum, à patiendo, nam percutitur vua siccior, & decoquitur & inde fit passum.* Plinius luculentè admodum Passi confectionem docet, & genus vuæ refert ex qua paratur, libro XIV. cap. IX. *Passum à Cretico Cilicium probatur, & Africum, & in Italia prouincijsque finitimis. fieri certum est ex vua quam Græci Sticam vocant, nos Apianam, item Scirpula, diutius in vite Sole adustis, aut feruente oleo; quidam è quacumque dulci, dum præcocta alba faciunt siccantes Sole, donec paulo amplius dimidium pondus supersit, tunsasque leuiter exprimunt; deinde quantum expressere, adijciunt vinaceis aquæ puteanæ, vt & secundarium passum faciant, diligentiores eodem modo siccatis, acinos eximunt, ac sine sarmentis madefactos, vino excellenti, donec intumescant, premunt, & hoc genus ante cætera laudant.*

Andreas Baccius lib. I. de Natura Vinorum, credit Passum Creticum, quod erat præstantissimum, esse Maluasiam nostram, quam ferunt ex vuis egregiè maturis & ad solem passis parari. In alijs etiam prouincijs, ex generosissimis vuis parabatur

batur Paſſum, ſic Galenus meminit Paſſi Hiſpanici, Plinius Africi & Italici.

Dulcibus vinis annumerandũ Protropum vinum, aliquibus Paſſi ſpecies eſt, Galenus enim lib. III. de Comp. Med. ſecundum locos, Paſſi Protropi meminit; de illo Plinius lib. XIV. cap. IX. *Sed inter hæc genera potuum, ponere debeo & Protropum, ita appellatur à quibuſdam, Muſtum ſponte defluens, antequam calcentur vuæ; hoc protinus diffuſum, lagenis ſuis deferuere paſſi, poſtea in Sole quadraginta diebus torrent, æſtatis ſecutæ ipſo Canis ortu.* nonnulli credunt, idem eſſe cum Muſto Lixiuio Columellæ, libr. XII. cap. XVII. *Vinum dulce ſic facere oportet: vuas legito, in Sole per triduum expandito, quarto die, Meridiano tempore, calidas vuas proculcato, Muſtum Lixiuium hoc eſt, antequam prælo preſſum ſit, quod in lacum Muſti fluxerit tollito.* diſcrimen tamen aliquod eſt, nam Protropum dicitur vinum, quod defluxit ex vuis priuſquam calcatæ fuerint; Muſtum verò Lixiuium, poſtquam iam calcatæ ſunt; quod etiam diſtinguitur à Muſto Tortiuo, hoc enim fit ex vuis prælo expreſſis, ex reſiduis vuis quæ calcatæ fuerunt, eſtq́ue quaſi ſecundarium Muſtum. Athenæus lib. I. vinum hoc πρότροπον & πρόδρομον à Mytyleneis auctor eſt vocari.

Μιτυληναῖοι δὲ τὸ παρ' αὐτοῖς γλυκὺν οἶνον πρόδρομον καλοῦσιν, ἄλλοι δὲ πρότροπον ἢ πρόδρομον. *Mitylenæi vinum ſuum dulce nunc Prodromum, nunc Protropum vocant.* Græcorum etiam quidam πρόχυμα appellãt, velut Florentinus apud Conſtantinum Cæſarem libr. VI. cap. XVI. teſtatur, Protropi etiam ſpecies fuiſſe videtur, Acinaticum à Caſſiodoro libr. XII. variarum tantopere celebratum. Cuius verba lubet in medium adducere. *Comitis itaque Patrimonij relatione declaratum eſt, Acinaticum, cui nomen ex acino eſt, Enthecis aulicis fuiſſe tenuatum, &c. Digna planè ſpecies, de qua ſe iactet Italia. Nam licet ingenioſa Græcia, multifaria ſe diligentiæ ſubtilitate commendet, & vina ſua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus inſaporet; ſub tanta tamen exquiſitione reperitur ſimile nil ha-*

nil habere. Hoc eſt enim merum, & colore Regiũ, & ſapore præcipuum: vt blattam aut ipſius putes fontibus tingi, aut liquores eius à purpura credantur expreſſi. dulcedo illi ineffabili ſuauitate ſentitur, ſtipis neſcio qua firmitate roboratur: tactus eius dẽſitate pingueſcit, vt dicas eſſe aut carneum liquorem, aut edibilem potionem. libet referre, quàm ſingularis eſſe videatur eius collectio. Autumno lecta de vineis, in pergulis domeſticis vua reſupina ſuſpenditur, ſeruatur in vaſis ſuis, thecis naturalibus cuſtoditur. rigeſcit, non liqueſcit ſenio, tunc fatuos humores exudans magna ſuauitate dulceſcit; trahitur ad menſem Decembrem, donec fluxum eius hyemis tempus aperiat: miroque modo incipit eſſe nouum, quando cellis omnibus reperitur antiquum. Hyemale Muſtum, vuarum frigidus ſanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, violeum nectar: deferuet primum in origine ſua, & cum potuerit adoleſcere, perpetuam incipit habere nouitatem: non calcibus iniuriosè tunditur, nec aliqua ſordium admixtione fuſcatur: ſed quemadmodum decet, nobilitas tanta prouocatur. defluit dum aqua dureſcit. Fæcunda eſt, cum omnis agrorum fructus abſcedit, diſtillat gemmis comparem liquorem, iucundum neſcio quid illachrymat, & præter quod eius delectat dulcedo, in aſpectu ſingularis eius eſt pulchritudo, ex quibus verbis, poſſumus ſuſpicari Acinaticum Caſſiodori, eſſe Vini, vel Paſſi potius Protropi ſpeciem, quæ in Veronenſi agro proueniret.

CAPVT XIV.

Mulſa, μελίκρατον & ὑδρόμελι, idem ſunt. Iſidori & Pollucis lapſus. Varij modi parandi Mulſam. Mulſa Diluta, & Meraca. Mulſa omnes vini noxas, ſed non habet eius vtilitates. Medo ſeptentrionalium potus.

MVlſam Latini vocant, aquam melle temperatam, Græcis μελίκρατον, vel etiam ὑδρόμελι dicitur. quanquam duo hæc

 nomina;

nomina; nunc eandem rem, nunc diuersam videntur significare; Dioscorides enim lib.v.cap.ix.illa distinguit, Melicratum enim fieri dicit, ex vna mellis mensura, & duabus aquæ cælestis, mixtis & insolatis, quæ verò maiori apparatu paratur Mulsa, à quibusdam Hydromel appellatur. esse præterea qui Hydromeli vocant Mulsam aquam, quæ lotis aqua fauis confecta fuerit. frequentius tamen confunduntur hæ voces ab alijs scriptoribus. Isidorus xx.lib.originum valdè in illis hallucinatur, *Hydromelum enim, dicit esse, quod fiat ex aqua & malis Matianis. Melicratum verò vinum melle mixtum.* Eodem etiam in errore est Iulius Pollux, Onomastici lib.vi. μελίκρατον δὲ, τὸ νῦν οἰνόμελι. *Melicratum verò, quod nunc Oenomeli vocant.* diximus enim Mulsum esse Oenomeli, Mulsam verò Melicratum. Plinius eius parandi modum describit, lib.xiv.c.xvii. *Fit vinum ex aqua & melle tantum, quinquennio ad hoc seruari cælestem iubent. aliqui prudentiores, statim ad tertias partes decoquunt, & tertiam mellis veteris adijciunt, deinde quadraginta diebus Canis ortu in sole habent; alij diffusa ita, decima die obturant, hoc vocatur Hydromeli, & vetustate saporem vini assequitur, nusquam laudatius quam in Phrygia.* Dioscorides Melicratum confici dicit ad vnam mellis mensuram, duabus cælestis aquæ veteris, mixtis & insolatis. Columella verò libro xii. cap.xii. Mulsam eodem penè modo præparari docet, quo Plinius Hydromel, & Dioscorides Melicratum. *Per se autem facienda erit, optimo melle aqua Mulsa, hæc autem non vno modo componitur: nam quidam multos ante annos cælestem aquam vasis includunt, & sub dio in Sole habent, deinde cum sæpius in alia vasa transfuderint, & eliquauerint (nam quoties etiam per longum tempus diffunditur, aliquod crassamentum in imo simile fæci reperitur) veteris aquæ sextarium, cum libra mellis miscent: nonnulli tamen, cum austeriorem volunt efficere gustum, sextarium aquæ, cum dodrante pondo mellis diluunt, & ea portione repletam lagenam gypsatamque, patiuntur per Canniculæ ortum, in Sole quadraginta diebus esse; tum demum in tabulatum quod fumum recipit reponunt; non-*

nulli

nulli quibus non fuit curæ cælestem inueterare aquam, recentem ſumunt, eamque vſque in quartam partem decoquunt, deinde cum refrixerit, ſiue dulciorem Mulſam facere volunt, duobus aquæ ſextarijs, ſextarium mellis permiſcent; ſiue auſteriorem, ſextario aquæ dodrantem mellis adijciunt, & his portionibus factam in lagenam diffundunt, eamque vt ſupra dixi quadraginta diebus inſolatam, poſtea in tabulatum quod ſuffumigatur reponunt.

Alij tamen ſcriptores diuerſo modo Mulſam præparabant, Paulus Ægineta octuplum aquæ, melli admiſcet, quem etiam Meſue ſequitur; ſed vt vinorum varia genera, quæ robore vel imbecillitate nota ſunt, ita etiam Mulſæ diuerſi gradus. Hipp. lib. III. de ratione victus in acutis, Mulſam aliam dilutam, aliam Meracam ſtatuit. Galenus verò lib. VIII. Methodi, vbi de his agit quæ detergunt, tres gradus diuerſos recenſet, aliam eſſe Mulſam Aquoſam, aliam mediocris mixturæ, & Mulſam meraciſſimam; ita vt diluta & Meraca extremi ſint gradus, Mediocris verò maiorem habeat latitudinem, ita vt illa meracior ſit dicenda, quæ multum mellis, & exiguum aquæ habeat, diluta verò quæ plurimum aquæ, mellis verò exiguum. nam prout ad varios vſus parabatur, ita etiã diuerſo modo conficiebatur. Vnde Hipp. III. de ratione victus in acutis, Text. III. dicit, *Mulſam quæ dilutior eſt, ſputum magis educere, pulmonem lenire, quæ verò Meracior, ſpumoſa excrementa, atque plus quàm conuenit valdè bilioſa, calidioraque quàm diluta magis mouet.*

Ex quibus conijcere poſſumus dilutam Mulſam eſſe, quam Paulus Ægineta deſcribit, vtpote quæ octuplum aquæ Melli miſcet, meracam eſſe Dioſcoridis & Plinij, quæ duabus aquæ menſuris, & vna mellis componitur.

Quædam etiam eſt cocta, quædam cruda; cocta eſt, cum aqua cum melle coquitur, ſpumam ſemper auferendo, donec ſpumare deſinit; talis autem ab Oribaſio, Paulo Ægineta, & Meſue conficitur. Cruda verò, quæ per inſolationem, vt docet Plinius, Columella, alijque; crudum enim mel aquæ admiſcebant,

& Caniculæ æstibus exponebant. Prior longè salubrior est in victus ratione, vt docet Galenus, Melicratum verò, quod paulisper aut nihil coctum fuerit, prius deijcitur, quàm concoqui & in corpus distribui possit. præterea in eo differunt, quod mel non planè coctum, in ventriculo atque intestinis flatus quosdam gignat: contra, quod in coctura spumam omnem abiecerit, flatus est expers, & vrinam mouet.

Potus autem Mulsæ, ad multa vtilis, nutrit enim non parum, si probè in ventriculo concoquitur: non tamen cuiuis naturæ congruus est, sicut enim pituitosos egregiè iuuat, πικροχόλοις seu biliosis & μεγαλοσπλάγχοις, quibus viscera obstructionibus scatent, noxius est.

Vnum tamen hoc loco monendum, aliam fuisse Medicorum Mulsam, aliam quam veteres in delicijs habebant. illa enim ex melle cocto, & fortè temporaria erat, hæc verò ex crudo melle & operosa cura confecta, vt Columella docet, quæ multo seruata tempore, ad vini naturam proximè accedebat. quod Plin. insinuat lib. XXII. cap. XXIV. *in Mellis operibus & aqua Mulsa tractari debet, duo eius genera, subitæ & recentis, alterum inueteratæ. repentina, despumato melle præclaram vtilitatem habet, in cibo ægrotantium leui, hoc Alicæ elutæ, viribus recreandis, ore stomachoque mulcendo, ardore refrigerando &c. inueteratæ vsum damnauêre posteri, minus innocentem aqua, minusque firmam vino. Longa tamen vetustate transit in vinum, vt constat inter omnes, stomacho inutilißimam, neruisque contrariam.* idem etiam libro XXXI. cap. VI. suo tempore damnatum dicit. *Hydromeli quoque, ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur vinum appetentibus ægris, innocentiore potu. damnatum iam multis annis, ijsdem vitijs quibus vinum, nec ijsdem vtilitatibus.*

Erat & Nix Mulsa Græcis dicta χιονόμελι. Constantinus Cęsar Geoponicon lib. VIII. cap. XXVII. *Alij niuem per se cum melle committunt, & trita reponunt. hinc in æstuosis febribus, medela petitur; & χιονόμελι, hoc est Nix Mulsa vocatur.* Sed potionem hanc

hanc periculoſam iudicarent Medicorum filij. Hodierno tempore apud Septentrionales populos, genus potus, non multum à mulſa diuerſum paratur, Medonem vocant, quod Iſidoro nō videtur ignotum fuiſſe, originum libro xx. *Medus quaſi Melus, quia ex melle fit, ſicut calamitas pro cadamitas.*

Hanc illi potionem, non ſimplici illa cura qua veteres Mulſam ſuam, præparant; ſed Aromata varia, herbas odoriferas illi permiſcent, nonnunquam & Lupulum Salictarium addunt, vt ætatem queat ferre: alij & fermentum vel cereuiſiæ ſpumam, quo citius ſcilicet feruere & defæcari poſſit. tanta verò diligentia, & impendio Medonem ſuum, Sarmatiæ populi præparant, vt cum vinis aliquando certare poſſet; & lautiorum tantum menſas, quædam eius genera ſubeant, adeo etiam interdum viribus pollet, vt inſtar generoſi vini ebrietatem inducat. Vtiliſſimus hic potus, à natura videtur frigidiori illi cœlo datus, vt calore ſuo, regionis algori reſiſtat; tenuitate & acrimonia, craſſos & pituitoſos humores extenuet & incidat, omnibuſque morbis ex frigidis humoribus ortis opem ferat. Vidi hic Antuerpiæ paratam Mulſam, quæ cum Vino Hiſpanico certare poſſet, vt optimè dixiſſe mihi viſus fuit Plinius, longa vetuſtate tranſire Mulſam in Vinum.

CAPVT XV.

Acetum Vinum mortuum. Vini vitium, ὄξος ab Atticis dictum. Saxa rumpit. Militaris potus. Poſca eadem cum Oxycrato. φοῦσκα etiam dicta. Petri Bellonij opinio reiecta. Non eſt Zythum aut Curmi antiquorum.

CVm Vini ſoboles ſit Acetum, (per putrefactionem enim ex illo oritur) tempeſtiuum eſt, poſt enarratas Vini dotes & differentias, de eius etiam viribus diſſerere; cuius non ſolùm in re cibaria, ſed etiam in medicamentorum præparationibus,

tionibus, magnæ dotes ſunt conſpicuæ. Galenus ab aliquibus Vinum mortuum vocatum refert lib. I. de Simplicium Med. facultatibus cap. XXX. ὥσπερ οἱ λέγοντες οἶνον τεθνεῶτα, καὶ νεκρὸν εἶναι τὸ ὄξος. *Veluti qui acetum vinum mortuum aſſerunt.* Plinius verò vini vitium vocat lib. XXIII. cap. I. *Vini etiam vitium tranſit in remedia: Aceto ſumma vis eſt in refrigerando, non tamen minor in diſcutiendo.* Eſt autē frigidæ pariter & calidæ facultatis, & tenuium partium; ita tamen, vt calorem frigida qualitas longè ſuperet; cùm enim propriam vini caliditatem amiſit, aliam quidem & extraneam ex putredine aſſumpſit caliditatem: ſed quia refrigerandi vires nimis manifeſtæ ſunt, ideò à Dioſcoride abſolutè refrigerare acetum dicitur. Veterum quidam in eo fuere errore, vt non ſolum calefacere, ſed etiam Cauſticam vim illi ineſſe dicerent, quia ſanguinis eruptiones validè cohiberet, & tanquam Eſcharam venis obduceret; ſed opinionem hanc acriter Galenus refellit, lib. I. de Simpl. Med. facultatibus cap. XX. Sed aceti vſus ad cōdiendos cibos maximè commendatur, adeò vt ab Atticis, teſte Athenæo lib. II. licet ſolum ſit, condimentum vocetur: quod iucunda ſua aciditate, cęteros ſuperet, ideoq́ue ἥδος, quaſi ἥδυσμα dictum ſit, quod iucundum ſit: vt monuit iampridem Caſaubonus ad Athenæum, ideoq́ue Plinius lib. XXIII. cap. I. *Cibos quidem & ſapores, non alius ſuccus magis commendat aut excitat.* Quod nec Martiali ignotum, libr. VII. epigr.

Nec cibus ipſe placet, morſu fraudatus aceti;
Nec grata eſt facies, cui Gelaſinus abeſt.

Sed præterquam quod iucundo ſuo acore, cibos gratiores reddat, ad multa etiam vtilis eſt eius vſus, vt inquit Plinius lib. XIV. cap. XX. *Aceti nequitiæ, virtus ineſt magnos ad vſus, ſine queis vita mitior degi non poteſt.* Nam vt alibi dixit, *in totum domitrix vis hæc non ciborum modo, ſed & rerum plurimarum: ſaxa rumpit infuſum, quæ non ruperit ignis antecedens,* de Hannibale loquitur; quem conſtat Aceti beneficio, Alpes tranſiiſſe. T. Liuius lib. XX.

arden-

ardentiaque ſaxa, infuſo aceto putrefaciunt, ita torridam incendio rupem, ferro pandunt. Iuuenalis Satyra x.

Diduxit ſcopulos, & montem rupit Aceto.

Obſonijs etiam olim adnumeratum, ſed pauperum tantum, qui pane veſcebantur cum ſale & Aceto. Plautus in Rudente.

Sed hic Rex, cum Aceto pranſurus eſt, & pane, ſine bono pulmento.

Militibus etiam familiarem potum fuiſſe, ſcriptores Hiſtoriæ Auguſtæ docent. Vulcatius Gallicanus, in Auidio Caſſio. *Præter Lardum & Buccellatum, & Acetum, militem quicquam in expeditionibus portare prohibuit.* Ælius Spartianus in Peſcennio Nigro. *Idem iuſſit, vinum in expeditione neminem bibere, ſed Aceto vniuerſos contentos eſſe.* Non quod Acetum biberent purum, ſed quod illud ſecum portarent, vt aquæ miſcerent, vbi vſus poſceret, ac potum ſemper paratum haberent; hunc potum Græci ὀξύκρατον, Latini Poſcam vel Puſcam vocarunt; Inuenio etiam à Græcis, prȩſertim medij æui, ſcriptoribus, φοῦσκαν dictam. Miſcendi autem aquam cum aceto, ratio nulla certa prȩſcripta erat, variè namque pro cuiuſque palato temperata; olim in frequenti vſu fuiſſe ex Suetonio in Vitellio poſſumus colligere, qui cap. XII. refert Aſiaticum, eius libertum Puteolis quondam Poſcam vendidiſſe. Plautus etiam in Milite glorioſo Poſcæ mentionem facit, quæ in Thermopolio vendebatur.

Alij ebrij ſunt, alij Poſcam potant via.

Agricolæ etiam & Meſſores, in æſtuoſis regionibus Poſca vtebantur, vt potu refrigerante, quò minùs ab ardore ſolis læderentur. Refrigerandi enim facultate, tum & adſtringendi eſt prȩdita, tum interius aſſumpta, ac exterius admota.

Petrus Bellonius lib. II. obſeruationum cap. CXVIII. contra communem opinionem, diſtinguit Oxycratum à Poſca, illud eſſe acetum aqua temperatum fatetur, Poſcam verò eſſe Zythum antiquorum: ſiquidem Zythum erat potio ex hordeo parata vt & Curmi, vt auctor eſt Dioſcorides lib. II. ca. LXXIX. de qui-

de quibus mox dicturus: quæ potiones potius emollientes sunt, Posca verò inter adstringentia adnumeratur. Cornelius Celsus lib.II. cap. XXX. inter res quæ aluum adstringunt, Poscæ meminit. *Minutæ aues, Merulæ, Palumbus, magisque si Posca decoctus est.* Plinius lib.XXX. cap.VII. Celsi sententiæ subscribit, *Tormina sanat, Lien ouium tostus, atque è vino potus: Palumbus ferus ex Posca decoctus.* Quæ nemo de Zytho, aut Curmi dicta credet; Poscam enim ob aceti vim, adstringendi facultatem habere, quotidiana nos docet experientia, vt in sanguinis sputo, similibusque malis quotidie videmus.

Ideoque Celsus & Plinius, Palumbum ex Posca decoctum exhibent, vt adstrictionem ex illa acquirat, quam ex hordeo nunquam haberet quòd facultatem emolliendi habet. Aetius lib.III.cap.LXXX. & LXXXI. meminit Poscæ aluum emollientis. Titulo φοῦσκα μαλακτικὴ κοιλίας. Varia enim medicamenta, cōpositionem illam ingrediuntur, quæ ventrem soluunt; illa enim sicca iubet seruari, & dari ex ὀξυκράτῳ. ita vt Poscam seu Phuscam videatur vocare, quia ex Oxycrato sumebatur; nec enim probabile est, Zythum fuisse Poscam, cum nusquam constet veteres hordeaceas potiones cum Aceto miscuisse. Sed opinionem nostram luculentè magis confirmat Paulus Ægineta libr. VII. cap. XI. de Antidotis, inter cętera Titulus est φοῦσκα λίθων θρυπτική. *Posca calculos atterens. Pulegij, mastiches, seminis Apij, menthæ siccæ singulorum vnc.I. salis communis torrefacti. lib.I. seminis Coriandri, Spicæ nardi, anisi, Ammij. sing. scrup.* VI. *folij scrup.* IV. *piperis albi vnc.*V. *aut communis vnc.*I. *Lithospermatis sexuncem, bethonicæ sexuncem, aceti boni sextar.*V. *omnia tusa, cribrata, ac leuissimè trita, per triduum aceto immisceto, & per dies* XL. *insolato. quidam verò relatarum specierum puluilli scrup.* XII. σὺν ὀξυκράτῳ siue posca, *exhiberet.* Vbi manifesto vides Æginetam, cum aceto compositionem paratam Phuscam appellare, & siccos puluerescum Oxycrato, seu Posca ægris præbere. Sed lubet disputationem hanc concludere verbis Cælij Rhodigini, viri citra contro-

controuersiam doctissimi, Antiquarum Lectionum lib. xxx. c. xxv. *Oxycratum verò, aqua est aceto temperata, Latinis Poscam dicere moris est*. Plutarchus de Catone Censorio, docet illũ aliquando, aquam puram bibisse, aliquando aceto mixtã, siue Poscam, ὕδωρ δὲ ἔπινεν ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἴποτε διψήσας, περιφλεγῶς, ὄξος ᾔτησεν, ἢ ἰσχύος ἐνδιδούσης ἐπιλάβοι μικρὸν οἰνάριον. *Aquam bibit in militia, nisi in acri siti & calore, acetum posceret, aut viribus defectus, aliquod villum sumeret*. Sed omnem dubitationem tollit, Ælius Spartianus in vita Hadriani. *Cibis etiam Castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est, Larido, Caseo & Posca, exemplo Scipionis Æmiliani, Metelli, & auctoris sui Traiani*. Itaque cum alij scriptores, acetum inter militares cibos referunt, quia aquæ miscerent: Spartianus Poscam vocat, nempè aquam aceto mixtam.

CAPVT XVI.

Οἶνος κρίθινος. *Zythus Ægyptiorum, eius auctor Osiris.* Βρῦτον, βρύτιον. *Sabaium Dalmatis dictum.* Πῖνον *Aristoteli.* Φοῦκα *Simeoni Zethi. Ebur Zytho mollescit. Ioannis Gorrei lapsus. Zythum ex pane. Camum.*

VEtustissimis temporibus, varij populi quibus natura vitium culturam negauerat, ex frugibus aqua maceratis, non insuaues potus sibi concinnarunt, vt nusquam terrarum cessaret ebrietatis lenocinium. Ægyptij ab Osiride edocti, vt auctor est Diodorus Siculus lib. I. potum ex hordeo saporis bonitate, paulo vino inferiorem confecerũt, quem οἶνον κριθίνον, *vinum ex hordeo*, antiquiores nuncuparunt. Herodotus in Euterpe, dicit Ægyptios ob vini inopiam. Οἴνῳ δ' ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται. *Vino vti parato ex hordeo.*

Theophrastus lib. VI. de causis Plantarum cap. XV. ὡς οἱ τοὺς οἴνους ποιοῦντες, ἐκ τῶν κριθῶν, καὶ τῶν πυρῶν, *vt qui vinum ex hordeo tritici*-

cóve conficiunt. Varia mox nomina, diuersæ gentes huic potui indidere, Ægyptij Zythum vocarunt: Hysichius, ζῦθος, οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος. *Zythus potus ex hordeo paratus.* Vnde Columellæ, dicitur Zythus, potus Peleusiacus, quod in Ægypto vel primo inuentus, vel nomen illi hoc inditum.

Vt Peleusiaci proritet pocula Zythi.

Plinius vltimis verbis lib.XXII. *Ex ÿsdem frugibus sunt potus, Zythum in Ægypto, Cælia & Ceria in Hispania, Ceruisia & plura genera in Gallia, alÿsque prouincÿs.* Veteres tamen Græci, vt Sophocles in Triptolemo, & Hecatæus in Europæ periodo, apud Athenæum lib.x. βρύτον vocant. Hysichius verò βρύτιον πῶμα ἐκ κριθῆς. *Bryttion potus ex hordeo.* à qua voce, non omnino temerè quidam suspicantur, vulgarem nostram *Birram*, originem duxisse.

Sabaium etiam Dalmatis & Pannonijs olim dicebatur. D. Hieronymus in Isaiam cap. XIX. *Zythum genus est potionis, ex frugibus aquaque confectum, & vulgo in Dalmatiæ, Pannoniæque prouincijs, gentili barbaroque sermone Sabaium appellatum, hoc maximè vtuntur Ægyptij.* Hinc Valens Imperator contumeliosè ab hostibus, Sabaiarius appellatus, quia apud Cibalas Pannoniæ oppidum natus. Ammianus Marcellinus lib.XXVI.

Valens Nicomediam pergit, exinde profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cuius è muris probra in eum iaciebantur, & iniuriosè compellebatur vt Sabaiarius: est autem Sabaia, ex hordeo, vel frumento in liquorem conuersus, pauperrimus in Illyrico potus.

Athenæus verò lib.x. ab Aristotele lib. de Temulentia. Πίνον vocari auctor est, cuius verba lubet hic apponere, *At peculiare quidpiam contingit, in vino ex hordeo confecto, quod* Πίνον *nuncupât, reliquis enim potionum generibus, quæ inebriant, temulenti in omnem partem labuntur, dextram, sinistram, proni, supini; at Pino poti, supini tantum & in posteriora reclinantur.*

Simeoni verò Zethi φοῦκα dicitur, obliterato Zythi nomine.

Varijs

Varijs itaque nominibus, potus ex hordeo paratus dicebatur, Vinum ex hordeo, Zythus, Brytum, Sabaium, Pinon, Phuca, Ceruiſia; ex quibus, notiſſima ſunt Zythi & Ceruiſiæ nomina; ſed quia Zythus in aliquibus à Ceruiſiæ conditura differre videtur, de illa ſeorſim dicam.

Conficiebatur autem Zythus ex hordeo putrefacto, vt refert Theophraſtus lib. VI. de cauſſis Plantarum cap. XV. *Nonnulli verò naturam commutantes, & leuiter putrefacientes, in ſuccos cogimus ad bibendum idoneos, veluti qui vinum ex hordeo, & frumento conficiunt, quod in Ægypto Zythum appellant.* itaque fiebat ex hordeo putrefacto, & aqua madefacto, donec reſoluatur in liquorem, vnde acrimoniam acquirebat, ac mali ſucci erat. Dioſcorides lib. II. cap. LXXXIX. auctor eſt, Zythum vrinas pellere, renes tamen lædere & neruos, Cerebri membranis pręcipuè nocere, inflationes excitare, maloſque in corpore humores, quin etiam elephantiaſim inducere; non abſimile eſt Galeni iudicium lib. VI. de ſimpl. Medicamentorum facultatibus capite de Zytho. Simeon verò Zethi, illos refellit, qui Phucam (quæ eadem cum Zytho eſt) adeo noxiam dicunt. *Recentiorum autem quidam, priſcorum rationes redarguunt, aiuntque hunc potum, in multis vtilem: incolumitatem ſanitatemque afferre, & reuera quidem prodeſt ijs, qui calidiore ſunt temperamento, & in primis ventriculo. ijs autem qui ſtomacho vdo ſunt, & qui temperamentum frigidius habent, valdè nocet.* Non eſt mirum ab antiquioribus illum diſſentire, nam eius ætate, in vſu erat parare Zythum, vt ætatem ferret, quod & Plinij æuo factum ſcimus. Phucam verò eundem potum eſſe cum Zytho, auctor eſt Simeonis Zethi interpres V. Doctiſſimus Lilius Gregorius Gyraldus, tum etiam, quod eius deſcriptio cum Dioſcoride maxima ex parte conuenit, qui etiam inter cętera addit, Ebur in Zytho maceratum molleſcere, Simeon Zethi idem Phucæ adſcribit, *Ferunt etiam quod ebur in eo ad tempus immerſum, maceratur molleſcitque cera*, Plutarchus etiam libello, An vitioſitas ad infelicitatem

 ſuffi-

ſufficiat. *Quemadmodum ebur Zytho mollitum flectitur & cõformatur, aliter autem nõ poteſt.* Plinius verò hoc animali tribuit, quod cæteri ſcriptores ebori, lib. VIII. cap. VII. *Elephanti capti, celerrimè mitificantur ſucco hordei.* Sed ex æquiuoco, diuerſitas opinionis inter auctores orta. Nam Græci τοῦ ἐλέφαντος voce, & ebur & animal deſignant.

Sed ab omnibus diſſentit, Ioannes Gorræus V. Doctiſſimus, in definitionibus Medicis, qui putat φοῦκαν apud Aëtium, Poſcam eſſe, quam aliqui φοῦσκαν, vocant, *in quo ebur aliquamdiu maceratum, ceræ inſtar emolleſcat, flexileq́ in opus quodcumque, domito rigore tractetur.* Sed φοῦσκαν iam diximus Poſcam eſſe, nec vllus Scriptorum, ebur poſca vel aceto molliri hactenus dixit, ſed Zytho, vel Phuca.

Dioſcorides etiam alium ex hordeo potũ fieri ſcribit, quem Κοῦρμι, curmi vocabant, eiuſdem cum Zytho facultatis: ſed capitis dolorem, inducere, malum ſuccum gignere, & neruis nocere dicit. Ex Pane etiam Zythum quondam paratum, docet Vlpianus, lege, ſiquis Vinum IX. Dig. lib. XXXIII. de Tritico, vino, vel oleo legato. *Certè Zythum quod in quibuſdam prouincijs, ex Tritico, vel hordeo, vel pane conficitur, non continebitur; ſimili modo, nec Camum, nec Ceruiſia continebitur, nec Hydromel.* Vbi obſeruo, alibi Zythum etiam ex pane paratum fuiſſe, quod apud Claſſicum auctorẽ non memini me legiſſe, tum etiam diſcrimen inter Zythum & Ceruiſiam tanquã res diuerſas ſtatuere. Doctiſſimus Cuiacius, in ſuis obſeruationibus, monet legendum Panicum, non abſque probabili ratione, ſiquidem Panicum teſte Dioſcoride lib. II. cap. XCI. *Frumentaceis ſeminibus annumeratur, Milio ſimile, eodemq́ modo in Panes ſubigitur.* Quod ſi Peones ex Milio potum confecerunt, teſte Hecateo apud Athenæum, lib. X. non improbabile eſt, poſtmodum gentes aliquas, ex Panico idem feciſſe. Quid autem Vlpiano Camum dicitur, hæret mihi aqua; aliqui, Curmi Dioſcoridis eſſe credunt, idemque eſſe cum Lora Romanorum, quod tamen nullo

nullo modo probare possum, siquidem Loram inter vina quæ Græci Deuteria appellant, Romani inter Vina Operaria numerabant, teste Plinio lib. XIV. cap. X. Vbi varios Loræ præparandi modos exponit. Camum verò annumeratur inter potus, qui ex frugibus conficiebantur, qui nihil cum vino commune habent. Hieronymus Mercurialis lib. V. variarum lect. cap. I. credit genus aliquod potionis fuisse, ex varijs rebus commixtum, perinde ac Ceruisiam, ita vt cibi potabilis formam referret, alicui nationi tunc temporis familiare. De quo fortassis Cælius Aurelianus libr. II. de Morbis Acutis cap. X. de ijs quæ Catalepsim inducunt. *Sciendum igitur, quia hæc passio, ex ijsdem caussis antecedentibus fit, quibus aliæ quoque passiones efficiuntur, indigestione, vinolentia, Camali cibo, & horum similibus rebus.*

CAPVT XVII.

Ceruisia Antiquis nota. Βύνη apud Aëtium. in aliquibus cum Zytho conuenit; etiam differt. Salubris potus. magna diuersitas inter Ceruisiarum genera. Cælia Hispaniæ potus. Spuma Ceruisiæ.

ZYtho affinis est Ceruisia, quæ etiam ex hordeo alijsve frugibus paratur, teste Isidoro lib. XX. originum cap. IV. *à Cerere, id est, fruge vocata, est enim potio ex seminibus frumenti, vario modo parata.* Familiaris est vniuerso Septentrioni, gentibusque vltra Glacialem Oceanum semotis; prouida enim natura, cessante ibi vitium cultura, ob aëris inclementiam, liberali manu frugum copiam præbuit, vnde incolæ, non solum abundè alimentum sumerent; sed & potum sibi, instar vini, nec insalubrem, nec insuauem conficerent. Ab antiquissimis sæculis, Germanos illo fuisse vsos, auctor est Cornelius Tacitus de Mo-

ribus Germanorum. *Potus humor ex hordeo aut frumento, in quamdam similitudinem Vini corruptus.* Occidentis etiam populi, priscis temporibus, in Vini penuria, Ceruisia vtebantur. Plinius lib. XIV. sub finem. *Est & Occidentis populis sua ebrietas, fruge madida, pluribus modis, per Gallias, Hispaniasque, nominibus alijs sed ratione eadem.* In aliquibus cum Zytho conuenit Ceruisia, in aliquibus discrepat; ex hordeo enim leuiter putrefacto, Zythus fiebat, sic & Ceruisia ex hordeo quodammodo putrescente, & à natura sua recedente paratur, quod Maltum omnes vocant. Primò enim hordeum aqua maceratur, donec intumescat, mox germen emittit, deinde cum ipso germine resiccatur ignis opera, quem in hunc vsum constructus fornax, per exigua spiramenta emittit, rarò verò citra ignis beneficium; idque non nisi æstiuis mensibus, vigente æstu, cum sublimi loco, in tabulatis sæpiùs per diem conuertitur: hoc modo præparatum hordeum, Aëtius Tetrabili III. serm. II. cap. XIX. βύνην vocat. *Porrò ex eorum quæ tumores cohibent, numero est & id, quod Byne appellatur. Est autem hordeum madefactum, quod germen, & deinde cum enatis ligulis tostum.* Hysicius βυνεὺς dicitur. Βυνεὺς, σκευασμάτιον κρίθινον. *Compositio quædam ex hordeo.*

Differt autem Ceruisia ab antiquorum Zytho, quod illa recipiat flores Lupi salictarij, siue vt vulgo dicitur, Lupuli, qui à celeri corruptione illam seruant; prohibentque ne facilè acescat, & calorem etiam maiorem in illa excitant, tum etiam obstructiones quæ à frumento, ac præsertim tritico, factas tollunt; Lupulo enim facultas inest viscerum meatus obstructos reserare, ob vim incidendi, & attenuandi, quam habet; & quo plus Lupuli Ceruisiæ inditur, maiorem vim calefaciendi non solum, sed & inebriandi habebit. Vnde etiam Zythi vitijs minus erit obnoxia, illud enim vt supra ex Dioscoride diximus, Renes, & neruos lædit, præcipuèque cerebri membranis nocet, & mali succi est; secus verò videre est, illos qui Ceruisia vtuntur: vt Septentrionalium plerique, boni esse coloris, candidos,

candidos, rubentes; color enim teste Hippocrate libro de Humoribus, denotat humores qui in corporibus nostris abundant.

Veterum autem Zythus, cum ex aqua & hordeo, tantum constaret (quantum ex auctorum scriptis colligimus) facillimè acorem contrahebat, ideoque neruosis partibus infestus; donec modus inuentus fuit, ne cito corrumperetur; Hispanis hoc debebat antiquitas. Plinius lib. XIV. sub finem. *Hispaniæ iam, & vetustatem ferre ea genera docuerunt*; Loquitur autem de potu ex frugibus parato: sed Lupuli beneficio, & Hordei præparatione, Ceruisiæ multum temporis iam durãt, præsertim quæ mense Martio, & Aprile parantur. Additur etiam triticum, vnde & calidior euadit, & magis nutrit, quam si ex solo hordeo constaret.

Ex varia autem frugum & Lupuli mixtura, & coctura, diuersa Ceruisiæ genera, dissimilibus qualitatibus prædita proueniunt. quædam enim sunt secundariæ & tenuiores, potentiores aliæ & generosæ, dulciores nonnullæ, amaræ pleræque. Quæ enim frugum habent plurimum, præsertim tritici, generosiores euadunt; amariores fiunt, cum Lupuli flores copiosius incocti fuerint, ac caput magis feriunt, ex eorum verò parsimonia, dulciores euadunt; fruges enim dulcedinem conferunt, Lupulus verò amarorem, non omnino ingratum; itaque pro ratione frugum, & Lupuli, calidiores & frigidiores redduntur Ceruisiæ. Qua de caussa tenuissimæ & imbecilles frigidæ sunt, & humidæ, superante in illis aquæ qualitate, ac substantia, cum parum frugum, aut Lupuli illis admixtum fuerit. Potentiores plus caloris habent, præsertim si Lupuli, & tritici maior quantitas incocta fuerit, vnde etiam in vasis conditæ fluctuant; & non secus ac Mustum feruent. minus tamen quàm mediocre vinum calidæ, à quo non solum caliditate tẽperamenti, sed etiam substantiæ tenuitate superantur. Contingit tamen aliquando, Ceruisias aliquas senescentes insignem

tenui-

tenuitatem adipiſci, ita vt aquoſum vinum tenuitate ſua referant.

Alimentum quidem ſecundariæ, exiguum præbent, generoſiores verò copioſius; ideoque videre eſt modico cibo contentos eſſe, qui tales Ceruiſias liberalius bibunt: omnes autem probi ſucci ſunt, ſi ex bonis frugibus parentur, & bene decoctæ fuerint. Sed cauendum à recēti Ceruiſia, non ſecus atque à Muſto; nam quæ necdum à fecibus depurgatæ fuerint, inflationes ventris pariunt, aluum turbant, calculum procreant, ac vrinæ ſtillicidium, ſeu ſtranguriam frequentiſſimè excitant.

Ceruiſiæ etiam non ſecus ac vino, inebriandi vis ineſt, vt nō immeritò exclamet Plinius. *Heu mira vitiorum ſolertia, inuentum eſt, quomodo aqua inebriaret.* Quod à Lupulo potiſſimum accidit, alijſque rebus halituoſis Ceruiſiæ incoctis, in aliquibus enim Chamepeucæ permixta, reddit Ceruiſias adeo validas, vt parum abſit, quin potores ad inſaniam redigantur.

Sed mirantur quidam, vnde Zytho, & veterum Ceruiſiæ vis inebriandi eſſet, cum Lupuli floribus carerent, nullus certè auctor hactenus ſcripſit, tunc temporis in vſu fuiſſe? Probabile eſt, fruges maceratione, putrefactionem quandam acquiſiuiſſe, & empyreuma, vnde & acriores redditæ, cerebrum peterent, quod in Cælia Hiſpanorum eueniſſe ſcriptores probant, Iſidorus Hiſpalenſis lib.xx. originum. *Cælia à calefaciendo appellata: eſt enim potio ex ſucco tritici per artem confecta: ſuſcitatur enim igne, illa vis germinis madefactæ frugis, ac deinde ſiccatur, & poſtea in farinam redacta, molli ſucco admiſcetur, quo fermentato, ſapor auſteritatis & calor ebrietatis adijcitur, quæ fit in ijs partibus Hiſpaniæ, cuius ferax vini locus non eſt.* Hæc ad verbum ex Paulo Oroſio lib.v. Hiſtoriarum cap.vii. deſumpta. Huius etiam potus mentionem facit L. Florus lib.ii.cap.xviii. de excidio Numantiæ. *Cum ſe prius epulis, quaſi inferijs expleuiſſent, carnis ſemicrudæ, & Cæliæ, ſic vocant indigenæ, ex frumento potionem.* Cuius

etiam Plinium meminiſſe ſupra diximus. *Ex iiſdem frugibus ſunt & potus, Zythum in Ægypto, Cælia & Ceria in Hiſpania.* Nulla itaque cauſſa eſt quod dubitet Iulius Alexandrinus, Salubrium lib.XVI.cap.VIII. an Zythum olim etiam temulentos redderet, quia Lupulus illi non admiſceretur; nam manifeſto hoc accidiſſe, Pinon potantibus, ex Ariſtotelis lib.de Temulentia ex Athenæo ſupra oſtendimus.

Apud veteres etiam Ceruiſiæ ſpuma, ad varios vſus ſeruabatur, nam fermenti loco admiſcebant pani, quod Gallos & Hiſpanos factitaſſe, ſcribit Plinius lib.XVII.cap.VII. *Galliæ & Hiſpaniæ, frumento in potum reſoluto, quibus diximus generibus. Spuma ita concreta pro fermento vtuntur, qua de cauſſa, leuior illis quam cæteris panis.* Hodierno die illius vſus eſt, apud Belgas & Germaniæ aliquot populos, à qua panis etiam inſignem leuitatem accipit. Ad feminarum etiam cultum Ceruiſiæ ſpuma veteres vtebantur, Plinius ſub finem lib. XXII. poſtquam de Zytho, Cælia, Ceria & Ceruiſia dixiſſet, addit, *Quorum omnium ſpuma, cutem feminarum in facie nutrit.* Propter vim deterſoriam, niſi fallor, quæ ſpumæ ineſt.

Sed præter hęc potus genera, quæ ex frumento, vel hordeo veteres parabant, refert Hecatæus, apud Athenęum lib.x. Pæonas ex Milio, & oryza, ſolitos potum conficere; quem Parabiam dixere. Hellanicus etiam, ibidem refert Brytum ſeu Zythum, ex radicibus parari, quemadmodum Thraces ex frugibus. Pro Corollario ſit, Elegans hoc Epigramma Iuliani, εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς lib.I.Epigr.Græcorum.

> Τὶς; πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον,
> Οὔσ' ἐπιγιγνώσκω, τὸν Διὸς, οἶδα μόνον.
> Κεῖνος, νέκταρ ὄδωδε. σὺ δὲ τράγου. ἦ ῥά σε Κελτοί,
> Τῇ πενίῃ βοτρύων, τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων.
> Τῷ, σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
> Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

Quod non infeliciter Eraſmus Latinum reddidit.

Bacche quis? vnde venis? verum tibi deiero Bacchum,
Te haud noui, tantum est cognitus ille Iouis.
Is Nectar redolet, hircum tu: dic age, num te
E spicis finxit Gallia vitis inops?
Non igitur Bacchum te deiero, sed Cerealem
Et frumentigenam, nec Bromium, imo Bromum.

CAPVT XVIII.

Vinum ex Palmis; Sidra ex pomis malisque fit. Sicera quid. κύκεων *antiquissimus potus, variè olim parabatur.* Πενταπλόα. *Cinnus parum à cyceone diuersus. Dodra. Aqua vitæ.*

PLures sunt factitiæ potiones, cuique genti familiares, mihi tantum illas enumerare est animus, quæ frequentiores sunt. ex omnibus penè fructibus, veteres potum pararunt, vini factitij nomine; de quibus fusè Plinius lib. XIV. cap. XVI. *Itaque non miror innumerabilia penè genera factitij reperta, multis ante sæculis, quæ nunc dicemus, omnia ad Medicinæ vsum pertinentia.* Præ cæteris autem, in vsu erant vina ex Palmis, atque ex Pomis, quæ adhuc apud plerosque populos in honore sunt. Sed vini ex Palmis vsus in India, & Oriente. de quo Plinius citato loco.

Primumque è Palmis, quo Parthi & Indi vtuntur & Oriens totus, maturarum, quas Chydæas vocant, modio in aquæ congijs tribus macerato, expressoque.

Iosephus Acosta, libro de facultate simplicium Medicamẽtorum, quæ ex India aduehuntur, alium modum refert, quo Indi nunc vinum ex Palmis conficiunt, excindunt enim ramos aliquos, ex quibus liquor paulatim destillat, quem incolæ vasis angusti orificij excipiunt; ac vini loco bibunt, verumtamen, nisi

nisi liquor ille excoquatur, post triduum, in acetum acerrimum degenerat; ideoque succum illum decoquunt, vt olim solebant Defrutum parare: fitque hoc modo velut mel suauissimum, quod postea ex aqua resoluunt, & viginti diebus percolant, donec optimè sit defæcatum; quo artificio iucundissimus potus redditur, diutissimèque perdurat.

Dioscorides lib.v.cap.xxxiv.dicit, *Suaue quidem hoc vinum esse, sed capiti noxium; contra fluxiones propter adstrictoriam vim efficax, stomachicis, Cæliacis, sanguinem expuentibus conuenire.* Plinius verò lib.xxiii.cap.i. paulum diuersus à Dioscoride. *In reliquis omittatur & Palmeum capiti noxium, ventrique tantum molliendo & sanguinem excreantibus non inutile.* Sed vix conueniunt duę illæ contrariæ facultates, *ventrem mollire, & sanguinem fluentem sistere.* Dioscorides propter facultatem adstringentem, contra fluxiones esse efficax, ideoque Cæliacis etiam prodesse. Plinius verò dicit ventrem mouere, contra omnem rationem: qua de caussa Ianus Cornarius Vir Doctissimus, vt Plinium ab errore tueatur, ventrem morando, pro molliendo legendum sentit.

Sed hic potus ex orbe nostro exulat, quare ad nobis vsitatos descendo.

Fit etiam ex pomis, pyrisque potus, veteres vinum vocabant. Plinius. *Vinum fit è Siliqua Syriaca, & è pyris malorumque omnibus generibus.* Dioscoridi vinum ex Pyris Ἀπίτης οἶνος dicitur, stomacho vtile, & intestinas fluxiones cohibet propter adstrictoriam facultatem qua pollet. Palladius mense Februario, Titulo xxv. modum conficiendi docet. *Vinum de Pyris fit, si contusa & sacco rarissimo condita, ponderibus comprimantur aut prælo. Hyeme durat, sed prima acescit æstate.* nostro æuo Sidra vocatur, fortè à Sicera defluxit, cuius in Sacris frequens mentio, exigua enim mutatio est, de qua Isidorus originum lib.xx. *Sicera est omnis potio, quæ extra vinum inebriare potest. cuius licet nomen Hebræum sit, Latinum sonat, pro eo quod ex succo frumenti, vel pomorum conficitur, aut palmarum fructus in liquorem exprimantur, coctisque frugibus,*

bus aqua pinguior, quasi ſuccus colatur, & ipſa potio Sicera nuncupatur. itaque cum potus ex pomorum ſucco paratus, etiam Sicera dicebatur, leui mutatione Sidra fuit poſtea dicta. Fit autem ex pyrorum aut pomorum ſuccis prælo expreſſis, mox etiam non ſecus ac vinum, feruet, ac fœculentas partes ſeparat. ad caliditatem, autem, vel frigiditatem vergit, prout ex pomis dulcibus, vel acidis conſtat, flatus tamen ſemper parit, caput ferit, ſed guſtui placet. Calidiori cœlo, quæ ex acidis pomis fit Sidra, ſalubrior, ſicuti frigidiori quæ ex dulcibus, atque dum acore mnon contrahit, ſalubrior. in Cantabria, & Aſturia Hiſpaniæ regionibus, vbi ob cœli inclementiam, exiguus eſt vini prouentus, magno eſt in honore, ſicuti etiam in Galliæ partibus, quæ Belgicam attingunt, frequens eſt vſus.

Vetuſtiſſimis etiam temporibus in vſu fuit, potionis genus κυκεὼν dictum. Erat autem Cyceon, miſcellaneus potus ex varijs rebus, qui alimenti & potus rationem habebat; interdum enim ex vino & melle, interdum ex vino & caſeo, admixta polenta conficiebatur. Homeri Scholiaſtes, Κυκεὼν δὲ λέγεται, τὸ ἐξ οἴνου, καὶ μέλιτος, ἀλφίτων, καὶ ὕδατος, καὶ τυροῦ ἀναμεμεγμένον πόμα. *Cyceon mixtura eſt ex vino, melle, polenta, aqua & caſeo;* idem ferè Heſychius, niſi quod caſei non meminit. apud Homerum Iliad. 11. Hecameda apud Neſtorem, Cyceonem præparans, tantum caſeum, & polentam cum vino miſcuit, nulla mellis, & aquæ mentione facta. Hipp. lib. 11. de Diæta variam eius miſcellam refert. *Cyceon autem ſolum, in aqua quidem frigefacit ac nutrit, & aluum ſiſtit: in melle autem calefacit quidē minus, ac nutrit, per aluum verò magis ſecedit: ſi non meracum mel fuerit, ſin minus non ſecedit, ſed aluum ſiſtit. in Lacte verò bene alunt omnes Cyceones.*

Annutius Foëſius, in Oeconomia Hippocratis, in voce Κυκέων, refert veteres, etiam miſcellanea potione vſos fuiſſe, ex Melle, Polenta, Caſeo, Vino, & olei modico; non multum diuerſa à Cyceone; quam Pentaploam vocarunt, ex quinque rerum mixtura, qua conſtabat, cuius mentionem facit Athe-

næus

næus libr. 11. Sed non assequitur mentem auctoris, Vir doctus. Siquidem Athenæus ex Aristodemo, refert in Schiris, propè Athenas locus est, ludos fieri, in quibus iuuenes, à Bacchi templo, ad Schirados Mineruæ delubrum, currere moris est; victorem, Calycem quem Πενταπλόαν vocant, præmium auferre, & cum iuuenum cœtu comessari, subiungit, Πενταπλόα δὲ ἡ κύλιξ καλεῖται, καθόσον οἶνον ἔχει, καὶ μέλι, καὶ τυρὸν, καὶ ἄλφιτον, καὶ ἐλαίου βραχύ. *Pentaploam, Calicem eum dicunt, eò quòd vinum capiat, & mel, & Caseum, Polentam, & olei modicum.* Itaque Pentaploa, Calyx vel poculum vocatur, quia miscellaneam illam potionem, seu Cyceonem, contineret, quæ ex quinque dictis rebus constabat.

Latinis videtur Cinnus dici, vel saltem potus Cyceoni valdè affinis. Nonius Marcellus, in verbo Concinnare. *Sed proprietas verbi hæc est, quod apud veteres, Cinnus potionis genus, ex multis liquoribus confectum dici solet.* Idem penè in dictione Cinnus. Arnobius lib. v. aduersus gentes, satis clarè hoc videtur asserere, vbi de Cerere loquitur, *Sitienti,* inquit, *ardori, oggerit potionem Cynnum, Cyceonem quem vocant Græci.*

Non multum dissimilis erat Romanorum potio, quæ quod ex nouem diuersis rebus parabatur, Dodra dicebatur, cuius nomen, nusquam nisi apud Ausonium legisse memini, Epigram. LXXXVI.

Dodra vocor, quæ caussa? nouem species gero; quæ sunt?
Ius, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.

Ita vocatur, quod ex nouem diuersis rebus constaret, siue ex Dodrante, continet enim Dodrans nouem vncias, quæ tres libræ partes constituunt, Idem Auctor Epigr. LXXXV. clarè docet

Dodra ex Dodrante est, sic collige, ius, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, nouem.

Superest de Aqua Vitis, vel Vitæ dicta, aliquid dicere, nam & Vini & Ceruisiæ soboles est, quæ passim specioso hoc titulo, in honore est; præsertim apud plebeios: aiunt stomacho esse

 gratam,

migratam, flatus ac ventris tormina discutere, spiritus vitales mirum in modum recreare, concoctionem promouere, atque alimẽti distributionẽ adiuuare. Sed magnis noxis dotes illæ compensantur, hepar enim nimis ardenti sua qualitate accendit, ob celerem eius penetrationem; sitim inducit, renes inflamat, cerebrum percellit, biliosum humorem auget, atque ardentibus febribus potores obnoxios reddit. Quinimò crudos humores è ventriculo celerrimè transmittit, atque pertinaces in venis Mesaraicis obstructiones inducit; Longa etiam experientia nos docuit, ex frequenti vsu Aquæ vitæ, seu vt alii qui dicunt, Vini Ardentis, exusto tandem hepate, & exhausto viscerũ calore, multos repentè in Hydropem lethalem incidisse, (quod etiam euenisse illis, qui vino liberalius se ingurgitant, obseruauit Cardanus comment. in secundũ lib. Progn. Hippocratis in principio.) Nam cum concoctio peragitur beneficio caloris innati, bene temperati, si calor ille nimis augetur, intemperies illa non promouet concoctionem, sed potius subuertit, ideoq́ue loco boni sanguinis, serosum generat & aquam copiosam, vnde Hydropes oriuntur.

Hyberno verò tempore, & robustis hominibus qui frigori se exponunt, non omnino inutilis. Sic etiam apud Septentrionales populos, tutius assumitur, vt aëris inclementiæ se tutius committant. Immò asserunt fide digni, Sarmatiæ & Moscouiæ populos, magna satis copia innoxiè illam bibere. Credendum tamen, nullum vel exiguum nutrimentum, inde corpori accedere, ob igneam qualitatẽ qua pollet, ignis enim vi per Alembicum, ex vini, vel Ceruisiæ fæcibus educitur, vnde non foueri dicemus eius ope humanos spiritus, qui temperati sunt, sed potius inflammari & exuri. Sed extrinsecus adhibita, vehiculum censemus aliorum medicamẽtorum, propter insignem penetrandi vim, & tenuitatem qua prædita est, præsertim in affectibus frigidis, aut à crassis humoribus ortis; vnde etiam tanquam basis quædam, in pretiosis distillationibus, & quas

Chy-

Chymici Quintas essentias vocant, iure habetur. Longe etiam efficacior erit, quæ ex puro vino, quam quæ ex eius fæcibus, vel Ceruisia educitur, adeò autem ignis naturam refert, vt illi admota, instar Naphtæ statim flammas concipiat: modicus eius vsus præsertim in frigidioribus regionibus non inutilis, nimius ob noxas iam dictas, damnatur.

CAPVT XIX.

Ptisana non ex solo Hordeo parata. quædam integra, quædam colata dicebatur. alij aliter parant. Damnatur Hordei Farina in vsu Ptisanæ. Immò & hordeum fractum. Aqua Hordei Arabum inuentum dicitur, Hipp. eius meminit.

SAluberrimus Ptisanæ vsus in acutis morbis, ab omnibus medicis celebratur, adeo vt nihil in Medicorum libris frequentius occurrat, Ptisanæ mentione, eius tamen præparatione nihil penè ignotius; nam cum conficiendi ratio vulgata esset, supersederunt veteres, vel neglexerunt parandi eius modum docere, quod paucis nunc præstare conabor. Dicitur Ptisana ἀπὸ τοῦ πτίσσειν. à pinsendo & excorticando, quamobrem quidquid à cortice purgari poterat pinsendo, id vocabitur Ptisana. quod omnibus cerealibus commune est, propterea ex illis Ptisana parari potest; non tamē simplici Ptisanæ appellatione, sed addito frumenti ex quo parabitur nomine; quæ verò ex hordeo, citra adiectionem Ptisana nuncupatur. vnde & ab Hipp. lib. de morbis πτισσάνη πυρίνη, *triticea Ptisana* dicitur, & Aristoteles 1. Probl. XXVII. quærit vtrum Ptisana Hordeacea, leuior sit & ad morbos accommodatior, quàm triticea. Ex Oryza etiam paratam fuisse, auctor est Plinius lib. XVIII. cap. VII. *Italici quidem maximè Oryza gaudent, ex qua Ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex Hordeo;* Horatius lib. II. Satyr. III.

Tu

Tu cessas? agedum, sume hoc Ptisanarium Oryzæ.

Inualuit tamen Consuetudo, nomine Ptisanæ audiri dumtaxat Hordeaceam, quam etiam præ cæteris Hipp. in ægrorum diæta laudauit. Plinius lib. XXIII. cap. VII. *Ptisanæ inde vsus validissimus saluberrimusque, tantopere probatur: vnum laudibus eius volumen dicauit Hippocrates, è clarissimis Medicinæ scientia.* sed peculiare aliquod volumen de Ptisana ad nos non peruenit, nisi dixerimus libros de Ratione victus in morbis acutis, vbi de Ptisana tractat, à Plinio intelligi, Galenus huic opinioni videtur fauere, in Hipp. lib. 1. de victus ratione in morbis acutis tex. XVIII. *Orationem hanc tãtummodo legisse mihi videntur, qui librum hunc de Ptisana inscripserunt: veluti proœmij partem primam, qui aduersus Cnidias sentẽtias, titulum fecerunt.* optimum itaque hordeum sumebant, in aqua purissima primum maceratum, mox in mortario manibus tam diu pinsere, contundere atque conterere solebant, vt cortice omni deposito, tenuis illa membrana deglubatur; quod vt commodius fiat, iubet Galenus, vt manibus habeant aliquid asperum, cuiusmodi est spartum, ex quo iumentis nectebantur soleæ: non verò pistillo debet pinsi, ne grana integra confringantur, quem præparandi modum, Gal. lib. 1. de Alim. facul. vitio vertit cocis Romæ degentibus. *Video autem à cocis omnibus Ptisanam pessimè præparari, in mortario namq; crudum hordeum tundentes, non ad ignem coquentes dissoluunt: sunt qui Amylum etiam inijciant, vt per coctionem, in chylum copiosum videatur esse redacta. talis certè Ptisana maximè est flatulenta, & concoctu admodum difficilis*, idem etiam libello de Ptisana asserit.

Coquitur mox, donec plurimum intumuerit, postea igne lento diutius in succum redigitur, tunc verò acetum illi admiscebant, quantum gustui satis esset; peracta verò coctione, sub edendi tempus salis exiguum imponebant, aliqui etiam anethi, aut porri aliquantulum admiscebant; hæc erat Ptisanæ præparatio, cuius frequenter Galenus meminit. illos etiam damnat, qui post leuem coctionem, Sapam inijciunt, aut mel cum

cũm cumino. hæc verò Ptiſana ab antiquis tota Ptiſana, vel non colata dicebatur; quod ſi verò linteo, vel cribro percolabatur, ita vt pars craſſior, & magis terreſtris abijceretur; tunc Ptiſana colata, vel πτισάνης χυλὸς, ſeu ſuccus Ptiſanæ nuncupabatur; vtriuſque meminit Hippocrates libro primo, de ratione Victus in morbis acutis, Tex.XIII. *cur in acutis morbis, medici quidam, Ptiſanas non colatas perpetuo exhibeant, & rectè curare ſe exiſtimant: alij omnino contendant, hordeum vt nullum æger voret: ſubſequuturam inde, quæ inſignis ſit, offenſam veriti, ſed cremorem linteo colatum porrigant.*

Sed quoniam Ptiſana, longam cocturam poſtulat, inueſtigandum quantam aquæ quantitatem, hordeo admiſcere neceſſum ſit; qua de re diſſentire auctores video. Dionyſij Caſſi erat ſententia, apud Conſtantinum Cæſarem, vt decuplum aquæ, ad hordei partem vnam aſſumatur, cui etiam videtur ſubſcribere Oribaſius, lib. III. Euporiſton, ad Iulianum Cæſarem, ad heminam enim hordei decem aquæ affundit. Paulus verò Ægineta lib. primo cap.LXXVIII. quindecim partes aquę, ad vnam hordei partem admiſcet. Sed probabile eſt, nullam nos poſſe certam quantitatem determinare, nam quod leguminibus indies accidit, idem etiam in hordeo contingere cõpertum eſt, nam illa quidem nunc celerius, nunc tardius concoquuntur, quare maiori aquæ copia indigebunt.

Non deſunt tamen recentiores quidam Medici, hac in Belgica, & alibi terrarum, qui pro condienda Ptiſana, Hordei farinam accipiunt, quod minus operoſa ſit coctura; ſed illorum opinio iam pridem à Galeno damnata eſt, lib. de Attenuante victus ratione capit.V. Vbi docet, *farinam Hordei excrementoſam eſſe, magiſq; flatulentam*, quæ procul à Ptiſanæ laudibus remota ſunt. nam quod illi reſpondent, Hordeum integrum flatuoſum eſſe, niſi coquatur: eodem etiam modo farinam coctura flatus expertem fore; immo cum farina tenuior ſit, ignis actionem facilius excipere, quam hordeum integrum, quod lon-

gè crassius est. Sed toto cælo aberrant, nam cũ farinæ exigua corpuscula, coctura statim coëant, & vnum fit quasi corpus ex tota massa, difficilius illa coquetur, quam Hordeum, cuius grana distincta sunt. adde etiam, non ferre farinam, diuturnã coctionem, aliàs crassesceret nimium, & in pultem potius, quàm Ptisanam euaderet; adeoque hoc alienum est à mente veterum, vt auctor grauissimus Auenzoar, lib. I. Tract. XVI. capite VI. damnet Medicos, qui fractum hordeum sumunt, vt aquam hordei conficiant. *Sciendum, quod moderni multum sunt longinqui ab opinione Galeni, in faciendo aquam hordei, eo quod ipsi frangunt ipsum pistando, antequam bulliat ad faciendum istam aquam: & isti errant à via veritatis, eo quod in vnoquoque semine, in quantum est semen, est vita naturalis, antequam accidat ei aliquid quod destruat ipsum, etsi posueris hordeum in aqua frigida, velociter attrahit ad se aquam, & aperiuntur pori ipsius, & quando sic ponitur ad ignem, iam aperti sunt pori ipsius: & eius partes dilatatæ, & ignis facit in viis apertiones: ita quod nulla oppilatio manet in illo. Si autem hordeum fractum fuerit, simile est mortuo, vel infirmo, propterea quod partes eius, cum fuerit fractum, non dilatantur, nec attrahunt in se aquam sua virtute.* Auerroës etiam lib. V. Colligit capite XXXI. subscribit huic opinioni: quam vt magis confirmet, Auenzoaris auctoritatem adducit. Si itaque hordeum fractum, damnatur à præcipuis medicorum, quia facultate integri hordei caret, quantò farina hordei magis, in Ptisanæ præparatione erit reijcienda.

Nostro verò sæculo, quæ paratur Ptisana, veterum est illa simplicior; non enim acetum, oleum, porrum, vel anethum recipit, sed aliqui paucas Amygdalas, vel semina Melonum, admiscent cum Saccharo, que colata quidem Ptisana, vel eius cremor est, nec gustui insuauis & febricitantibus vtilissimus cibus. Concludam Hippocratis verbis, vbi Ptisanę laudes enumerat I. de victus ratione in acutis Text. XVIII. *Ptisana igitur, frumentaceis gustamentis, rectè præferri mihi videtur in acutis morbis, eosq; qui prætulerunt laudo. nempe viscositas eius leuis, continua,* *iucun-*

iucunda, lubrica, & mediocriter humens; ſitim minimè infert, & ſi quid ablui eget, probè abluit, non adſtringit, non malè turbat, neque in ventre tumeſcit: nempe inter coquendum, quoad maximè potuit, intumuit.

Supereſt vt de Aqua Hordei aliquid dicamus, quam Arabum inuentum plerique credunt, cùm apud Græcos vix vlla eius mentio. Sed Hippocrates lib. IV. de ratione victus in morbis Acutis, Text. LXXI. eius meminit, vbi de ſingultuoſa febre agit. *Quod ſi ſupra modum ſiticuloſi fuerint, bibant* ἐκ κριθέης ὕδατος, *.i. aquam hordei*. Galenus in commento, notat hunc potum exhiberi, tanquam ἄδιψον, *ſed melius feciſſet*, inquit, *ſi prius, quo pacto parare hordeum oporteat enunciaſſet: vtrumne ſimpliciter madefacere, vel ex eo Zythum, vt huius temporis homines conficere ſolent, vel quouis alio modo parare*. Itaque cùm eius parandi modus, apud Græcos non exſtet, ad Arabes veniendum, qui & ipſi non omnino conueniunt. nam Auicenna vni parti hordei viginti aquę addit, quem ſequitur Ioannes Meſues & Auerroës. Auenzoar verò duas tantùm aquæ partes, ad vnicam hordei accipit, quod mirũ eſt. Iſaac verò libro de particularibus dietis, decem Aquæ partes. Halyabbas lib. v. Theoricæ, ad tres aquę partes, vnam hordei addit. Notandum etiam, Auenzoarem & Auerroem infundere priùs hordeum, per horas aliquot, in aqua frigida, & iubent poſtea ad ignem coquere, donec aqua fiat rubra; ſi quis tamen diligentiùs Arabum ſententiam introſpexerit, non abſque ratione iudicabit, illos Ptiſanam colatam, ſub nomine aquæ hordei deſcribere.

In coctionis etiam modo diſſentiunt, nam Auicenna, ad quintam partem decoquit, Meſues conſumit ad medietatem, Iſaac vnam ex tribus relinquit: cuius varietatis cauſſas, crediderim fuiſſe ſcopos cuiuſque auctoris, & diuerſas intentiones, quas ſibi propoſuerunt, nam ſi magis in animo fuerit refrigerare, minuendum hordeum, augenda verò aqua; ſi verò magis nutrire volumus, augenda erit hordei quantitas. Plerique

Auicennæ modum probant, vt ſcilicet ad hordei libram, viginti aquæ ſumantur, eo vero vſque coquatur, donec ex quinque partibus remaneant quatuor, idq́ue lento igne fiat; alii verò vt gratiorem potum efficiant, non permittunt tantum decoqui, ſed vt ex viginti libris aquæ, vnica tantùm abſumatur, ſed tunc neceſſariò aqua erit crudior, & flatuoſa, ob exiguam coċturam. vſus huius aquæ multiplex eſt, nempe refrigerare, humeċtare, ſitim arcere, ſudorem prouocare: tepida etiam vomitum mouere creditur. nocet frigidioribus temperamentis, ſchirro hepatis, lieniſq́ue; Auicenna ſtomacho eſſe aduerſam & inflatiuam dicit, quod de frigidiori audiendum: nam æſtuanti ventriculo optimum eſt remedium; vnde plerique cinnamomi aliquid, aut aniſi admiſcent, magna cum ratione.

FINIS.

INDEX RERVM,

QVÆ IN HIS IV. LIBRIS CONTINENTVR.

A.

 tum

D.

E.

F.

Gryphi

M.

N.

O.

Paleares

Posca

Q.

Quer-

modus

T.

F I N I S.

E R R A T A.

P. 3. operæopretium. l.operæpretium. 5.ed. l. ſed. 6. calor enoſtro. l.calore noſtro. 28.δωνατον. l.δύνατον. 33.anget. l.auget. ibidem. Protogenis. l.Protogenes. 35. cicera. l. ciceri. 47. κλωρον. l. χλωρῶν. 70. marceranda. l. maceranda. ibid. Margonio. l. Mangonio. 88. reludunt. l.recludunt. 90. ſqualorem. l. ſquallorem. ibid. tinere. l.itinere. 93. Menardus. l.Manardus. 99. harbara. l. barbara. 105. Plinus. l. Plinius. 107. craſſum ſuccum. l.craſſus ſuccus, 115. grauis. l.granis. 147. pannificia. l.panificia. 150. Mirandalæ. l. Mirandulæ. 155. maſſus. l.maſſas. 166. magis. l.magnis. 182. comediſſſe. l.comediſſe. 183. illegatas. l.illigatas. 186. Ædes. l.Æoles. 191. Oribatius. l. Oribaſius. 193. ſagineare. l.ſaginare. 194. eadam. l.eadem. 203. àIſicia. l.ac Iſicia. 213. coluſtra. l. coloſtra. 218. παμμασιν. l.πέμμασιν. 224. impedebant. l.impendebant. ibid. luconem, l. lurconem. 226. alium, l.aliud. 233. volantibus. l.velantibus. 236. Tuturrum. l. Turturum. 240. ſe long. l.ſed longiora. 247. Cettum. l. Certum. 248. ventrilus. l.ventriculus. 249. Α'γυπτιας. l. Αιγυπτίας. 263. ſaginaria: ddidit. l.ſaginari: addidit. 264. Balecares. l.Baleares. 413. ſubtilationem. l.ſubtiliationem. 430. cæreris. l.cæteris. 448. veturiſſimus, l. vetuſtiſſimus. 458. feſta. l.teſta. 481. χελθινος. l.χελίθινος. ibid. χελθιαν. l. χελιθιαν.

Plura fortè occurrent, quæ benignus Lector corriget.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA BELLERIANA,

PETRI BELLERI.

LUDOVICUS
NONNI. DE RE
CIBARIA


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm